

P. VIRGILII

MARONIS

OPERA



P. VIRGILIVS MARO

ex antiquo desumtum

P. VIRGILII
MARONIS
OPERA

EX RECENSIONE

CHR. GOTTL. HEYNE

RECENTIORIBVS

WVNDERLICHII ET RVHKOPFII

CVRIS ILLVSTRATA

TOMVS PRIMVS

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX TYPIS IOSEPHI POMBA

ANNO MDCCCXXVII





TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

Quem potius Virgilii interpretem deligerem, diu ac multum dubitavi. Nam quum omnium praestantissimus Heynius haberetur, erant tamen qui parciorem in lectionum varietate



IV

TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

Quem potius Virgilii interpretem deligerem, diu ac multum dubitavi. Nam quum omnium praestantissimus Heynius haberetur, erant tamen qui parciorem in lectionum varietate

voluissent, erant etiam qui eiusdem enarrationi non ubique acquiescerent, quam adeo nonnullis in locis, vel ut parum veram, vel ut minus commodam, a Iosepho Biamontio Ligure, et a Calusio nostro Virgilianae venustatis studiosissimo, memini esse reprehensam. Quum igitur in hac cogitatione anceps haererem, ecce Wunderlichius politioris eruditionis vir, alterum Virgilium tanquam ex ipsius Heynii manu profectum, evulgavit, narrans quemadmodum doctissimus senex, affecta iam valetudine, supremis se precibus rogavisset, ut quando in priore editione quaedam emendanda superessent, nec ea retractare per aetatem posset, ipse hunc laborem in se recipere ne gravaretur. Atque

id quasi omen futurae mortis fuit; nam vix dum communicatis cum Wunderlichio consiliis, praepropero fato extinctus est. Quam porro diligenter ac pie dixerim, demandatum sibi munus obierit Wunderlichius, qui se demortui manibus officii religione obstrictum arbitraretur, nemo est, qui dubitet, praesertim quum ex ipsius sermonibus, quos saepe ea de re fuerat ingressus, totius operis rationem plane perspectam haberet. Hinc factum est, ut, Wunderlichio iam alio casu oppresso, Ruhkopphius V. Cl., qui alterum volumen adornandum curavit, Heyniana vestigia in eiusdem adversariis propemodum agnosceret.

Quae quum ita se haberent, iam necesse erat, ut qui Heynium Vir-

gilio comitem vellet adiungere, nuperrima recensione uteretur, quae vel ipsa brevitate se plerisque probaret, et superioribus esset emendatior. Vt autem primas Heynio tribuerem, faciebat hominis verecundia, qui in poëtae contextu post Heinsium et Burmannum nihil sibi immutandum censuerat, tum vero doctrinae elegantia, quae in animadversionibus passim elucet. Nec enim magnum se aliquid praestiturum putavit, si, ut plerique solent, multus esset in fabulis declarandis, sed si intimam poëtae artem ostenderet. Qui ieiunam interpretis prolixitatem feras, qui in perspicua re nullam literulam praetermittat, quae vero diviniora sunt, nec ita facile se intuentibus praebent, ne verbo qui-

dem attingat? Quid? in pulcherrimo carmine segniter frigideque versabere, aut si afflatum identidem senseris, nunquam lectorem admoneas, ut itineris comes, qui parumper subsistens regionis et situum amoenitatem alteri commonstrat? Atqui multa sunt in poëtis, quae solertem monitorem requirunt, ut cum fructu legantur, sive illa ad totius operis rationem, sive ad scribendi formam et pulchri sensum pertineant. Hinc Graecorum industria in investigandis venustatis fontibus, nec plane contemnendus Scholiastarum labor, qui in tragicorum dictione, quidquid a communi loquendi consuetudine recederet, studiose notarent. Et hos quidem imitatus est Heynius, instituta saepe comparatione inter

solutae et poëticae orationis colores, allatis etiam, ut a Fulvio Vrsino aliisque iampridem fuerat usurpatum, Homeri, Alexandrinorum et Ennii versibus, si quos suos auctor in scribendo fecisset.

Quamquam non is sum, qui putem eundem rem ita obivisse, ut sui aemulandi copiam caeteris praeriperet. Verior fortasse haec fuerit viri laus, materiam congessisse, qua alii postea felicius uterentur, nostra praesertim aetate, quae, ut elegantiae in primis studet, sic in eruditis scriptionibus non tam rerum copiam, quam delectum quaerit. Ac nescio, an in tanto disciplinarum ascensu, sperandum non sit, aliam nos ab illa superiorum viam in edendis veterum libris inituros. Nam qui

primi eosdem quatuor ab hinc seculis evulgarunt, satis habuerunt, si exemplaria sibi a fortuna oblata, deterso vetustatis squalore, quam emendatissime describerent. Secuta est doctior aetas eorum, qui criticum periculum in scriptoribus facerent, quo in genere, quum pervagatis iam per totam Europam Italorum literis, excultissimae gentes strenue se exercuerint, incredibile dictu est, quam uber et varius doctrinae fructus exstiterit. Ac nemo sibi persuaserit, Aristophanem Byzantinum eiusque discipulum Aristarchum, ex veteribus laudatissimos, Gallos, Germanos, Belgas, Britannos, qui per id tempus floruerunt, acumine ac subtilitate vicisse, aut Ammonium et Origenem plures labores exhau-

sisse, quam iidem susceperint. Nihil certe tam abditum in tota antiquitate fuit, quin anquisierint, nullus scriptor tam ab omnibus relictus, quin saepe tentatum illustraverint. Nam quid ego dicam de utriusque Scaligeri aut Salmasii vi, quid de serioribus Bentleii tentaminibus, qui vel comicum lusum aut discerptum poëtae versum a nemine animadversum, in Polluce posset odorari? Tunc igitur graecis et latinis monumentis tanta lux admota est, quantam vix antea sperare licuisset, ut ex hisce studiis de humani ingenii viribus iudicium iam fieri posse videretur. Quae si praeclara sunt, multiplex tamen opus pro rei magnitudine nobis posterisque absolvendum relinquitur. Et quod spectat

utar hic Gellii voce, ad commentarios in auctores conscriptos, qui in manibus hominum sunt, quanta illi redundantia et obscuritate plerumque laborant! Iam si graecus Thucydidis enarrator unice probatur, quod dictionem dictione sic declarat, ut nihil sit aptius; cui contra fastidium non afferant tot verborum ambages, tot etiam aliena, quae in eisdem reperiuntur? Nec aliter fieri potuit, quum quisque multa nec satis explorata passim et promiscue notaret, ipse mox deleturus, si quid certius inveniret. Sed nescio qui mos, vel potius superstitio, invaluit singula singulis referendi, unde vermiculatum opus exstitit, barbaris saepe locutionibus refertum, quo nitidissima antiquo-

rum scripta melius caruissent. Eo accedit molesta quorumdam in interpungendo immutandoque contextu sedulitas, quam quum videas, illud Aristotelis veniat in mentem, qui se olim percunctanti, quae nam sibi verissima Homeri exemplaria viderentur, ea fertur respondisse, quae a nemine fuissent emendata. At quorsum haec refingendae antiquitatis licentia? An ut acuti videamur? At quanto acutiores si modum adhibeamus! Neque enim in literis omne arbitrium pro ingenio est, sed ille praestiterit, qui tempestive et quadamtenus audeat. Scio non pauca esse in historicis et poëtis nunquam fortasse nobis, pro ut res sunt, enodanda, sed quemadmodum cursores in Graecorum certaminibus

alii aliis flammam praebebant, sic aetas aetati; ut iam dubitari nequeat, quin complura nunc plane obscura, aliquando lumen accipiant. Id porro fiet, si scriptores quales accepimus, non uti esse volumus, posteris religiose trademus.

Verum haec carptim in praesentia dixisse sufficiat. Vt ad Virgilium redeam, ut meam in eo edendo curam ex aequo velis aestimare, candide lector, vehementer exopto. Vtinam Itali homines, renovandae maiorum gloriae studio incensi, suum poëtam, quo non alium praestantiorem post Ionium illum principem novimus, vernaculo cultu aliquando exornent! Quod non minus eorum pietatis monumentum erit, quam doctrinae. Nam

quantum Virgilio debent nostrorum literae, a quo et scribendi orsus sumsit Aligherius, et Africae suae colores Petrarca, quem demum secutus Torquatus, Lusitanum Homerum, nemini spiritu et magnitudine secundum, non alia de causa superavit, quam quod acrius in eo studium posuisset! Itaque quum de caeteris latinis poëtis sileretur, Virgilius in omnium ore versabatur, ut qui elegantiores haberentur, nunquam e manibus dimitterent. Quid si non solum poëticos sensus, sed et incredibilem latini carminis suavitatem ab ipso nostri hauserunt? Nam Sannazarii et Fracastori versus, in quibus reviviscere visus est, italicae prorsus opes sunt, nulla cum gente nobis communicandae. Quam-

quam cur ego antiqua commemoro? Nonne idem et nitor et numerus tribus seculis post in Cunichio et Zamagna conspicitur? ex quo iam patet quanta inter utramque linguam similitudo intersit, quam quidam nunc, barbaris originibus undique arreptis, obscurare conantur. Sed ne longius abeam, doctiores iam e nostratibus rogabo, ut si quid minus limatum in hoc opere offenderint, id velint emendare, neve patiantur hanc vocem diutius percrebrescere, nos nostra sic neglexisse, ut optimi scriptores sub hoc Coelo nati, alienis curis indigeant.

Dabam Taurini Nonis Decembr. an. MDCCCXXVII.



WVNDERLICHII PRAEFATIO

EPISTOLA

E. C. FRIDER. WVNDERLICHII

AD

A. H. L. HEERENIVM

Intelligens Tuum iudicium, quo studia antiquitatis optime aestimas, summaque, quae Tibi cum Heynio intercessit, necessitudo, Heereni, vir celeberrime, fecit, ut Virgilii in tironum gratiam ter editi volumen primum denuo editurus, qua ratione in Heyniano opere augendo versatus sim, Tibi in primis notum esse atque placere, vehementer exoptarem. Etenim Tibi cura et diligentia, quam operi adhibui, probata, communis nostri praeceptoris, quam mors eius praeripuit, approbationem retulisse mihi videbor. Cuius quidem ad mentem et voluntatem negotium totum Manibus magnis me obstrictum administrare studuisse, Tibi ipse pro singulari Tuo in me favore persuadebis. Sed ut fidei servatae laude me dignari possis iucundissima, quae de hac editione quarta Heynio petenti receperim, quaeque mihi imposuerim, paucis cognoscere velis. Vir immortalis, ultima velut manu Virgilio 1801 imposita, novis curis opus suum aucturus non erat,

quod ipse professus est in prooemio Georgicon editionis maioris p. 222, eiusdemque praefatione p. X. Quum igitur vere ineunte anni 1812, librarius, exemplaribus editionis minoris divenditis, editionem novam expetiisset, tenax ille propositi, simulque taedio rerum publicarum fatigatus, negotium ad me detulit, professus, me sibi gratum esse facturum, si, ut ante Tibulli curam, ita hunc laborem susciperem; se nolle, ut vera, quam ipse proposuisset, poëtas Latinos illustrandi ratio aut imperitia corrumperetur, aut per malevolorum et invidorum studia detrimentum caperet. Itaque mihi, ipsius disciplina imbuto, id officii iniungere, ut contra virorum aliter sentientium caecos impetus saluberrimam illam iuvenes instituendi rationem tuerer ac propagarem. Viri benigni voluntati me libenter obsecuturum, officiumque honorifice impositum pro virili parte sustenturum pollicitus, ut, quemadmodum editionem novam parari vellet, mihi monstraret, rogabam. Tum ille, qua fuit humanitate, nihil aliud se mihi praescribere respondit, nisi ut hanc Maronis editionem ad novissimam maiorem veluti normam componerem ita, ut, quae mihi viderentur, mutarem et adderem. Haec vir in paucis praeclare de antiquitate meritus de opere suo novis curis emendando; neque haec illum ficte et simulate iactasse, si qui forte sint, qui in hanc temere incidant suspicionem, fidem facere possunt quum alia, quibus iudicium de editionibus suis sincere declaravit, tum

locus insignis praefationis editionis tertiae p. V: « Iam in praefatione prioris editionis professus eram, me inchoatum tantum et descriptum opus publice proponere, quod tamen pro fundo esse posset studiis virorum doctorum coniunctis in perficiendo eo, quod designatum a me erat; multo enim utilius fore, si una aliqua editio plurium studiis et curis emendaretur et locupletaretur, quam si plures iteratis itidem vicibus eadem recoquerent, aut *veterem querelam*, ut cum nostro loquar, iterum iterumque *canerent.* » Hac voluntatis declaratione modestissima ad rem suscipiendam firmatus, ad opus Heynii retractandum me accingebam; idque eo promtius feci, quod confidebam, si negotium ad alienum arbitrium administrandum maioribus implicitum esset difficultatibus, ipsius de iis vincendis me exquirere posse sententiam. Sed hoc subsidium fortuna mihi invidit iniqua. Paucis diebus interiectis, mors Heynium occupat omnibus bonis luctuosa, et spem meam destituit. Neque in scriptis eius aut libris ullum notarum in Virgilium factarum additamentum repertum esse, Tu ipse in vita viri immortalis p. 204 testatus es. Quam igitur personam susceperim, vides, vir praestantissime. Nunc quo studio illam sustinuerim, officiique mei partes impleverim, demonstrabo, non veritus, ne me illa, quae ad rationem reddendam pertinent, ostentationis causa commemorasse putes.

Ac textum quidem Virgilii quum ad exemplum

editionis maioris constituere esset propositum, id non nisi rationibus lectionum et distinctionum utriusque editionis perpensis, faciendum esse putavi, Aen. IV, 498, 490; Aen. III, 413; Ge. I, 390; Ge. III, 435, *ne* incuria pro *nec* relictum, sero animadverti. In qua veri investigatione factum est subinde, ut vestigia editionis maioris deseruerim, vel iudicio Heynii in varietate lectionis apposito obsecutus, ut Aen. III, 360, vel editionis minoris lectionem scripturamve aut distinctionem retinens, argumentisque breviter defendens, ut Aen. I, 427, ubi, pluralem *scenis*, qui sequitur, reiectam lectionem *theatris* non tueri, concedes, quum perpenderis, *scenae* pro *scena* Aen. IV, 471 usurpatum esse. Neque vero me ita utrique editioni quasi in servitutem addixi, ut auctoritate ambarum ubique me regi passus sim. Nam quum in utraque Ge. III, 439, Aen. II, 475 idem legeretur versus, *Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis*, singularis utrobique offendebat discrepantia, posteriore loco casu sexto *ore* in textum recepto, priore autem *ora*. Neque animum inducere potui Ecl. X, 44, *Nunc insanus amor duri me Martis in armis* codicum omnium lectionem *me* Virgilio non reddere, aut dissimulare, Ecl. VII, 54, ex omnibus libris *Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma* esse restituendum. Posteriore autem loco iudicio Bentleii Heusingeri addes auctoritatem, qui usum pronominis *suo*, apud Ennium monosyllabi, ad Cic. Off. I, 16, 6 notavit,

cf. Heyn. ad Aen. VI, 515. Novum exemplum afferre iuvat ex loco Ennii, apud Macrobium VI, 2 servati, quem ita in trochaeos digerendum puto:

O lux Troiae, germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato
Corpore miser? Aut qui te sic
Respectantibus
Tractavere nobis?

Non minus distinctionem, de qua Heynium bene et praecepisse p. XLVIII ed. tert. et meruisse, omnes consentiunt, emendare, constanterque eandem inducere laboravi. Itaque interpunctionem vulgarem Aen. II, 344: *Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat. Infelix, qui non sponsae praecepta furentis Audierit.* refinxi ad Aen. IX, 727: *Ast alios secum includit recipitque ruentis, Demens! qui rutulum in medio non agmine regem Viderit inrumpentem*; et Aen. VI, 589, 590. Non immorabor Ge. I, 247, 248; sed non alienum videbitur breviter explanare, cur ad eandem legem revocaverim versus Aen. II, 23:

Nunc tantum sinus, et statio malefida carinis.

Aen. III, 507.

Vnde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.

Nam commate, ita ut vulgo factum est, interposito, nullum sensum inesse apparet verbis *Tenedos insula est sinus*; at, sublato illo, et appositione *male fida* ad *sinus* retracta, iunges: *insula est sinus male fidus*, h. e. habet, praebet sinum male fidum. Non raro enim *esse* id dicitur, quod habet

tantum; unde explicabis appositionem paulo audaciorem Ge. II, 97: *Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina*, h. e. praebentes vina firmissima. Congruit Graecorum syntaxis. Apud Aeschylum in Pers. 148:

'Αλλ' ἥδε θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς
Φάος ὁρμᾶται μήτηρ βασιλέως.

Atossa vocatur φάος ἴσον ὀφθαλμοῖς θεῶν, h. e. *insignis lumine, quale ex oculis deorum affulget.* Neque inauditum est, adiectivum, duobus substantivis, genere diversis, appositum, genere a priore discrepare; ut Aen. IV, 588: *Litoraque et* vacuos *sensit sine remige portus*; Aen. III, 418: *arvaque et urbis Litore* diductas *angusto interluit aestu.* Quae quidem appositionem ad prius substantivum retrahendi ratio in adiectivis pronominalibus usitatior est. Tac. Hist. I, 37: *Supplicia et contumelias* vestras *disciplinam appellat.* Add. Aen. I, 609. Cic. Philipp. II, §. 35. — Non magis commodus sensus in altero, quem proposui, loco Aen. III, 507 inest verbis: *Vnde iter Italiam.* Nunc a montibus Cerauniis iter in Italiam patere, hoc notabit poëta epicus? Nec, puto, Te offendet ubertas ista *iter* (brevissimum) *et cursus brevissimus.* Vocabulo *iter* alterum *cursus*, navibus magis proprium, iungitur ita, ut nemini in mentem venire possit statuere, alterum ex his substantivis esse superfluum; nisi forte idem ταυτολογίας accusabit Ciceronem de Offic. I, 32, 9: *Itaque ante implicatur aliquo certo* genere,

cursuque *vivendi*, *quam potuit*, *quod optimum esset*, *iudicare*. Ab iis, quae de versibus illis distinguendis disputata sunt, distinctio et interpretatio versus Aen. IV, 11 pendet. In his autem similibusque locis interpunctionem sine cunctatione mutatam, nec causas mutationum appositas esse, nemo, qui huius editionis rationem perspectam habet, vituperabit: at ubi res non adeo expedita et aperta, rationem, quae mihi ineunda videretur, in notis commendavi, non in textum recepi, vide sis Aen. IV, 146. Sunt vero etiam, sed perpauca loca, quorum distinctio, cum interpretatione aut critica cohaerens, longiorem, quam commentarii modus capiat, disputationem requirat. Vnum ex pluribus afferam. In Ge. III, 256, Sabellicus *sus Et pede prosubigit terram*, *fricat arbore costas Atque hinc atque illinc*, *humerosque ad volnera durat*, distinctio, quam ab Heinsio propositam Heynius et H. Vossius receperunt, difficultatibus satis magnis premitur. Nam primum probatum non est, Virgilium *atque* — *atque* pro *et* — *et* vere usurpasse, quod H. Vossius p. 585 ut indubitatum ponit. Locus quidem Ecl. V, 22, 23, *quum complexa sui corpus miserabile gnati*, *Atque deos atque astra vocat crudelia mater*, ubi idem p. 245, *atque* — *atque* pro *et* — *et* dictum esse contendit, numero eorum mihi eximendus videtur, quae ad illum usum firmandum afferuntur. Qualis enim, quaeso, si H. Vossii opinionem amplecteris, haec est oppositio

et dii et astra! Et alia patet via expedita. Nam, commate post coniunctionem *quum* sublato, iunges: *quum complexa* est *atque vocat*. Etenim sententiis duabus per coniunctionem *et* vel *atque* vel *ac* sive *que* iunctis, verbum substantivum in priore quum alibi crebro omittitur, tum apud Virgilium, vid. not. ad Aen. II, 545. Deinde Latini, ubi participio posito copulam *et* evitare potuissent, illam non semper vitarunt; quod quum satis apud omnes pervulgatum esse credas, sufficiet locus Taciti c. 4: *namque M. Silanum accusare iussus*, et, *quia abnuerat*, *interfectus est*, atque Ernestii, qui rem ibi illustravit, auctoritas. Denique talis compositio perfecti et praesentis *complexa*, est, h. e. complexa tenet, *atque vocat*, frequentissima est apud Virgilium, vid. Aen. II, 724, Aen. I, 84. Add. Persii locum maxime insignem II, 31—34. Itaque Aen. X, 803—6: *Ac velut effusa si quando grandine nimbi Praecipitant*, *omnis campis* diffugit *arator*, *Omnis et agricola*, *et tuta latet arce viator* — — — *ut possint*, *sole reducto*, *Exercere diem*, non assentiar interpretanti: *diffugit* aoristo modo, ut toties. Nam *diffugientem aratorem* exhibere noluit Virgilius, sed eum, qui, postquam *diffugit*, *tutus est* a nimbis, quod et sequentia *tuta latet arce viator* demonstrant. Atque ab hac perfecti ratione aoristi vis prorsus discrepat. Hac igitur via si Virgilii locus Ecl. V, 22—23 recte explicitus est, nusquam in toto Virgilio *atque* — *atque* particulas disiunctivas

esse, recte mihi affirmare videor. Neque Silii Italici usum dicendi I, 93, 94: *Hic crine effuso*, atque *Hennaae numina divae* Atque *Acheronta vocat -- sacerdos*, Virgilio admovendum esse censeo. En primam causam dubitationis, vulgarisne distinctio loco Ge. III, 257 adhibenda sit. Altera haec est. Non facile quisquam monstrabit, Latinos verba *hinc hinc* vel *hinc illinc* particulis disiunctivis *et -- et* separasse; ego quidem illa semper coniunctione aliqua *et* vel *atque* copulata vidi: ut Aen. I, 162, 500, *hinc atque hinc*. In eam igitur me partem proclivem esse fateor, ut distinctionem praeferam: *fricat arbore costas*, *Atque hinc atque illinc humeros ad volnera durat*, quae in Heinsianis editionibus an. 1676, 1684 exstat (in Burmanniana enim ita expressum et iunctum: *fricat -- illinc*, *humeros ad volnera durat*). Nam notio *hinc atque illinc* verbis etiam *humeros durat* congruit; atque lectionem *humeros* sine particula *que* cum aliis habet codex Mediceus, de cuius vetustate et auctoritate inter viros doctos satis constat.

Recte autem Heynius, quum duo essent velut fontes textus Virgiliani constituendi, alter liber Mediceus, alter Vaticanus II sive Romanus, quumque illi, magnopere sibi discrepantes, suam quisque ducerent codicum familiam, ut contextus Maronis, qui, qualis nunc est, plerumque lectionem Apronianam ex Mediceo exhiberet, sibi constaret, alteram codicum sectam deserendam esse, in va-

rietate Aen. V, 89 indicavit. Itaque librum illum complures lectiones bonas praebere, dignas quae textui restituantur, quum mihi et varietatem Heynii studio congessam examinanti, et ipsum denuo comparanti, qualis typis est descriptus cura Fogginii, satis apparuerit, ei, qui novam Virgilii recensionem in se suscepturus est, auctor sim, ut iudicio Heynii obtemperet, neve laborem Fogginianam editionem diligenter conferendi defugiat. Mihi quidem etiam in meo consilio exsequendo comparationem illam profuisse, paucis declarare iuvat. Nam quum saepe in disceptatione verae lectionis, ut exemplo supra proposito ostenditur, pondus haud parvum ad dubitationem tollendam accessit libri illius auctoritas, tum scripturas ex illo plures recepi. Dedi autem Aen. I, 581, *Aenean* pro *Aeneam*, quae scriptura iam in Burmanniana exhibita est, cf. Heins. ad Ovid. Heroid. VII, 26: Aen. I, 358, *veteris* pro *veteres*: I, 388, *vitalis* pro *vitales*, nihil orationis curans ambiguitatem, quam Burmannus frustra quaesivit, quasi vero Latini ambiguitatem terminationum tam sedulo vitassent, aut nobis de pronuntiatione terminationis *is* pro *es* constaret. Adde quod non ubique in Virgilio tali diligentia perspicuitati prospexit Burmannus. Num Aen. VI, 501, *Quis tam crudelis optavit sumere poenas*? ubi nihil ille movit, ambiguitas minor est, quam Aen. I, 709, *mirantur Iulum Flagrantisque dei voltus*, ubi *flagrantis* pro *fla-*

grantes e Med. aliisque recepi? Pariter Aen. II, 442, *postisque* pro *postesque* scripsi, et Ge. I, 337, *orbis* pro *orbes* scribendum esse censeo. Dedi praeterea Ge. I, 341, *Tum* bis pro *tunc;* Aen. II, 551, *lapsantem* pro *labsantem*: Aen. I, 117, *vertex* pro *vortex*, quam codicis Medicei constantem scripturam Heynius in toto Virgilio reducendam esse ad Ge. III, 241 censet; Aen. II, 318, *Achivom* pro *Achivum* libri Med. auctoritate retinui. Nec vero causam video, quum *coniunx* servatum sit, cur non et *quotiens* e Mediceo Aen. IV, 351 edatur, vel Ecl. III, 72 e codicibus Pierii. Neque tamen illud affirmare ausim, e libro Mediceo constantem scripturam ubique posse induci, aut id a me factum esse. Nam ille quoque in scripturis *Penatis* et *Penates*, *quotiens* et *quoties*, *quom* et *quum*, *maxumus* et *maximus*, centenis aliis ita sibi discrepat, ut certam aliquam verae Virgilii orthographiae restituendae viam iniri et teneri difficillimum esse appareat; qua de re Heynium in praefatione edit. sec. p. XLIII--XLVII multa praeclare monuisse recordaberis. Si quis vero novam Virgilii recensionem curaturus, in orthographia constituenda certas, ad quas se constanter adstringat, leges sibi ponere velit, gratum omnibus faciet, dum illae rationibus suis nitantur, dumque, ubi scriptura ab ipso exhibita a codicis illius scriptura recesserit, cum fide notare ne fastidiat. In varietate quidem lectionis, ab Heynio con-

cinnata, qui Heinsium, Burmannum alios sequutus est, scripturae et lectiones exstant, quae a libro Fogginiano discrepant; desiderantur etiam nonnullae, quas liber Fogginianus praebet; ut Aen. I, 467, 530, *Grai:* Aen. VI, 529, *Grais:* Aen. IV, 632, *Sychaei est:* VI, 193, *agnovit*: I, 357, *Tunc celerare.* Ad Aen. III, 76, *Errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit* Heynius: «ordo verborum ab Heinsio Medicei aliorumque, etiam Pierianorum, codd. auctoritate est restitutus.» At Mediceus: *Errantem Mycono celsa Gyaroque revinxit*; et Heinsius ipse a Pierianis nonnullis ordinem suum profectum esse testatur. Item Aen. I, 368 vera lectio *possent*, non *possint*, in Med. exstat: Aen. IV, 428 notatum legis: *neget* Medic. a pr. m.; at ille *negat* a pr. m., et *e* superscriptum est. In notis ad Aen. I, 629 Burmannus scripserat: *hac* deest Mediceo; sequitur Heynius; at liber ille *ac* praebet, quod aliquoties in eo, ut Aen. I, 467, pag. 109, pro *hac* scriptum exstat.

Paucis his exemplis perspicis, vir celeberrime, qua fide et quo studio textum Virgilii ad Heynii voluntatem exhibere tentaverim. Sequitur nunc id, quod caput est, commentarium quomodo emendando et augendo (nam utrumque mihi mandatum est) ad viri summi rationem magis perficere conatus sim. Quam quidem rem maioribus implicitam fuisse difficultatibus, vel non affirmanti credes. Ac primum quidem interpretationes sin-

gulas ad commentarium editionis maioris exegi ita, ut raro tantum sententias vel verba minoris praelata reliquerim. Sunt etiam interpretationes quas e varietate, ubi cum notis criticis, iunctae erant, transtuli. Ad Aen. IV, 633: *Namque suam* (nutricem) *patria antiqua cinis ater habebat* in editione maiore atque in minore notatum erat: «Vt alias *tumulo*, *sepulcro*, *urna haberi*, *teneri* dicuntur, sic nunc *cinis patria* (terra) habetur.» At in varietate inter ea, quae Heynio in hoc versu displicent, et hoc propositum vides: «*cinis* in *patria* nutricem habebat;» unde constructionem illum perspexisse apparet. Num igitur nota intacta relinquenda fuit? Ceterum quae hic in *oratione* Virgilii reprehenduntur, ea non recte reprehensa mihi videntur. Nam si dicitur *redactus sum in cinerem*, *cinis sum*, cur improbatur: *cinis me habet*? Si quem adiectivum pronominale *suam* pro *nutricem eius* offendit, is Forcellinium adeat, a quo similia e Cicerone, Nepote Ovidioque allata sunt. Quod denique in *patria antiqua* (Didus) sepulta illa narratur, non Carthagine, eius rei arbitrium erat penes Maronem. Similiter loca Ge. II, 98 et 300 excutere nec vacat nec libet. Vbi vero ab Heynio dissentiendum aut rei non notatae illustratione tironum intelligentia iuvanda mihi esse videretur, sententiam meam qualemcumque adieci. Ex his autem, quae de meo addidi, non pauca ad grammaticam spectant, in primis ad insolitam vel modo-

rum rationem vel consecutionem temporum declarandam; quae mihi tironum, in quorum gratiam haec est parata editio, rationes aeque postulare visae sunt, ac praecepta de verborum delectu et discrimine poëticae et pedestris orationis, quaeque alia ad poëtam illustrandum necessaria sunt. Neque vero negari poterit, Heynium, ab interpretatione mere grammatica, quali et ipse olim magno cum taedio exercitus erat, et in scholis multis pueros etiamnum non recte institui dolebat, abhorrentem, in minore editione res grammaticas non satis curasse. Invenies etiam criticas notas adiectas. Primum enim plures versus, Heynio spurii visi, quum asteriscis plerumque notati legerentur, rationibus iudicii non additis, ubique in tironum gratiam non solum ipsius rationes ex varietate transtuli, verum etiam de meo in alterutram partem adiiciendas putavi, ut Aen. IV, 528, IV, 257, factum est. Sed versibus, quibus, ut spuriis, notae erant appositae, etiam si dissentirem, stigmata illa fere reliqui, neque aliis, qui Heynio aeque suspecti fuerunt, ac notati, item asteriscos apposui, vide sis Aen. IV, 633. Deinde, Virgilii textu nondum satis constituto, quum Heynius ipse de veritate lectionis iudicia compluries ad puerorum ingenia crisi recta exercenda apposuisset, haud absurdum visum est propositi operis regulae ex varietate nonnullas lectiones insignes earumque causas interserere. Quo in genere brevitatis ita studiosus

fui, ut non omnia, quae in promptu haberem, argumenta effuderim (ut ad Aen. II, 207 monere poteram, lectioni *superant* repetitum 219 *superant* non obstare, atque laudare Aen. II, 303 *supero*, 311 *superante*, vel not. ad Ge. I, 126); utque plures virorum doctorum de vera lectione suspiciones vel tacite brevi verborum aut sententiae interpretatione tollere studuerim ita, ut Heynius saepe H. Vossii aliorumque coniecturas feliciter elevavit, vid. Ge. II, 296, (ubi ad vulgatam defendendam scripturam loca Aen. I, 164, VI, 167 faciunt) vel ad eas, ubi videretur, nihil responderim. Nam si qui in H. Vossii opinionibus, vel Heynio vel mihi non probatis, excutiendis operam me et studium consumpsisse optent, eos hoc monitos velim, primum rationem huius editionis tales vel lectionum vel interpretationum disceptationes non capere; deinde Heynium ipsum data opera ne in maiorem quidem editionem illas omnes admisisse. Causas rei exponentem videas Praef. pag. V. Inserui tamen verisimiles H. Vossii explicationes notis in Eclogas et Georgica; qua in re Heynius ipse mihi praeivit Ge. I, 289; II, 216; II, 315, aperte ille et candide fassus, se in prima editione, viam ingressum alienam, carminibus istis minus studii et luminis attulisse. Vid. Praef. pag. IV et V. Sunt etiam, quae exemplis commodis illustravi, ita tamen, ut in his afferendis parcus essem, memor, quam intelligenter de exemplis congerendis

praeceperit Heynius Praef. T. 3 edit. pr., pag. XXII, XXIII; cf. Not. ad Aen. IV, 522, quamque constanter ipse normam ibi propositam servaverit. Neque, si forte in uno alterove exemplo inventionis laudem praeripuerit Cerda, vel Burmannus, aliive editores, id ita accipi velim, ac si alienae eruditioni illa et copiae debeam. Nam nusquam priores me editores eo consilio, ut exemplum aliquod inde repeterem, inspexisse, iuratus dicere possum. Haec tamen omnia, quae mibi addere visum est, signis parentheseos vel literis H — W a notis Heynianis accurate secrevi. At in loca incides, quae tacite correxi ita, ut ipse in editione nova correcturus fuisse mihi visus est. Nam quibus notis Tibullum ille aliosque ornavit auctores, in iis nonnullas explicationes accuratiori cura positas animadverteram, quas in commentarium Virgilii recipi par erat. Vt unum tantum exemplum commemorem, ad Ge. III, 106, *verbere torto* annotatum legebatur: *torti flagelli* aut *verber* pro flagello, ut saepissime. Idem tamen recte et sine haesitatione in commentario Tibulli I, 6, 46, posuerat: *verbera torta* h. flagella; quem usum et in verbis Aen. VI, 557, *Saeva sonare verbera* animadverti; unde notam in Virgilium correxi. Neque his finibus me continui, quin novas de meo in locum alienarum substituerem interpretationes, aut in notis relictis aliquid mutarem. Prius correctionum genus paucis quidem locis adhibendum

fuisse contendenti omnes facile fidem habebunt. In eorum, qui exempla desiderent, gratiam nonnulla loca tecum hic perlustrare iuvat. Ge. III, 543, *insolitae fugiunt in flumina phocae* notatum erat: *insolitae*, insolito more. Diversas esse notiones *insolitus locum peto* et *insolito more l. peto*, vides. Nam qui *insolitus* locum petit, facit, quod non consuevit, qui *insolito more*, sexcenties locum illum petere potuit, sed nunc adit eo, quo nunquam fecit modo. -- Aen. II, 199: *Hic aliud maius miseris multoque tremendum Obiicitur magis, atque improvida pectora turbat.* Heynius *improvida pectora* interpretatur: « Troianos, qui tale quid non praeviderant. » At quodvis prodigium natura sua inopinatum, neque praevideri potest. Ipse *improvida pectora* Troianorum intelligo, qui *capti dolis lacrimisque coactis* Sinonis fuisse in prioribus versibus dicti erant. Sed in his similibusque locis quemadmodum versatus sim, satis expositum videtur. Alterum autem correctionum genus, quod notis Heynii adhibui, ad ea pertinuit loca, ubi veris nonnulla falsa vel superflua admixta essent, aut in adolescentium gratiam perspicuitati intelligendique facilitati prospiciendum putavi. Ad Aen. IV, 471-473: *Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes* haec erant adiecta: « Orestes, Agamemnonis filius, Clytaemnestrae matris Furiis agitatus, dum matrem faces sibi et serpentes intentantem fugiens tecto prosilit, in foribus tecti Furias sibi

occurrere, seque adeo undique terroribus mentis, parricidii in matrem commissi consciae, exagitari videt.» In qua nota verba *seque adeo – exagitari* aut mutanda aut resecanda erant. Nam Orestes, insania correptus, *vere* matrem et Furias se videre credidit; neque de terroribus mentis malae et impiae cogitare potuit, quod ii faciunt, qui fabulae originem et causas investigant. Aen. II, 96, *verbis odia aspera movi*, Heynius ita: « exquisite pro, Vlyssis odium exasperavi, exacerbavi.» Inerat, quod offenderet. *Exasperare vel asperare odium alicuius* is recte dicatur, qui odium, quod homini inest, augeat; ut ostendunt vel verba Othonis apud Tacitum Hist. II, 48: *neu remanendo iram victoris asperarent*. At *movere odium*, *iram* Latine is dicitur, qui odium, iram concitat. Ovid. Amor. III, xi, 48, *Facta movent odium*. – Pariter interpretationem Ge. III, 9, *acer equis* h. e. arte equestri mutavi. Nam quum *acer* pro *peritus* dictum non sit, haud facile approbaveris compositionem: *acer arte equestri*. — Versui Aen. III, 317, haec apposita nota: « Excipiunt nos ea, quae nobis alia post alia accidunt et eveniunt.» Vsum si consulis, hic Te, formula *alia post alia* multitudinem et copiam significari, docebit. Sall. Iugurth. cap. 63: *Ab eo magistratu* (Marius) *alium post alium sibi peperit*, *semperque in potestate eo modo agitabat*, *ut maiore*, *quam gerebat*, *dignus videretur*. Similiter positum est *alius ex alio* apud Livium VII, 39: *quam mul-*

titudinem consul – alias ex aliis fingendo moras, retinebat. Illa vero notio quum aliena sit a loco Maronis : *Heu, quis te casus deiectam coniuge tanto Excipit?* orationem correximus. — Notas optimarum vaccarum enumerans Virgilius Ge. III, et hanc ponit v. 54 : *Tum longo nullus lateri modus.* Ibi Heynius: « lateribus porrectis, βαθυπλεύρους, esse vult eas vaccas. » Haec probata: at quae addita: « Latus autem pro toto corpore, perpetuo usu, » delevi, quum *latus* et illo loco proprie positum esset, neque usquam latine pro toto corpore usurpari meminissem. Exemplis certe comparatis, qualia haec sunt: Horat. Od. II, 7, 18, *fessum militia latus depone*, et Virg. Aen. VII, 108, *Corpora sub ramis deponunt arboris altae*, significationem illam nequaquam comprobari, intelligis. -- Ge. I, 141: *Pater ipse colendi Haud facilem esse viam voluit* in commentario erat scriptum: « Iam principio rerum ita constitutum est, ut labore omnia paranda sint. » Verba *iam principio rerum* aliena putavi. Nam de Iovis imperio Maronem loqui, sequentia ostendunt 125: *Ante Iovem nulli subigebant arva coloni.* Similiter in notis in Ge. I, 382; II, 453, 414-416; Aen. II, 441 sqq., ut alia omittam, nonnulla arbitratu meo refingere ausus sum. Neque vero illud silentio praetermittendum puto, me et id mihi imposuisse oneris, ut exempla, quae ad sententias et verba illustranda congessit Heynius, locis suis

inspicerem, numerosque et quae alia complura, editione ter excusa, operarum in primis incuria, vitiata essent, tacite corrigerem, atque etiam nonnulla haud apta delerem. Adde quod cavere studui, ne eiusdem rei explicatio bis iisdem verbis concepta exstaret: ut videre licet ex Aen. III, 444; VI, 75; I, 244, et Ecl. VIII, 6.

Reliquum est, ut iam de Latinitate Heynii dicam, quae quum saepe in varias incurrerit reprehensiones, tum nuperrime vituperatorem nacta est iniquiorem; virum dico, qui in ephemeridibus Ienensibus vitae abs te conscriptae censuram fecit. Heynius quidem, quod sciam, facultatem perbene Latine scribendi nusquam iactavit, neque in tanta laborum et occupationum mole satis otii sibi dari vidit, ut etiam ad linguae Latinae lauream merendam pulchri decorique sensum, quem a natura acceperat acerrimum, conferret et applicaret. Nam nisi diligentissima eademque continua auctorum vere classicorum lectio facultatem scribendi aleret, frustra hanc laudem quaeri, ille profecto, qua erat in his rebus sagacitate, quin bene animadverterit, non dubitamus. Altiora igitur sublime et erectum eius ingenium quum appeteret, in summa scribendi celeritate in primis perspicuum et fluens dicendi genus sequebatur. Neque tamen aequi rei aestimatores negabunt, orationem Heynii multis in locis ornatam esse et floridam, gravem et vehementem. Et simul illud reputent velim, scripta eius non eodem omnia metienda esse modulo, sed, quae ul-

timo aetatis decursu composuit, iis priora antecellere, nec non notis in auctores conscriptis orationes commentationesque opusculorum longe esse anteferendas. Itaque licet Ruhnkenio Ernestioque in arte Latine scribendi primas concedendas esse, manifesto appareat, quantum Gesner quidem, vir ceteroquin summis laudibus ornandus, hac laude Heynium in orationibus ceterisque scriptis academicis superet; ego quidem intelligere non possum. Neque in commentariis auctorum veterum orationem Gesneri multo emendatiorem castioremque notavi, nisi forte sententiam illam, qua Quinctilianum p. 128 illustravit, vitio carere iudices: « *Petierat* Aeschines, ut vel plane non *audiatur* Demosthenes, vel, si omnino audire illum *placeat*, ut certe *cogatur* intra formulam quasi manere. » Neque vero illi eloquentiae professores supra Heynium extollentur, qui talia scribere non erubuerunt: *Hic versus legi vult ut dactylicus, non ut anapaesticus.* Sed de Latini sermonis scientia et usu, qualem aetas nostra habet, in peculiari aliquando libello uberius apertiusque explanabo; nunc id agitur, ut illi sermoni, quo notas conscripsit Heynius, cur et quam adhibuerim correctionem, paucis exponatur. Vsu igitur cognovi, nihil in animis tironum teneris et mollibus ad suscipiendam qualemcunque formam altiores agere radices, firmiusque inhaerere, quam vitiosam et malam latinitatem. Quamobrem in studiis iuvenum regendis a nulla re vehementius dehortari soleo, quam ne li-

bros sordida et horrida oratione latina insignes tractent, quorum heu! magnum proventum recentior actas tulit, et quotidie affert, quum et disciplinarum liberalium professores fere latine nesciant, et critici ipsi maximam partem in malae latinitatis forma exhibenda, aut tanquam vilem nulliusque pretii rem fastidientes, aut pigritiae oscitantiaeque dediti, naviter elaborent. Itaque tironum ingeniis formandis quum haec destinata esset editio, eoque nomine opus suum magis perfici optasset Heynius, illud etiam mihi agendum esse intellexi, ut si quid vitii traxisset latinitas, aut si quid obscurius esset enuntiatum, mutarem et corrigerem. Emendatae igitur et purae orationis studiosus intactas relinquere non potui notas, quales sunt: « Aen. IV, 646, *ensemque relictum*, sc. dono ac munere. » « Aen. IV, 483. Quod vero ex Mauretania excitatam anum tamen Massylae gentis facit -- ita potius videtur accipiendum, ut anum Massylam solito more poëta omnino pro Libyca dixerit. » Cum quo componas velim locum e vita Virgilii per annos digesta an. 735. « Ab iis tamen, iussu Caesaris, Aeneidem emendatam esse, in eadem farragine memoratur, quod ita intelligas, ut emendarint quidem tollendo, non autem addendo» Quam vim particulae *sic* et *ita*, quamque verba, quibus adiunctae illae sunt, in constructione habeant, docetur optime loco Ciceronis de Offic. I, 27, §. 11, 12: *Atque illud superius* sic *fere* definiri *solet:* decorum id esse, *quod consentaneum sit ho-*

minis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat. Quae autem pars subiecta generi est, *eam* sic definiunt, ut *id decorum* velint *esse, quod ita naturae consentaneum sit*, *ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.* Qui autem criticam exercuerunt, aut commentarios scripserunt, plures formulas dicendi et constructiones invexerunt, quas, quamquam usu iam velut sancitas et nobis omnibus obrepentes, tamen ut alienas e latinitate eiiciendas esse censeo, et tollere studui. Ad id genus pertinet, quod emendandum erat Ge. II, 346 « tum *serere*, *semina*, *segetem*, iam saepe de vineis vidimus. » Cui constructioni in compositionibus *adhibere de*, *usurpare de* patrocinium profecto non quaeres. Non magis verbis peperci, ex Latinitate labente vel medii aevi petitis, ut *frumentosus*, *intempestuosus*, *luxuriantia*, *racemulus*, *recriminor*, *vitisatio*, quaeque Scholiastis et Grammaticis Latinis debemus. Et quamquam a vitio philologorum multorum, qui sine ratione et iudicio pedestrem et poëticam orationem in unum confuderunt, atque ad pessimorum Latinitatis auctorum, ut Flori, exempla se composuerunt, diligenter sibi cavit Heynius; erant tamen, quae sublata velles, ut formas *amantum*, *venantum*. Quamquam omnia huius generis ad vivum resecare non fuit consilium. Quam vero etiam perspicuitati diligentiam me adhibuisse professus sum, eam ad loca contuli, qualia haec sunt: Aen. I, 367: « Sed recte

βόειον βύρσαν, fabulam, a Graecis haud dubie ortam, poëta sequitur. » Aen. II, 248: « *Velare* proprium hac in re, suspensis super templorum postibus coronis ac sertis, etiam frondibus infulisque. Traduxit aliis locis poëta ad quodcumque coronandi genus, etiam victimarum vel sacerdotum, supplicum quoque, sola corona vel infula ac vitta. »

Habes, vir celeberrime, explicationem plenam operae et studii Virgilio, quem Heynius edidit, impensi; in quo si forte voluntati Tuae ac iudicio minus satisfeci, nonnihil vero, quae Tua est humanitas et aequitas, conditioni meae tribues. Nam quum et ante sors mihi obtigerit haud invidenda, tum hoc triennio nulla fere intercapedo fuit molestiarum et curarum, ut ne nunc quidem ex illis animus satis conquieverit. Quibus telis fortunae perpetuo vita mea petita, fieri non potuit, quin in studiis, quae amplexus sum, persequendis et promovendis casus incommodorum meorum me retardarint.

His ego literis si id effecissem, ut Tu, vir eruditissime, iudicares, me et fidei pietatisque in Heynium officia sancte servare et de studiis iuventutis bene mereri laborasse, existimabam, optandum quiddam me esse assecutum. Persuasum enim Tibi habeto, nihil me habuisse antiquius, quam ut Tuae existimationi satisfacerem, cuius et praeclaram in studiis antiquitatis intelligentiam admirarer, et summam erga me benevolentiam grato prosequerer animo. Vale, vir optime et integerrime, meque amantissimum Tui et fuisse semper existimes velim et futurum esse confidas.

Scrib. Gottingae d. X. Cal. Sept. cIↄIↄcccxv.

TIB. CLAVDIVS DONATVS

AD

TIB. CLAVDIANVM MAXIMVM

DONATIANVM FILIVM

DE

P. VIRGILII MARONIS VITA

CAPVT I.

Publ. Virgilius Maro parentibus modicis fuit, et praecipue patre Marone, quem quidam opificem fi-

Doctine huius Grammatici, cuius nomen prae se fert, fetus sit haec vita, nec ne, dubitatum est a viris doctis, quum tot ineptiis illa referta sit. Quamquam autem mature satis ineptire coepere Grammatici, et Donatus hic post Aelium Donatum, Hieronymi praeceptorem, vixit: non tamen haec narratio, nec, qualis est, ab homine docto proficisci potuit, nec tota ab aliquo plane indocto. Equidem ita sentio, fundum huius narrationis deberi Donato, mox tamen eam, quum passim transcriberetur, modo a grammaticis, modo a librariis monachis, quorum novam quisque narratiunculam, quam fando acceperat, exemplari suo inteseret, ita esse interpolatam, ut nunc in tali farragine plerumque dici vix possit, quid Donati fide proditum sit nec ne. Quae res vel ex eo manifesta fit, quod nullus facile est codex, in quo non vita haec modo plenius modo contractius perscripta legatur. Ex his viri docti, qui primi Virgilium edidere, talem nobis Donatum hunc videntur concinnasse, qualem nunc habemus. A Daniele multo emendatior ille fuit excusus, multa etiam emendata I. Fr. Gronovii acumine, qui et plus, quam par erat, operae in eo posuit, ut ex dicendi genere et consuetudine Ger. Vossii ad Velleium sententiam firmaret, a Suetonio fundamentum huius narrationis esse iactum, cui deinde alii Grammatici sua commenta superstruerent. Scilicet *Suetonius* etiam *Virgilii* nostri *vitam* scripsisse existimatur. Fuit etiam talis *vita Servii* nomine venditata, ad

gulum, plures Magii cuiusdam, viatoris, initio mercenarium, mox ob industriam generum, tradiderunt; quem quum agricolationi reique rusticae et gregibus praefecisset socer, silvis coëmundis et apibus curan-
2 dis reculam auxit. Natus est Cn. Pompeio Magno, M.

quam in Serv. Comment. pr. ad Eclogas §. 24 provocatur, quam tamen non eandem esse puto cum illa, quae in Danielis editione, et hinc in aliis, Aeneidi fere praefixa, sub Servii nomine circumfertur. Habemus aliam, quae *Probo* tribuitur. Sed nulla est, in qua non interpolatricem aut mutilatricem fo manumede grassantem agnoscas. Quae alii de *Donati* opere iudicarint, vide in iis, qui a Burmanno ad anthologiam lat. T. I, p. 369 laudantur. Mihi quidem sortem magnorum virorum et fortunam saepe mirari subiit, quorum nomen ad multam posteritatem propagatum quidem est, ita ut dignus tanto ingenio aut tanta virtute immortalitatis fructus iis tandem, qui meriti essent, contingere videretur; iis tamen temporibus, quum genus humanum gravibus superstitionibus captum erat, tantum saepe sordium nomen illud ex contagione saeculi contraxit, ut iam illa celebritas ad inepta rerum miracula, monstra, ac portenta rediret. In Virgilii memoriam fabulis absurdis contaminandam omnes monachorum tribus conspirasse videntur, qui, quum sanctorum suorum virorum memoriam tot pudendis et stultis miraculorum narrationibus foedarent, quid mirum, si in poëtae Romani laudibus adornandis nec minus miracula, omina, prodigia et reliquam huius generis τερατολογίαν ad taedium usque congesserunt.

§. 1. *Quem quidam—auxit*) Possunt haec ab interpolatore inserta videri. Figulum patrem facit etiam Phocas v. 6.

Magii cuiusdam, viatoris) Magii, qui avus Virgilii maternus fuisse traditur, nomen cum ceteris ineptiis malae haud dubie scripturae in nomine matris *Magae* et *Magiae* pro *Maiae* debetur. Secundum hoc avus maternus *Maius* dictus esse potuit. Mater, quae Probo *Polla*, Phocae v. 11 *Polla, Magii non infima proles*, dicitur, alii viro aliquando nupta esse debuit, quum infra §. 56 *Valerius Proculus ex alio patre frater* Virgilii memoretur, quem is heredem scripserat. Neque ea, quae de magicis poëtae artibus ex Elinandi monachi (mortuus is est circa 1227) Chronic. lib. XXVI narrat Vincent. Bellovac. Specul. hist. lib. VII, c. 61, et auctor Append. ad vitam S. Gulielmi in actis SS. T. V, Iun. p. 125, aliam originem, quam modo memoratam nominis scripturam habuisse videntur. Accessit forte, quod monachi ex Ecloga VIII in primis vss. 96 sqq. sacra magica meminerant. Copiose ea de re egit Naudeus, *Apologie des grands hommes soupçonnés de Magie* ch. XXI, et Baylius *Dictionnaire*, voc. *Virgile* lit. J. Haec eadem opinio de magica Virgilii scientia videtur effecisse, ut pro amuleto haberentur numi contorniati cum eius imagine efficta: cf. Misc. Obss. novae T. I, p. 16, Boulacre in *Mém. de Trevoux* 1743, *Avril.*

Silvis coëmundis) conducendis et redimendis mancipum, ut qui pecua pascebant. Sic iam Gronov.

Licinio Crasso primum Coss., Iduum Octobrium die,
in pago, qui Andes dicitur, qui est a Mantua non
procul. Praegnans eo mater somniavit Maia, enixam 3
se laureum ramum, quem contacta terra confestim
cerneret coaluisse, et excrevisse illico in speciem maturae arboris, refertae variis pomis et floribus; ac
sequenti luce, cum marito rus propinquum petens,
ex itinere divertit, atque in subiecta fossa partu levata est. Ferunt infantem, ut fuit editus, nec vagisse, 4
et adeo miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris geniturae iam tum indicaret. Et accessit aliud 5
praesagium: siquidem virga populea, more regionis
in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi
coaluit, ut multo ante satas populos adaequarit. Quae
arbor Virgilii ex eo dicta atque consecrata est, summa
gravidarum et fetarum religione, suscipientium ibi
et solventium vota.

II. Initio aetatis, id est, usque ad septimum annum, 6

§. 3. Quae hic ad fin. §. 5 forte ex interpolatione, de praesagiis, quorum pleraque e narrationibus de magnorum virorum, ut Cyri, Romuli, natalibus adumbrata, nonnulla ex ipso Virgilii nomine ducta sunt, memorantur, tantum non omnia Grammaticorum somniis sunt accensenda. Auget etiam ea Phocas Grammaticus in vita Virgilii v. 13-40. Poëtica suavitate haec condierunt Iov. Pontanus Vraniae lib. II, pag. 2968. Opp. T. IV. Politianus in Manto, digno carmine, quod cum ipsa Maronis lectione coniungatur.

§. 4. *Prosperioris geniturae*) Felicis ortus, prosperi fati, benigni horoscopi, ut ea vox Suetonio Aug. 94. Calig. 57. Vitell. 3. Vespas. 25. Tit. 9. Ita Gron.

§. 5. *Et accessit aliud praesagium*) *Et* aut delendum aut *accessit* et legendum esse, Gronov. monet. Hoc praesagium e Sveton. Aug. c. 94 sub f. adumbratum esse videtur: *Apud Mundam Divus Iulius* etc.

More regionis) Cf. Passer. Paralip. in Dempst. pag. 53. Vasc. Etrusc. tom. I, pag. 70.

§. 6. *Initio aetatis*) Ios. Scaliger ad Euseb. Chron. p. 156 ex Hieronymo ita emendat: *Initia aetatis, id est a XIV usque ad sedecimum annum Cremonae egit, et XVII anno virilem togam sumpsit*; conf. inf. vitam ad V. C. 696. Mihi verba *id est usque ad septimum annum* a seriore manu adiecta esse videntur; et desunt sane in aliis, in quibus ita haec exhibentur: *Initia aetatis Cremonae egit usque ad virilem togam, quam XVII anno natali suo accepit, iisdem illis coss. iterum, quibus erat natus.* Atqui hic annus V.

Cremonae egit; et XV anno virilem togam cepit, illis Consulibus iterum, quibus natus erat. Evenitque, ut
7 eo ipso die Lucretius poëta discederet. Sed Vırgilius Cremona Mediolanum et inde paulo post Neapolim transsiit. Vbi quum literis et Graecis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura omnique studio indulsit medicinae et mathematicae.

C. 699 erat XV ab a. 684. Vnde satis apparet, primitus haec tantum a Donato dictata fuisse: *Initia aetatis Cremonae egit usque ad virilem togam.* Sumebatur illa modo XV, modo XVI, XVII anno; cf. inf. Vitam ad V. C. 699.

Evenitque ut eo ipso die Lucretius poëta discederet) Hoc reiicit Gifanius in Lucretii vita, quia scilicet idem annum 701 Lucretii morti assignat, sed de coniectura, quam nullo argumento probatam video; annum vero 703 Hieronymus Chron. Euseb. Nec tamen iis, quae hic leguntur, satis fidem habeo, quum et ipsa emblematis speciem prae se ferant.

§. 7. *Et inde paullo post Neapolim transiit*) Aliter Hieronymus Chron. Euseb. v. inf. Vitam ad V. C. 701.

Literis Graecis) *Parthenio* quidem praeceptore, *quo Grammatico in Graecis Virgilius usus est.* Macrob. Sat. V, 17. Fuit is poëta, cuius liber *amatoriarum narrationum superest* (qui iterum prodiit hoc anno XCVIII, Gottingae). Expressit ex eius carminibus versus nonnullos Virgilius, ut Macrob. ibid. et Gellius IX, 9, XIII, 26 observant. Et Fabricius Bibl. Gr. Vol. II, pag. 677 ex Vossio memorat, in bibliothecae Ambrosianae codice Moreto Virgilii adscripta esse haec verba: *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Virgilius imitatus est.* vid. infr. Prooem. in Moretum.

De *Syrone* magistro vid. inf. ad §. 79, Ios. Scaliger ad Catalecta Virgilii, in Cirio pr. et Heinsius de Satyra Horat. lib. II, p. 98, etiam a *Catio* Insubro philosophiae Epicureae gustum accepisse volunt; coniectura ex eo docta, quod hic M. Catius Miltiades Insuber, et ex Epicuri secta philosophus, eo tempore Mediolani vixit. Meminere eius Cic. ad Div. XV, 16 et 19, Horat. Sat. II, 4 pr. Sed vide Baylium *Diction.* h. v. et Masson. Vita Horat. pag. 28. *M. Furium Bibaculum* oratorem et poëtam, cuius versus aliquot Sueton. recitat Ill. Grammat. 11, inter Virgilii et Vari magistros retulere alii. vid. Arisii Cremona literata T. I, pag. 17, 28. Legerant nimirum in Hieronymi Chron. Euseb. ad Olymp. 169, 3 (V. C. 652) *M. Furius poëta cognomento Bibaculus Cremonae nascitur.* In Gudiano Codice Guelpherb. bibliothecae Vita Virgilii erat praefixa, in qua poëta apud *Epidium* oratorem cum Caesare Augusto studuisse memoratur. Sane Epidius Antonium et Augustum docuisse ap. Sueton. traditur de Rhetor. IV.

De *Balista* e Phoca v. inf. ad §. 28.

Ceterum non definiam, an narrationi huic de medicinae et matheseos studiis Maronis aliquid veri insit. Videri potest ea esse profecta a monachis, qui in artibus mathematicis ad γοητείαν adhibitis et in medicina summam scientiae positam arbitrabantur.

III. Quibus rebus quum ante alios eruditior peritior- 8
que esset, se in Vrbem contulit, statimque, magistri
stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, multos
variosque morbos incidentes equis curavit. At ille in 9
mercedem singulis diebus panes Virgilio, ut uni ex 10
stabulariis, dari iussit. Interea a Crotoniatis pullus
equi, mirae pulcritudinis, Caesari dono fuit missus:
qui omnium iudicio spem portendebat virtutis et ce-
leritatis immensae. Hunc quum adspexisset Maro, magi-
stro stabuli dixit, natum esse ex morbosa equa, et nec
viribus valiturum nec celeritate: idque verum fuisse
inventum est. Quod quum magister stabuli Augusto re-
citasset, duplicari ipsi in mercedem panes iussit. Quum 11
item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, et
parentes eorum dixit Virgilius, et animum, celerita-
temque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio
panes duplicari.

IV. Dubitavit Augustus, Octaviine filius esset, an 12
alterius: idque Maronem aperire posse arbitratus est,
quia canum et equi naturam parentesque cognorat.
Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem 13
partem domus vocat, et solum rogat, an sciat quis-
nam esset, et quam ad felicitandos homines facultatem
haberet. *Novi*, inquit Maro, *te Caesar Auguste*, *et* 14
*ferme aequam cum diis immortalibus potestatem ha-
bere, ut, quem vis, felicem facias. Eo animo sum*,
respondit Caesar, *ut, si verum pro rogatu dixeris,
beatum te felicemque reddam. Vtinam*, ait Maro, *in-
terroganti tibi vera dicere queam!* Tunc Augustus: 15

§. 8—18. Vnde ineptissima narratio profluxerit, nemo facile assequatur; nisi forte cura equorum, canum et pecudum Georg. III libro tradita nugas has monachorum animis iniecit. Narrationis vanitatem iam perspexere alii viri docti. vid. Ruaeum Vita Virg. a 713. Martyn *Life of Virgil* pag. XXXI sq.

Putant alii me natum Octavio: quidam suspicantur alio me genitum viro. Maro subridens, *Facile,* inquit, *si impune licenterque quae sentio loqui iubes, id dicam.* Affirmat Caesar iureiurando, nullum eius dictum aegre laturum, immo non nisi donatum ab eo discessu-
16 rum. Ad haec oculos oculis Augusti infigens Maro, *Facilius*, ait, *in ceteris animalibus qualitates parentum a mathematicis et philosophis cognosci possunt; in homine nequaquam possibile est; sed de te coniecturam habeo similem veri, ut, quid exercuerit pater tuus,*
17 *scire possim.* Attente exspectabat Augustus quidnam diceret. At ille: *Quantum ego rem intelligere possum, pistoris filius es,* inquit. Obstupuerat Caesar, et statim, quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius: *Audi,* inquit, *quo pacto id coniicio: Quum quaedam enuntiarim praedixerimque, quae intelligi scirique non nisi ab eruditissimis summisque viris potuissent: tu, Princeps orbis, item et item panes in mercedem dari iussisti: quod quidem aut pistoris, aut*
18 *nati pistore, officium erat.* Placuit Caesari facetia. *At deinceps*, inquit Caesar, *non a pistore, sed a rege magnanimo dona feres:* illumque plurimi fecit, et Pollioni commendavit.

19 V. Corpore et statura fuit grandi, aquilo colore,

§. 19. Caput Virgilii e gemma Vrsini notissimum est; sed et passim eius vultus quum in gemmis, ut in Lipperti Dactyliotheca, tum in marmore, ut in Museo Capitol. I, 2, tum in codice Vaticano, ante Eclogam II et VI expressos videas. Christii hac de re libelli sunt: Epistola ad Saxium Vindiciis Virgilianis subiuncta, tum de Imaginibus poëtarum disputatio: et ad Dactylioth. Lippert. notata nonnulla. Adde Saxium in Indice Virgilii Iustic, p. 2, 17, 18, 85, et Onomast. p. 172. Nunc extra dubitationem positum est, imagines, quas habemus, Virgilii sine explorata ac certa fide tradi omnes: esse potius alias Apollinis, alias Musae, alias poëtae alicuius incerti. De numis per fraudem effictis ne quidem monere opus est. (Nuper de iis monuit iterum Eckhel Doctr. num. Vol. IV p. 351). Video quidem Martialis tempore (v. XIV epigr. 286) codices Virgilii pictam poëtae imaginem in fronte habuisse; sed rudi librariorum et indocta opera viri seden-

facie rusticana, valetudine varia. Nam plerumque ab
stomacho, et faucibus, ac dolore capitis, laborabat:
sanguinem etiam saepius reiecit: cibi vinique minimi.
Fama est, eum libidinis pronioris in pueros fuisse. 20

tis formam penicillo effictam fuisse, ex similibus exemplis iudicare licet; quale v. c. illud ipsum est, quod e codice Vaticano expressum ad calcem praefat. suae dedit Bottarius ad ant. Virgil. cod. fragmenta. Virgilii tamen imagines in bibliothecis passim visas fuisse Romae nullus dubito; etiam Alexander Severus in larario habuit Virgilii imaginem teste Lampridio. Quod, redemptoris, Fritschii, cura praefixum primae editioni, caput ex Iusticiano opere petitum erat, ex Museo Io. Molinosii, nobilis Veneti, profectum esse fertur, et est Apollinis caput, cuius similia alia passim visuntur (substitutum ei nunc est Vol. II aliud e Museo Capitolino). Circumfertur quoque numus Virgilii spurius. Eckhel Vol. IV, p. 351.

Corpore et statura fuit grandi) Sub Musaei persona suam expressisse visus est poëta Wartono, in Aen. VI, 666: *Musaeum ante omnes, medium nam plurima turba Hunc habent atque humeris extantem suspicit altis.*

Facie rusticana) Hoc fecit forte, ut Horatii locum Sat. I, 3, 29 sq. ad Virgilium referrent, ubi: *rideri possit, eo quod Rusticius tonso toga defluit et male laxus In pede calceus haberet*; ut et Ep. I, 1, 94. Ita et *torvum Maronem* apud Statium Silv. V, 3, 63 accipiebant, ubi de carminum severiore argumento agitur. Avertere labem hanc rusticitatis a poëta laborat Spencius in Polymeti p. 325. Facie subrustica exhibuere nobis Virgilium inter signa Palatii Capitolini ap. Dom. de Rubeis (Rossi *Raccolta di Statue antiche n. XXII*).

Ab stomacho) Confirmes ex Horatio Sat. I, 5, 48, 49: *Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque; Namque pila lippis inimicum et ludere crudis*; ubi schol. Cruquii: *se ait lippum, Virgilium autem crudum; laborabat enim stomachi cruditate, quod cibum ingestum difficulter concoqueret.*

Et faucibus) Forte hoc ex iis, quae inf. §. 42 memorantur, petitum.

§. 20. *Fama est*) Poterat tota haec macula ab nugacibus Grammaticis Virgilii memoriae adspersa videri ex iniquiore Eclogae II interpretatione, v. Argum. Ecl. II, nisi Martialis et Apuleii locis mox laudandis paulo molestiorem auctoritatem haberemus. Nec minus suspicionem movet Propertii locus lib. II, El. 34, 73, ubi ad Virgilium respicitur: *Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin Agricolae domini carpere delicias!* Verecundiam Virgilii defendebat Klotzius in disputatione, quam vide in Opusc. Defendit etiam Martinus ad Ge. IV, 520 et Baylius Diction. v. Virgile (A). Vt tamen accuratius hac de re cognoscere possit lector, subiiciemus revocatas ad certa capita calumnias. Et *Alexin* quidem seu Alexandrum, vero nomine, ab poëta adamatum fuisse vulgatissima fama est, quem alii a Maecenate, alii a Pollione, dono ei datum esse memorant. Fuere adeo, qui Caesaris Octaviani puerum fuisse traderent. Apud Martialem VIII, 56 loco satis noto de Maecenatis in eum liberalitate, subiicitur: *Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames. Adstabat domini mensis pulcerrimus ille, Marmorea fundens nigra*

Sed boni ita eum pueros amasse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, et Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum Ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione. Vtrumque non ineruditum dimisit: Alexandrum grammaticum, Cebetem vero et poëtam. Vulgatum est, consuevisse eum cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad

Falerna manu, Et libata dabat roseis carchesia labris, Quae poterant ipsum sollicitare Iovem. Excidit attonito pinguis Galatea poëtae, Thestylis et rubras messibus usta genas. Protinus Italiam concepit et arma virumque, Qui modo vix culicem fleverat ore rudi. Idem eo respexit lib. V, 16, 12: *Sed non hac veteres contenti laude fuerunt, Cum minimum vati munus Alexis erat.* Atque hanc famam multi sequuntur. Alteram de Asinio Pollione, huius liberalitatis auctore, quam Donatus hic et inf. §. 37 et Servius ad Ecl. II, 1 retinet, Apuleius iam amplexus est in Apolog. I, §. 13: *Quanto modestius Mantuanus poëta, qui—puerum amici sui Pollionis bucolico ludicro laudans, et abstinens nominum, sese quidem Corydonem, puerum vero Alexin, vocat.* In Servianis ad Eclog. II, 1 ab aliis Caesaris puer fuisse Alexis traditur. Ad eandem Eclogam v. 15, ad Donati fere fidem, *Tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio, et Cebetem puerum, cum Leria puella* (Aleria Plotia), *quos a Maecenate dicitur accepisse.* Singulare est, quod in Servianis ad Ecl. V, 89 legitur, ad versum: *Non tulit Antigenes: Aut pastorem quendam pulcerrimum dicit, aut choraulam significat, quem legimus admodum a Virgilio fuisse adamatum.* Choraules debuit esse puer aliquis chori cantibus tibia accinere solitus; de quo hominum genere v. Scalig. Animadvers. ad Euseb. p. 169, 170. Novum est, quod Pompon. Sab. ad Aen. VI sub f. de M. Marcello habet: »hic est, quem aiunt Virgilium intemperantia amoris exosculatum fuisse, praesente Augusto«.

Non ineruditum dimisit) Hoc *dimisit* tollendum censet Gronov.

§. 21. *Plotia Hieria.* al. *Plotia Aleria*) Alia narratio est apud Serv. ad Ecl. III, 20: *Varus tragoediarum scriptor, habuit uxorem literatissimam, cum qua Virgilius adulterium solebat committere; cui etiam dedit scriptam tragoediam, quam illa marito dedit tanquam a se scriptam. Hanc recitavit pro sua Varus, quam rem Virgilius dicit per allegoriam* v. 15 sqq. *Non ego te vidi.* Nimirum de Thyeste L. Varii loquitur; de qua fabula v. ad §. 30. Non reperio, unde Aeneas Sylvius petierit ea, quae in hist. de Euryalo et Lucretia narrat (p. 32 edit. Drudonis) »*Virgilius per funem tractus ad mediam turrim pependit, dum se muliercula sperat usurum amplexibus*«.

Asconius Pedianus) forte in libro *contra obtrectatores Virgilii.* v. inf. §. 64.

communionem sui, verum pertinacissime recusasse.
Cetera sane vita et ore et animo tam probum fuisse
constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur; ac
si quando Romae, quo rarissime commeabat, viseretur
in publico, sectantes demonstrantesque se subterfu-
gere solitum in proximum tectum. Bona autem cuius- 23
dam exsulantis offerente Augusto, non sustinuit acci-
pere.

VI. Possedit prope centies sestertium, ex liberali- 24
tatibus amicorum, habuitque domum Romae in Esqui-
liis iuxta hortos Maecenatis: quamquam secessu Cam-

§. 22. *Vt Neapoli Parthenias vulgo appellaretur*) Non Grammatici modo, verum etiam Ausonius ita tradit in Centone nupt. ad f. *Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris? qui VIII, Aen. quum describeret coitum Veneris atque Vulcani, αἰσχροσεμνίαν decenter immiscuit.* Nomen hoc et tota de pudore poëtae narratio ex solo *Virgilii* nomine conficta esse videtur, quasi a *virgine* ductum esset. Hinc a παρθένος *Parthenias.* Vidit hoc etiam Huetius Quaest. Alnet. lib. II, c. 15; conf. Bayl. *Diction.* voc. *Virgile* A. B. Potuit etiam alterum Neapolis nomen *Parthenope* Ge. IV, 564 homines male feriatos ad hoc commentum adducere; confer Fabrum ad Iustin. III, 4. Ceterum quantum monachi in Virgilii nomine interpretando ineptierint, dici vix potest. Vnum hic adferemus exemplum. In Codice Gudiano inter alia somnia legitur: Publius *dictus Virgilius a* pollice magno, *quem habebat; ut* Virgilius *dictus est a* virga lauri. *Sive*, Populi et Publii *dicebantur apud antiquos quasi* puppi *et* pupilli *vel orfani.* — Maro *dictus est a* mare. *Sicut enim mare abundat aqua, ita et ipsi affluebat sapientia plus ceteris poëtis.*

§. 24. *Centies HS*) Sunt 80,729 l. 3 s. 4 d. secundum Arbuthnotii computationem *Tables of anc. Coins* p. 115, h. e. ad nostros numos 484-374 thaleri. Gronov. in notis suis inf. ad §. 56,250,000 thaleros ex centies HS conficiebat. Recte itaque Iuvenalis VII, 66 sqq. *Magnae mentis opus nec de lodice paranda Attonitae, currus et equos faciesque deorum Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys. Nam si* Virgilio puer et tolerabile deesset Hospitium, *caderent omnes a crinibus hydri.* Debuit autem fortunam suam Maecenati, ut vel ex Martiale apparet lib. VIII, 56: *Risit Tuscus eques paupertatemque malignam Reppulit* etc.

Secessu Campaniae) h. in villa sua; habuit utique villam in agro Campano, non longe a Nola, ut ex narratione apud Gellium VII, 20 de contentione cum Nolanis de aqua in propinquum Virgilii rus ducenda colligas. De secessu autem Siciliae nulla alia est auctoritas. E loco Propertii II Eleg. extr. 67: *Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi* possit aliquis coniicere, etiam in agro Tarentino eum praedium habuisse.

paniae Siciliaeque plurimum uteretur. Quaecumque
25 ab Augusto peteret, repulsam nunquam habuit, Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos iam grandis amisit: ex quibus patrem oculis captum, et duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitum sub
26 nomine Daphnidis deflet. Inter cetera studia, ut supra diximus, medicinae quoque, ac maxime mathematicae operam dedit. Egit et causam unam omnino, nec am-
27 plius quam semel. Sermone tardissimum, ac paene indocto similem fuisse, Melissus tradit.

28 VII. Poëticam puer adhuc auspicatus, in Balistam, ludi gladiatorii magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, die, tutum carpe, viator! iter.

Deinde *Catalecton*, et *Moretum*, et *Priapeia*, et *Epi-*

§. 25. *Flaccum, cujus exitum sub nomine Daphnidis deflet*) Eadem Serv. ad Ecl. IV, 1 et 20, ubi et Philargyr., it. Epigr. CCII libri II Anthologiae Lat.

§. 27. *Melissus*) Est is C. Melissus, Spoletinus, Maecenatis libertus, de quo v. Sueton. de illustr. Grammat. 21. Scripsit fabulas togatas, unde Ovid. ex P. IV, 16, 30: *Et tua cum socco Musa, Melisse, levis*, ubi v. Heins.

§. 28. *Ludi gladiatorii magistrum*) lege *ludi literatorii*, si Phocas Grammaticus audiendus, in versibus de Vita Virgilii v. 41 sqq. Secundum hunc Balista Virgilii magister in elementis grammaticis fuerat. A Donato tamen, certe a prima manu, fuisse videtur *ludi magistrum*, ut iam in Ed. Ven. 1172 et in aliis, ut Danielis, edd. legitur: male interpolatum addito altero. Vidit hoc Burmannus ad Antholog. lat. Tom. I, pag. 367. Ceteroqui magnum acumen inesse disticho haud dixero.

Catalecton etc.) Nomen iam ap. Ausonium occurrit in Idyll. XII, quod Technopaegnion inscriptum. Declarat nomen carmina, quae haberi et censeri solent Virgilii, τὰ καταλεγόμενα εἰς τὰ τοῦ Μάρωνος. Est enim τῶν καταλέκτων liber; τὰ κατάλεκτα. Collectioni alicui eiusmodi praefixum esse debuit Epigramma 182, lib. II Antholog. latin. *Vate Syracosio* etc. Eodem referebat versum Ecl. VI, 1 *Prima Syracosio* Oudinus in Discept. de Culice Virgilii in Misc. Obss. crit. nov. Tom. IV, pag. 308. De iuvenilibus Virgilii poëmatibus post virorum doctorum, etiam Ruaei in Vita Vir-

grammata, et *Diras*, et *Culicem*, quum esset annorum quindecim. Cuius materia talis est: Pastor fatigatus 29

gilii ad a. 696 disputationes, iudicium nostrum in Prooemiis ad minora Virgilii carmina et Catalecta adiecimus. Interea haec monere sufficiat: Fuisse aliquando Culicem inscriptum carmen Virgilii passim habitum docet Martialis XIV, 185: *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis*; et VIII, Epigr. 56, 19, 20: *Protinus Italiam concepit et arma virumque, Qui modo vix culicem fleverat ore rudi*. Sueton. in Vita Lucani: *ut — sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere:* et quantum mihi restat ad Culicem? Statius Silv. II, 7, 74 de Lucano: *Haec primo iuvenis canes sub aevo Ante annos Culicis Maroniani*; et praef. Silv. lib. I, ubi veretur de Thebaide edenda: *sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus; nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Enimvero aut Culex ille Virgilii intercidit, et is, quem habemus, a Grammatico suppositus eius nomini est, aut misere foedatus ille est, laciniis pannisque variorum interpolatorum assutis. Alterum carmen, nec minus foede interpolatum, *Cirin* Cornelio Gallo vindicatum ivit Iust. Fontaninus hist. litt. Aquilei lib. I, c. 2, p. 32 sqq. repugnante Io. Schradero et aliis: sed de hoc v. Probem. in Cirin. Quod ad *Epigrammata*, inprimis *in Priapum*, attinet, lusisse poëtam huiusmodi quaedam dubitare nos non sinit Plinius Epp. V, 3. Nam ad maius aliquid quam eclogarum lusum spectasse videtur, dum Virgilium inter eos memorat, qui paulo lasciviora carmina condiderint: quamquam alteram sententiam Ovidii verbis tueri possis Trist. II, 537, qui, dum Virgilii exemplo se tuetur, non nisi Bucolica nominat: *Phyllidis hic idem teneraeque Amaryllidis ignes Bucolicis iuvenis luserat ante modis.* *Aetnam* Cornelii Severi vulgo habitam Lucilio iuniori nuper asseruit Wernsdorf. Poët. Lat. min. T. IV. *Diras* Valerii Catonis esse, a nemine facile nunc dubitatur. De *Moreto* vid. prooem. *Copam* cum aliis ad alios auctores referre non veremur. Mos enim ille vulgatissimus sive Grammaticorum sive librariorum fuit, ut sive ἀδέσποτα sive minora scripta clarissimo cuique scriptori adscriberent, saepe etiam in calce vacuis chartis illita carmina ad maioris carminis auctorem confidenter referrent. Ex *Epistolis* Virgilii ad Augustum duo loca memorat Macrob. Sat. I, 24, quamquam *Virgilium illa felicitas ingenii in oratione soluta reliquit*, Senecae iudicio Exc. Controv. lib. III. Augusti epistolas ad Virgilium laudat auctor Dialogi de Oratore c. 13 et Claudianus Epist. ad Olybr. (n. XLI) v. 23: *Dignatus tenui Caesar scripsis e Maroni.* Ceterum non pigebit locum ex Vincent. Bellovac. Spec. hist. VII, 62 adscribere, ubi, postquam ex eo, quod *pascua, rura, duces* tantum cecinisse memoratur Virgilius, colligit: *proinde Virgilius de Culice, et Virgilius de Aetna, quos Aurelianenses ad ostentationem et iactantiam circumferunt, inter auctores apocryphos separandi sint.*

Quum esset annorum XV) immo XXV, ut iam emendavit Oudin. l. c. pag. 309.

§. 29. *Cuius materia talis est*) Haec, et quae sequuntur, emblema e margine esse, manifestum est.

aestu quum sub arbore obdormisset, et serpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem contrivit, et visum serpentem interemit, ac sepulcrum culici statuit, et distichon fecit

Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

30 VIII. Scripsit etiam, de qua ambigitur, *Aetnam.* Et mox, quum res romanas inchoasset, offensus materia et nominum asperitate, ad *Bucolica* transiit: maxime ut Asinium Pollionem, Alphenum Varum, et Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis, Triumvirorum iussu, trans Padum dividebantur, indemnem se praestitissent. Deinde *Georgica* in honorem
31 Maecenatis edidit, quum sibi vixdum noto opem tulisset, adversus Claudii veterani militis, vel, ut alii

§. 30. *Quum res rom. inchoasset*) Ex illo Ecl. VI, 3: *Quum canerem reges et proelia.* Servius ad e. l. *Gesta regum Albanorum, quae coepta omisit, nominum asperitate deterritus. Alii Scyllam eum scribere coepisse dicunt, in quo libro Nisi et Minois regis Cretensium bellum describebat. Alii de bellis civilibus dicunt; alii de tragoedia Thyeste. Scylla* ad *Cirin* referenda esse videtur. *Thyestes* fuit L. Varii noblle opus, de quo, praeter scriptores historiae literariae, vide Rutgers. Lect. Venus. c. 3 et Intpp. ad Quintilian. Inst. Orat. X, 1, 98: *Iam Varii Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest.* cf. Philargyr. ad Ecl. VIII, 10. Virgilium auctorem fabulae Thyestis fuisse, Grammatici narrant. vid. Serv. ad Ecl. III, 20, inf. §. 81, et sup. ad §. 20. Alii Cassio Parmensi eam vindicarunt. v. Schol. Horat. Ep. I, 4, 3, quem illustravit Ruhnk. ad Vellei. p. 363 cum altero loco Acronis ad I Serm. 10, 62. De primis Virgilii in poëtica rudimentis elegantissimos Popii versus meminisse iuvat: *When first young Maro sung of Kings and Wars, Ere warning Phoebus touch'd his trembling Ears, Perhaps he seem'd, above the Critics Law* etc.

Maxime ut etc.) Hoc Grammaticus hinc comminiscitur, quia Asinii Pollionis Ecl. III, 84; IV, 12; VIII, 7; Vari Ecl. VI, 7 sq.: IX, 26, et Cornelii Galli Ecl. VI, 64 et X mentionem satis honorificam fecit. At res Augusti carmine se aggressurum esse minatur Ge. III, 10 sq.

In distributione agrorum) V. inf. Vitam ad a. 713.

§. 31. *Adversus Claudii — Arrii* etc.)

putant, Arrii centurionis, violentiam, a quo in altercatione litis agrariae parum abfuit quin occideretur.
Novissime autem *Aeneidem* aggressus est; argumentum 32
varium et multiplex, et quasi amborum Homeri carminum instar: praeterea nominibus ac rebus graecis latinisque commune, et in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis et Augusti origo, contineretur.

IX. Quum Georgica scriberet, traditur quotidie 33
meditatos mane plurimos versus dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se ursae more parere dicens, et
lambendo demum effingere. Aeneida prosa prius ora- 34
tione formatam, digestamque in XII libros, particu-
latim componere instituit, ut quidam tradunt. Alii 35

De Arrio cf. infr. §. 36. 96. Servius ad Ecl. IV, 1: *Virgilius, postquam pene occisus est ab Arrio centurione, Romam revertens mandavit procuratoribus suis, ut tuerentur agros suos et ad praesens obsequerentur Arrio*; idem Comment. pr. §. 13: *Ad quem* (agrum) *recipiendum profectus ab Arrio centurione, qui eum tenebat, pene est interemtus, nisi se praecipitasset in flumen Mincium, unde est allegorice*: Ipse aries etiamnunc vellera siccat. Conf. eundem ad Ecl. I, 48; III, 94; IX, 6, 23. Non admodum discrepant ea, quae alius Grammaticus inter Serviana ad Ecl. IX, 1 narrat: *Sane alii ordinem huius eclogae ita exponunt: Quum immunitatem agrorum Virgilius impetrasset, lis est exorta de finibus inter eum et eos, qui in proximo agros acceperant; ex quibus Clodius quidam dixit, se omnem litem amputaturum interfecto Virgilio; quem poëta stricto gladio se insequentem fugit in tabernam carbonariam, et beneficio institoris ex alia parte emissus servatus est.* Milienum Toronem (centurionem) primipilarem e Probo memorat Pompon. Sab., Mancinellus et alii.

§. 33. Facile apparet, haec, quae sequuntur, e variorum Grammaticorum sive iudiciis sive commentis esse consarcinata.

Vrsae more) Gell. XVII, 10: *Amici familiaresque P. Virgilii in his, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino.* v. rel. Quintil. Inst. X, 3, 8: *Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus.*

§. 34. *Vt quidam tradunt*) Impudentissimi profecto homines, qui infimi subsellii poëtastris usitatum morem tanto poëtae tribuere ausi sunt. At illud etiam insulsius, ad XXIV eum libros Aeneidem fuisse perducturum; quasi de annalibus ageretur. Fecit tamen hoc Mapheus Vegius, Laudensis, saec. XVI, qui XIII librum Aeneidi adiecit, quem iam in ed. Adami Rot 1471 et hinc in multis

eius sententiae sunt, ut existiment, eum, si diutius
vixisset, quatuor et viginti libros usque ad Augusti
tempora scripturum, atque alia quaedam percursu-
rum; Augusti vero gesta diligentissime executurum:
quippe qui, dum scriberet, ne quid impetum mora-
retur, quaedam imperfecta reliquit; alia levissimis
versibus veluti fulsit: quos per iocum pro tigillis vel
tibicinibus interponi a se dicebat, ad sustinendum
36 opus, donec solidae columnae advenirent.

X. Bucolica triennio Asinii Pollionis suasu perfecit.
Hic Transpadanam provinciam regebat; cuius favore,
quum veteranis Augusti militibus Cremonensium et
Mantuanorum agri distribuerentur, suos Virgilius non
37 amisit. Facta enim distributione, suos, seu Claudio
seu Arrio datos, recuperavit. Hunc Pollionem maxime
amavit Maro, et dilectus ab eo magna munera tulit:
quippe qui invitatus ad coenam, captus pulcritudine
et diligentia Alexandri, Pollionis pueri, eum dono
38 accepit. Huius Pollionis filium, C. Asinium, et Cor-
nelium Gallum, oratorem clarum, et poëtam non
mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is transtulit
Euphorionem in Latinum, et libris quatuor amores
39 suos de Cytheride scripsit. Hic primo in amicitia Cae-
saris Augusti fuit: postea, in suspicionem coniurationis
contra illum adductus, occisus est. Verum usque
adeo hunc Gallum Virgilius amarat, ut quartus Geor-

editionibus expressum reperias. conf. *Abauzit Oeuvres* Vol. II.

§. 36. *Bucolica triennio* etc.) Sic et Phocas v. 95 sqq. v. inf. Vitam ad a. 716.

§. 37. *Alexandri*) v. sup. §. 20.

§. 38. *C. Asinium*) Est is C. Asinius Gallus ex Tacito Ann. I, 42 et al. Dione LVII, 2 etc. satis notus.

De *Cornelio Gallo* vid. ad Ecl. VI, 64 et X pr. cf. quos laudat Burmannus ad Antholog. lib. II, Ep. 176.

§. 39. *Occisus est*) se ipsum interemit. v. Vita Virgil. a. 728.

Vt quartus Georgicorum) Eadem inter Serviana ad Ecl X, 1, Ge. IV, 1, quae an vera sint, valde dubito; non enim coniectare licet, quomodo Galli laudes in illo argumento locum habere potuerint; nec, si iam ante

gicorum, a medio usque ad finem, eius laudem contineret. Quem postea, iubente Augusto, in Aristaei fabulam commutavit.

XI. Georgica septennio Neapoli, Aeneida partim 40
in Sicilia partim in Campania duodecim confecit annis. Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque 41
per cantores crebra pronuntiatione recitarentur. At quum Cicero quosdam versus audisset, et statim acri indicio intellexisset non communi vena editos, iussit ab initio totam eclogam recitari: quam quum accurate pernotasset, in fine ait: *Magnae spes altera Romae.* Quasi ipse Linguae Latinae spes prima fuisset, et Maro futurus esset secunda. Quae verba postea Ae-

quatuor annos Georgica in vulgus exierant, locus potuit retractari.

§. 40. *Georgica septennio Neapoli*) De loco constat ex fine lib. IV Georg.; tempus Grammaticorum fide nititur.

§. 41. *Vt in scena*) Idem commentum in Servianis ad Ecl. VI, 11 memoratur, Eclogam sextam a Cytheride mima esse recitatam; narrationis tamen fundum idoneum reperire haud facile est, praeter quam Dialogum de Oratoribus c. 13: *testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.* Recitationes Romae in theatro factas esse, aliunde haud constat; et loca, e quibus id probatum ivere, vix dubitationem tollunt. Nam locum Ovidii Trist. V, 7, 25: *Carmina quod pleno saltari nostra theatro, Versibus et plaudi scribis, amice, meis*, de Medea intelligi posse docere videtur alter locus Tr. II, 519, 520: *Et mea sunt populo saltata poëmata saepe; Saepe oculos etiam detinuere tuos*— etsi quae sequuntur, *Nil equidem feci, tu scis hoc ipse, theatris,* obscurant rem. Ad haec tamen respondeas: saltem hoc ipsum exemplum, quod de Virgilii Bucolicis memoratur, satis esse ad morem testandum. Haec nisi essent, suspicarer, ex Ecl. VI, 66: *Vtque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis* lepidum hominem hanc narrationem de Gallo in Virgilium argute conferre sibi visum esse. Quod Ovid. Trist. IV, 10, 54, *carmina se populo iuvenilia legisse* ait, ad recitationes sane spectat, nec tamen in theatro factum esse necesse est. Dicemusne mimum aliquem in scena versus e Bucolicis interposuisse et laudasse? Iam vero illud quoque notabile, quod iam Ciceronis aetate *mima* in scena Romae memoratur; quum feminarum partes histriones et mimi agerent. A grammatico dicti sunt *cantores*. Serioribus aetatibus etiam feminas in scenam prodiisse, ex Patribus, quos appellamus, dicimus.

Quasi ipse) n. Cicero. Est haec grammatici narrantis interpretatio, quae et ap. Servium l. l. habetur. Quum Cicerone indignam hanc sui

42 neidi ipse inseruit. Georgica, reverso ab Actiaca victoria Augusto, atque reficiendarum faucium causa Atellae commoranti, per continuum quatriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vicem, quoties interpel-
43 laretur ipse vocis offensione. Pronuntiabat autem ma-
44 xima cum suavitate, et lenociniis miris. Seneca tradidit, Iulium Montanum poëtam solitum dicere, involaturum se quaedam Virgilio, si vocem posset, et os, et hypocrisim: eosdem enim versus, eo pronuntiante, bene sonare; sine illo, inarescere, quasi mutos.
45 XII. Aeneidos vixdum coeptae tanta exstitit fama, ut Sext. Propertius non dubitarit sic praedicare:

Cedite Romani scriptores, cedite Graii,
Nescio quid maius nascitur Iliade.

46 Augustus vero, quum tum forte expeditione Cantabrica

fraudem putaret Warton (*Life of Virgil.* p. 8) quandoquidem *Silenus*, Ecloga sexta, recitata esse traditur, credidit ille, posse dictum hoc ita accipi, ut, quum illa Ecloga physici sit argumenti, post Lucretium partes secundas Maronem obtenturum esse significaverit.

Inseruit) Aen. XII, 168: *Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae.*

§. 42. *Atellae commoranti*) Falsum hoc; nam a pugna Actiaca rediens Caesar ultra Brundisium, quo Senatum Roma evocaverat, non processit. v. Dio LI, 4. conf. inf. ad 724; aegrotans vero rediit in Italiam a pugna Philippensi, a. 712, verum ut et tum aliquantum Brundisii subsisteret. cf. Appian. pag. 1073, 1080; Plutarch. Anton. pag. 925. Dio XLVIII, 3. cf. Vita Virg. 724.

§. 44. *Iulium Montanum*) Heroica is et elegiaca scripserat. Ovidius ex P. IV, 16, 11: *Quique vel imparibus numeris, Montane vel aequis Sufficit, et gemino carmine nomen habes.* Meminit eius Seneca Ep. CXXII: *Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poëta, et amicitia Tiberii notus et frigore.* Afferuntur ibidem versus ex eo, tolerabiles et illi, nihil tamen de Virgilii recitatione. Neque eo spectant, quae apud Senecam Controvers. XVI extr. legas.

§. 45. *Sext. Propertius*) V. lib. II, Eleg. 25, (34) 65. Scripta autem illa Elegia esse debet V. C. 728, vel 729; nam mortis Galli mentio in ea fit v. 91, 92.

§. 46. *Quum tum forte*) Fortasse *qui tum.* Gron.

Expeditione Cantabrica) V. C. 729; v. inf. h. a. Macrob. Sat. I, 24: *Ipsius enim Maronis epistola, qua compellat Augustum, ita incipit:* « Ego vero frequentes a te literas accipio; *et infra:*

abesset, et supplicibus atque minacibus per iocum
literis efflagitaret, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba
sunt, vel prima carminis hypographa, vel quodlibet
colon mitteret, negavit se facturum Virgilius; cui
tamen multo post, perfecta demum materia, tres
omnino libros recitavit: secundum videlicet, quartum,
et sextum. Sed hunc praecipue ob Octaviam: quae, 47
quum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus,
Tu Marcellus eris, defecisse fertur; atque aegre re-
focillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio
dari iussit. Recitavit et pluribus; sed neque frequen- 48
ter, et ferme illa, de quibus ambigebat, quo magis
iudicium hominum experiretur. Erotem, librarium et 49
libertum eius, exactae iam senectutis, tradunt referre
solitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos
versus complesse ex tempore: et huic *Misenum Aeo-*

De Aenea quidem meo, si mehercule iam dignum haberem auribus tuis, libenter mitterem; sed tantum inchoata res est, ut pene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar; quum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiar.» Legant haec poëtae nostri et in sinu suo gaudeant, sibi ad carmina scribenda tanto apparatu opus non esse. De Epistolis Augusti ad Virgilium conf. sup. ad §. 28.

Vel prima carminis hypographa) Leg. *primam c. hypographen* suspicatur Burmannus. Gesnerus ad Claudianum p. 630 *hypographa* primum in chartas vel ceras coniecta esse notabat, nondum emendate et accurate perscripta.

Tres libros recitavit) Serv. ad Aen. IV, 324: « *Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat*. Dicitur autem ingenti adfectu hos versus pronuntiasse, quum privatim paucis praesentibus recitaret Augusto; nam recitavit primum libros tertium et quartum.» Vbi alii *primum, tertium et quartum*.

§. 47. *Ob Octaviam*) Eius filius M. Marcellus immatura morte obierat a. V. C. 731. v. Vitam ad h. a.

Dena sestertia) 80 l. 14 s. 7 d. sive circa 484 thaleros; XXV versus, tot enim de Marcello agunt, ad 2100 l. hoc est ad 12600 thaleris aestimati fuerunt. Apud Serv. ad VI, 862: « Et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviae esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium, nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc aere gravi donatus est, id est missis etc.» Vltima e Grammatici penu addita sunt.

§. 49. *Versus complesse*) Etiam hoc Grammatici acumen prodit: qui forte versibus a se expletis fidem et auctoritatem parare voluit. Versus sunt Aen. VI, 164, 165, ubi conf. Serv.

lidem, adiecisse, *quo non praestantior alter;* item huic, *Aere ciere viros*, simili calore actutum subiunxisse, *Martemque accendere cantu:* statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet.

50 XIII. Bucolica Georgicaque emendavit. Anno vero
51 quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit in Graeciam et Asiam secedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed, quum aggressus iter, Athenis occurrisset Augusto, ab oriente Romam revertenti, una cum Caesare redire statuit. Ac quum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, languorem nactus est: quem non intermissa navigatio auxit, ita ut, gravior in dies, tandem Brundisium adventarit: ubi diebus paucis obiit, decimo Kal. Octobr. C. Sentio, Q. Lucretio Coss.

52 XIV. Qui quum gravari morbo sese sentiret, scrinia saepe et magna instantia petivit, crematurus Aeneida: quibus negatis testamento comburi iussit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca et Varius
53 monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc

§. 51. *Tantum philosophiae vacaret*) Convenit cum sententia versuum pulcerrimorum Ge. II, 475 sqq. *Me vero primum dulces ante omnia Musae accipiant* etc.

Augusto ab oriente R. revertenti) ex itinere, quod e Sicilia per Asiam et Graeciam fecerat. vid. inf. Vitam ad 732—734.

Brundisium) Tarentum alii memorant. *Tarenti Apuliae civitate, dum Metapontum videre cupit, seu Brundisii, dum Megaram videre voluisset* (vides Grammaticorum seu Monachorum imperitiam, dum Donatum ante oculos habent §. 51) *quorundam iudicio invalitudine ex solis ardore contracta*: Vita Virgilii praemissa Edit. Ven. 1472, quae deinceps in Ed. Danielis Servio tribuitur. Inepti Grammatici lacinia est in Serv. ad Aen. II, 197, qua Thessaliam adisse Maro narratur.

§. 52. *Qui quum*) V. inf. ad 735.

§. 53. *L. Varius*) auctor Thyestae. v. sup. ad §. 30. Maecenati imputatur in Carm. ad Pison. 226 (quod Saleio Basso assignant Wernsdorf. P. L. M. Tom. IV, ubi v. p. 276) quod Varius tragoediae laude inclaruit: *Maecenas*

eidem Vario, ac simul Tuccae, scripta sub ea conditione legavit, ne quid adderent quod a se editum non esset, et versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent. Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, 54
ubi diu et suavissime vixerat; ac extrema valetudine hoc ipse sibi epitaphium fecit distichon:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Translata igitur iussu Augusti eius ossa, prout statue- 55

tragico quatientem pulpita caestu Evexit Varium. Locus corruptus: alii *gestu*, immo *gressu*; nam *gestu* scena vix quatitur, sed idem ab epico carmine commendatur ab Horat. Carm. I, 6, 1: *Scriberis Vario fortis et hostium Victor Maeonii carminis aliti*, h. poëtae, qui evolat carmine epico. Serm. I, 10, 44, *forte epos acer, Vt nemo, Varius ducit.* Versus eius aliquot heroicos adscripsit Macrob. VI, c. 1 et 2; corrupte tamen ibi laudatur: *Varius de morte.* At ex *Varii Panegyrico Augusti* petitos esse versus, quos Horatius inserit I Ep. 16, 27, 28, 29, testatur Schol. ad e. l. Collegit fragmenta Rutgers. Venus. Lect. c. 3, ut sup. ad §. 30 monitum est. Cum Virgilio tamquam alter poëtarum princeps nominatur Art. P. 55 et II Epp. 1, 247. Amicissimus Horatio v. Serm. I, 9, 23, quem etiam Maecenati commendaverat. vid. Serm. I, 6, 55. Male cum Varo a multis confunditur. v. Exc. ad Ecl. VI. De varietate in scriptura conf. Horreum in prooem. Miscell. Critic. Videtur ille quoque latere in loco Macrobii II, Sat. 4 pr. ubi de Augusti ioco de Aiace tragoedia ab eo inchoata: *postea Lucius gravis tragoediarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax suus et ille*, in spongiam, *inquit*, incubuit. Quae male ad Ciceronem transtulit Io. Lydus a Schow editus p. 50. Nuper multa de Vario certa et incerta fide disputavit, docte tamen, Ger. Nic. Heerkens in praefat. ad Icones, ut ei inventam in Germania tragoediam Tereum vindicaret. *Plotius Tucca*, male *Quinctilius Tucca* appellatur apud Probum in Vita Virgilii. *L. Varium et Plotium Tuccam* mox §. 56 Donatus excitat. *Plotius* et *Varius*, tanquam communes Horatii et Virgilii amici, laudantur Horat. Sat. I, 5, 40. Inter praestantissimos carminum indices refertur apud eundem *Plotius* Sat. I, 10, 81.

Et versus etiam imperfectos relinquerent) V. ad §. 59. Eosdem etiam libros distinxisse, narrant grammatici: qua de re vid. ad lib. V Aen. extr.

§. 54. *Distichon* hoc passim laudatur; est tamen tam ieiunum et ineptum, ut nemini facile fraudem faciat. *Calabri* declarant Brundisium. Aliud epitaphium in Cagianni, Principis feminae, Villa inventum, Mabillonius memorat Itin. Ital. p. 113: *Sistite, Viatores, quaeso pauca legite. Hic Maro situs est.* Videtur et hoc carmen otiosi hominis lusus esse.

rat, Neapolim fuere, sepultaque via Puteolana, intra lapidem secundum, suoque sepulcro id distichon, quod fecerat, inscriptum est.

56 XV. Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Pro-
culum, fratrem ex alio patre, ex quarta Augustum,
ex duodecima Maecenatem, ex reliqua L. Varium et
Plotium Tuccam: qui eius Aeneidem post obitum,
prout petiverat, iussu Caesaris emendaverunt; nam
nullius omnino sententia crematu Aeneis digna visa
57 fuit: qua de re Sulpicii Carthaginiensis exstant huius-
modi versus:

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul; tu, maxime Caesar,
Non sinis, et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamos igni,
Et pene est alio Troia cremata rogo.

§. 55. *Sepulcro*) Quod adhuc monstratur, ad ingressum cryptae Pausilypanae; quodque magicis poëtae artibus monachi narrarunt effossum. Memorant de eo omnes, qui ad haec loca accessere: nt singulos excitare velle putidum foret. v. saltem Holdsworth *Remarks on Virgil* p. 501. Egere porro de eo multi: in quibus videndi Cluver. Ital. ant. IV, 3, p. 1153, qui tamen in censuram venit Holdsworthi p. 5. Capacius Hist. Puteol. cap. 34, et Hist. Neap. lib. II, cap. 2. Cam. Peregrinius de Campania Felice diss. II, S. 20. Scip. Mazzella p. 203. Verum praestat nunc adire Paoli Antiqq. Puteol. fol. 10 sqq., ubi et expressa loci facies, nec minus speciose apud Hamilton. Campi Phlegraei T. II, t. 46. Adde Fabric. Bibl. Lat. Vol. II, p. 227* Burmann. ad Antholog. lib. II, Ep. 198 et in praef. perdocta ad Dorvillii Sicula p. XXV. Silius Italicus illud *monumentum* Virgilii *adire, ut templum, solebat* Plin. Epist. III, 7. De quo Maroniani sepulcri cultu v. Martial. XI, 49 et 51. Ex quibus locis male lectis et acceptis Silium etiam Virgilii villam emisse tradunt, qui Silii vitam composuerunt: quamquam Virgilii agrum non longe a Nola fuisse, supra ad §. 24 commemoravimus. Etiam Statius Silv. IV, 4, 51: *En egomet—Maroneique sedens in margine templi Sumo animum et magni tumulis adcanto magistri.*

§. 56. Romanus aliquis scripturus fuisset: Heredes fecit ex semisse Val. —ex quadrante Augustum, uncia Maecenatem, ex sextante qui supererat, L. Varium et Tuccam. —*Maecenatem.* Is adeo superstes fuit Maroni. At Maroni adscripserant grammatici Elegiam in Maecenatis obitum.

§. 57. *Sulpicius Carthaginiensis*) Grammaticus. Eius carmen vide etiam ap. Scalig. Catal. pag. 140, Anth. Lat.

Exstant et Augusti de ipsa eadem re versus plures et 58
clarissimi, quorum initium est:

Ergone supremis potüit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?

Et paulo post:

Sed legum servanda fides: suprema voluntas
Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies. Et ea quae sequuntur.

Nihil igitur auctore Augusto Varius addidit, quod et 59
Maro praeceperat, sed summatim emendavit, ut qui
versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit.

lib. II, epigr. 174.—*historiae* sane vs. 4 parum commode fit memoratio; deb. *Latia Musa* memorari; aut *Latio* s. Romano *nomini*. Dici tamen potest auctor carminis respexisse origines Iuliae gentis et Romanorum a Troianis, quae Aeneidis argumentum constituunt.

§. 58. *Augusti*) Grammatici alicuius sub Augusti nomine: in Pithoeo p. 70. Catalectis p. 141 et in Anthologia II, 184. Videas tamen Voltarium horridos hos et ineptos versus non modo Augusto tribuere, verum etiam magnopere probare: *ils sont beaux et semblent partis du coeur. Essai sur la Poésie épique* chap. 3. Ita vides, ad verum pulcrarum sententiarum sensum et iudicium sermonis intelligentiam aliquam esse necessariam. (Infr. Testim. IV et VII).

§. 59. *Hos multi mox supplere conati*) cuius generis versus multos passim in suspicionem adduximus; alios dudum eiecere critici. Fuere tamen etiam recentiores, qui inanem operam in explendis his versibus collocarent; ut Nannius Miscell. VI, 10, et Vanierius, de quo I. M. Heinzii, viri docti, Gymnasii Wimar. directoris, est commentatio. Illud vero vix fieri potuisse putes, ut existerent homines ingeniosi et qui sibi subtiles et acuti viderentur, qui in versibus his imperfecte relictis iudicium poëtae et miram sagacitatem quaererent; scilicet ut argumenti gravitate tacto lectoris animo ad meditandum mora daretur. Qua de re cf. Disquis. I ad Aen. extr. Vnum est Servii scholion ad Aen. IV, 361, in quo simile iudicium veteris Grammatici legere memini: *Et oratorie*, inquit, *ibi finivit, ubi vis argumenti substitit.* Atqui illud saltem recte is perspectum habuit *oratorium* id esse. Sane ipsa res id ferre debuit, ut nonnullis in locis, sententia absoluta, ingenii impetum poëta inhibere nollet, utque ad alia properaret, relicto et seposito versu imperfecto in aliud tempus, quod ei mors maturior invidit.

Hos multi mox supplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem; quod omnia fere apud eum hemistichia, praeter illud: *Quem tibi iam Troia pe-*
60 *perit*, sensum videntur habere perfectum. Nisus, grammaticus, audisse se a senioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse, et, qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demtis versibus:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et egressus silvis, vicina coëgi,
Vt quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

XVI. Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. Nec mirum. Nam ne Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:

61 *Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?*

Quem tibi iam Troia) Aen. III, 340. Paulo ante *si qui erant* leg. cum Gronov. *sicut erant.*

§. 60. *Nisus Grammaticus*) Nomen eius passim occurril in Grammaticorum scriptis, etiam in Macrobio, ubi Sal. I, 12 eius *Commentarii fastorum* laudantur.

Duorum librorum ordinem commutasse) Indoctum hoc, et indoctius adhuc enuntiatum; res ita se habet apud Servium pr. in Aen. » licet quidam superflue dicant, secundum (librum) primum esse, tertium secundum, et primum tertium, ideo, quia primum Ilium concidit etc. » scil. ad ordinem rerum gestarum iudicio facto, non ex epicae narrationis lege.

His demptis versibus) Atqui non demtos eos, sed ab alia potius manu adiectos Virgiliano operi esse dicendum erat; quum a natura fabulae epicae praefixa huiusmodi narratio poëtae de se abhorreat. In Edit. 1472 ita hoc loco legitur: *Vnde intuemur aliquos versus detractos in principio, ut:* Ille ego, qui quondam, *et in secundo* (v. 566): ibi aut ignibus aegra dedere. Ab aliis post Servium in Vita Virg. quae praefixa est Aeneidi, inter recisos versus numerantur XXII versus Aen. II, 567 sqq., ubi vide.

§. 61. *Quo tegmine fagi?*) forte, *quo tegmina fagi?* h. in quem usum? ut Gronov. Nec tamen vel sic acumen assequor. Alia parodia est apud Serv. ad Ge. I, 210: *Hordea qui dixit, su-*

sequentis:

> *Dic mihi, Damoeta, cuium pecus, anne Latinum?*
> *Non; verum Aegonis nostri; sic rure loquuntur.*

Alius, recitante ea ex Georgicis: *Nudus ara, sere nudus*; subiecit, *habebis frigora, febrem.*

Est et adversus Aeneida liber Carvilii Pictoris, ti- 62
tulo Aeneidomastix. M. Vipsanius a Maecenate eum
suppositum appellabat novae κακοζηλίας repertorem;
non tumidae, neque exilis, sed ex communibus verbis,
atque ideo labentis. Herennius tantum vitia eius con-
traxit; Perilius Faustinus furta. Sunt et Q. Octavii 63
Aviti Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur,
quos et unde versus transtulerit. Asconius Pedianus,
libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca
admodum ei obiecta ponit, et potissimum, quod non
recte historiam contexuit, et quod pleraque ab Ho-
mero sumsit. Sed hoc crimen sic defendere assuetum
ait: *Cur non illi quoque eadem furta tentarent? Ve-* 64

perest ut tritica dicat, h. debet et de his praecipere. Porro *cuium pecus anne Latinum*, cum Gronovio ita intellige: anne Latinum hoc est, si *cuium pecus* dicas? Venire potest in hunc censum pictura Herculanensis Tom. IV, p. 166, in qua Aeneas et Anchises humeris impositus et manui Ascanius implicitus, omnes exhibiti sunt cercopithecorum speciem referentes.

§. 62. De *Carvilio Pictore* nihil aliud reperiri memini. An forte ei debeatur pictura scurrilis modo memorata, quaerit *Pasquale Carcani Pictur. Hercul.* Tom. IV, p. 166 et 368. *M. Vipsanius* Agrippa *eum*, Virgilium, *appellabat novae κακοζηλίας repertorem*, quasi Maecenati ea in re gratificaretur poëta, cuius molle et discinctum scribendi genus passim perstringitur a veteribus. Quae sit *labens* cacozelia, obscurum est; an *labantem*, hoc est incertam, mediam inter tumidam et exilem dicere voluit? Multo magis putes Maronem obviam ivisse Maecenatis pravae et affectatae dictioni. Apud Serv. ad Aen. VIII, 310 » Hoc etiam Maecenas in Symposio, cui Virgilius et Horatius interfuerant, quum ex persona Messalae de vino loqueretur ait: idem humor ministrat faciles oculos, pulcriora reddit omnia, dulcis inventae reducit bona. » *Herennius* qui fuerit, non liquet. *Herennius Senecio* aliquoties in Epp. Plinii occurrit. Nec quicquam constat de *Perilio Faustino*, aut de *Q. Octavio Avito.*

§. 64. *Cur non illi*) Dictum hoc Vincent. Bellovac. Specul. hist. VII,

rum intellecturos, facilius esse Herculi clavam, quam Homero versum surripere; et tamen destinasse secedere, ut omnia ad satietatem malevolorum decideret.

65 XVII. Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiae expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset; neminem vituperare, laudare bonos; ea humanitate esse, ut, nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo, sed amaret. Nihil pro-
66 prii habere videbatur. Eius bibliotheca non minus aliis doctis patebat, ac sibi; illudque Euripidis antiquum saepe usurpabat, τὰ τῶν φίλων κοινά, hoc est, *communia amicorum esse omnia*. Quare coaevos omnes poëtas ita adiunctos habuit, ut, quum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent;
67 Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anser vero, quoniam Antonii partes sequutus est, illum non observasse dicitur. Cornificius ob perversam na-

62 repetit, una cum illo sup. §. 34 de ursa. Alia, quae *Asconius* de Virgilio tradidisse memoratur, v. sup. §. 21. Serv. ad Ecl. III, 105; IV, 110. *Assuetum*) N. Virgilium. Mox videtur legendum: *destinasse se, cedere, ut — recideret.*

§. 65. Egregii mores poëtae, et quales in tali ingenio esse debuisse divines! Confirmat Horat. Sat. I, 5, 40: *Plotius et Varius — Virgiliusque animae, quales neque candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter*. Ex tota vita, si nihil aliud de poëta traditum esset, haec saltem censura cum omnibus bonis commendaret.

§. 67. *Anser*) De quo Ovid. Trist. II, 435: *Cinnaque procacior Anser*. Adde Propert. II extr. 83, 84: *Nec minor his animis, nec se minor ore canorus Anseris indocti carmine cessit olor*. Forte: *Nec minor his animi, nec segnior ore, canorus — olor*. Virgilius, in his, quae luserat, nec minore spiritu, nec remissioribus numeris, Ansere superior erat. De *Ansere* Serv. ad Ecl. VII, 22, IX, 36. Graviore auctoritate *Cimber* inter inimicos Virgilii numeretur ex Quintil. Inst. VIII, 3, 27, 28. *Cornificius* Ovidio Trist. II, 436 memoratus: *Et leve Cornifici parque Catonis opus*. cf. ib. Burm. Catullianus Cornificius intelligi hic nequit. Hieronym. in Chron. Euseb. MDCCCCLXXVI (ad V. C. 712) *Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos saepe fugientes galeatos*

turam illum non tulit. Gloriae vero adeo contemtor fuit: quum quidam versus quosdam sibi adscriberent, eaque re docti haberentur, non modo aegre non ferebat, immo voluptuosum id illi erat. Quum enim di- 69
stichon, quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore affixisset (id erat eiusmodi:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Iove Caesar habet);

diu quaeritans Augustus, cuiusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat. Bathyllus vero poëta quidam mediocris, tacentibus aliis, sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque a Caesare fuit. 70
Quod aequo animo non ferens Virgilius, iisdem valvis affixit quater hoc principium: *Sic vos non vobis.* Postulabat Augustus, ut hi versus complerentur: quod quum frustra aliqui conati essent, Virgilius, praeposito disticho, sic subiunxit:

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quo cognito, aliquamdiu Bathyllus Romae fabula fuit, Maro vero exaltatior.

lepores vocaverat. Huius soror Cornificia, cuius exstant insignia epigrammata. Quibus vereor ne fabulae adspersae sint. Alioqui si hoc anno periit Cornificius, illa narratio de inimicitiis eius cum Virgilio exercitis concidit, quum is non nisi post Cornificii mortem inclaruerit. Servius ad Ecl. II, 38 per *Amyntam* Cornificium vult intelligi, quia is conatus est contra Virgilium scribere; cf. eund. ad Ecl. V, 8. Adde inf. §. 76. In argumentis Cod. Gud. Damon Ecl. VIII est Cornificius, et Alphesiboeus Virgilius.

§. 69, 70. Totam de hoc *disticho* et de quaternis istis hemistichiis narrationem ineptum Grammatici seu monachi commentum esse existima.

71 XVIII. Quum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret; respondit, se aurum colligere de stercore Ennii. Habet enim poëta ille egregias sententias sub verbis non multum ornatis.
72 Interroganti Augusto, quo pacto civitas feliciter gubernaretur: *Si prudentiores*, inquit, *temonem tenuerint, et boni malis praeponantur: itaque optimi suos habeant honores, nulli tamen aliorum iniusti quid-*
73 *quam fiat.* At Maecenas: *Quid*, inquit, *Virgili, satietatem homini non adfert? Omnium rerum*, respondit, *aut similitudo aut multitudo stomachum facit,*
74 *praeter intelligere.* Idem interrogavit: *Quo pacto quis altam felicemque fortunam servare potest?* Cui Maro: *Si quantum honore ac divitiis aliis praestantior sit, tanta liberalitate et iustitia alios superare nitatur.*
75 Solitus erat dicere: *Nullam virtutem commodiorem homini esse patientia; ac nullam asperam adeo esse fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat.* Quam sententiam in quinto Aeneidos inseruit:

> *Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;*
> *Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferenda est.*

76 Quum quidam eius amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias sibi enarraret: *Quam putas*, inquit, *esse huius malevolentiae causam? Nam neque unquam Cornificium offendi, et eum amo. An*, inquit, *Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, et poëtam poëtae? De malis*, inquit, *Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Maiore enim cura virtuti intendam; atque quo*

§. 72. Videntur homines lepidi, quicquid unquam pulcrarum sententiarum reperirent, ut clarum et gravem auctorem darent, in Virgilium cumulasse

elegantior ego fiam, eo vehementiore invidia rumpetur. Erat Augusto familiaris Philistus quidam, orator et poësin mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat, quique omnium omnia dicta reprehendere conabatur: non ut verum dignosceret, quod Socrates facere consuevit, sed ut eruditior videretur. Hic Virgilium, ubicumque convenire dabatur, maledictis salibusque vexabat. Quare ille saepe aut tacibundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat. Verum, quum Augusto audiente elinguem illum diceret, et causam etiam suam, si linguam haberet, defendere nequire: *Tace*, inquit, *rabula. Nam haec mea taciturnitas defensorem causarum mearum Augustum fecit et Maecenatem; et ea tuba, quum volo, loquor, quae ubique et diutissime audietur. Tu loquacitate non modo aures hominum, sed muros rumpis.* Augustus vero Philistum gravi vultu increpavit. Tunc Maro, *Si tempus, Caesar*, inquit, *tacendi hic sciret, raro loqueretur. Tacendum enim semper est, nisi quum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis prosit. Nam qui contendit, et an contentionis finis utilis sit, non novit, stultis illum annumerandum sapientes putant.* 77

XIX. Posteaquam Augustus summa rerum omnium potitus est, venit in mentem, an conduceret tyrannidem omittere, et omnem potestatem annuis consu- 78

§. 77. *Philistus* cum suo dicto commentitius Grammaticorum homo esse videtur. Philistos varios enarrat Fabric. ad Dionem XXXVIII, 18, §. 89, sed nullus ex iis hic locum habet. *elinguem* quod dixit, videtur dictum respicere Melissi sup. §. 27.

§. 78. *Posteaquam Augustus* etc.) Commentum hoc parum acuti hominis esse, monere necesse non est; conf. Ruaeum Vita Virg. ad 725. Scilicet poëtarum consilia hisce de rebus expetent tyranni! Forte ex Rhetorum scholis fluxit, in quibus declamationis argumento inservire potuit. Wartonus tamen (*Life of Virgil* p. 25) narratiunculam admodum probat, et ex Platone petitam, Aen. I, 152 — 157 expressam esse existimat. Maecenatis et Agrippae disputationes hac de re ex Dione notae sunt: forte et illae in scholis rhetorum natae.

libus, et senatui rempublicam reddere; in qua re diversae sententiae consultos habuit, Maecenatem et Agrippam. Agrippa enim utile sibi fore, etiamsi honestum non esset, relinquere tyrannidem longa oratione contendit, quod Maecenas dehortari magnopere conabatur. Quare Augusti animus et hinc ferebatur et illinc. Erant enim diversae sententiae, variis rationibus firmatae. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini, se in sua republica tyrannum facere. Tum ille, *Omnibus ferme*, inquit, *remp. aucupantibus molesta ipsa tyrannis fuit, et civibus: quia necesse erat propter odia subditorum, aut eorum iniustitiam, magna suspicione magnoque timore vivere. Sed si cives iustum aliquem scirent, quem amarent plurimum, civitati id utile esset, si in eo uno omnis potestas foret. Quare si iustitiam, quod modo facis, omnibus in futurum nulla hominum facta compositione distribues; dominari te, et tibi conducet, et orbi. Benevolentiam enim omnium habes, ut deum te et adorent et credant.*

79 Eius sententiam sequutus Caesar principatum tenuit. Audivit a Syrone praecepta Epicuri; cuius doctrinae socium habuit Varium. Quamvis diversorum Philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo maxime videatur, ipse tamen fuit Academicus: nam Platonis sententias omnibus aliis praetulit.

Consultos) *Consultores* emendat Gronov. Mox *et civibus* inutile est; nisi *f. ut c.* Paulo post *nulla hominum facta compositione* obscurum est. Dictum esse debet pro: nullo habito respectu.

§. 79. *A Scirone*) Lege *a Syrone*. Syronem, Epicureum, Ciceroni amicissimum et optimum virum intellige, de quo Cicero Fin. II, 35, ad Div. VI, 11. Eum Virgilii et Vari magistrum fuisse passim Grammatici monent. vid. Phocas in Vita Virg. v. 63, 64; Serv. ad Ecl. VI, 13; Aen. VI, 264. cf. Not. ad Ecl. VI pr. Epigramma Virgilii ad Syronis villam v. in Catalectis et in Antholog. p. 677, in quo ei suos amicos et patrem eo videtur tempore commendare, quum ex agro suo veteranis assignato Romam discederet. *Magni docta dicta Syronis* laudantur ibid. lib. II, Epigr. 243.

Ipse tamen fuit Academicus) Velim constet satis nobis de veritate huius

XX. Nunc quoniam de *auctore* summatim diximus, 80
de ipso iam *carmine* dicendum videtur: quod bifariam
tractari solet, hoc est, et *ante opus*, et *in ipso opere*.
Ante opus, *titulus*, *causa*, *intentio*. Titulus, in quo
quaeritur, cuius sit. Causa, unde ortum sit, et quare
hoc potissimum sibi ad scribendum poëta praesumserit.
Intentio, in qua cognoscitur, quid efficere conetur
poëta. In ipso opere sane tria spectantur, *numerus*,
ordo, *explanatio*. Quamvis igitur multa ψευδογραφῆ, id 81
est, falsa inscriptione, sub alieno nomine sunt pro-
lata, ut Thyestes tragoedia huius poëtae, quam Varius
edidit pro sua, et alia huiuscemodi: tamen *Bucolica*
liquido Virgilii esse minime dubitandum est; prae-
sertim quum ipse poëta, tanquam hoc metuens, prin-
cipium huius operis et in principio Aeneidos et in
alio carmine suum esse testatus sit, dicens:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena,

et reliqua: et,

Carmina qui lusi pastorum, audaxque iuventa,
Tityre te patulae cecini sub tegmine fagi.

Bucolica autem et dici, et recte appellari, vel hoc 82
solum indicium suffecerit, quod hoc eodem nomine
apud Theocritum censeatur. Verum *ratio* quoque de-
monstranda est. Tria sunt pastorum genera, quae
dignitatem in Bucolicis habent: quorum qui minimi
sunt, αἰπόλοι dicuntur a Graecis; iidem a nobis ca-
prarii: paulo honoratiores, qui ποιμένες, id est, opilio-

rei. Vulgo pro Epicureo haberi solet Virgilius. Etiam Auctor Ciris v. 3, 4, profitetur philosophiae Epicureae studium. cf. ad pr. Ecl. VI.

§. 80. Quae sequuntur, male narrationi de vita subiecta sunt, quum ad sola Bucolica respiciant, atque his potius praefigenda sint. Sunt vero ea ita comparata, ut non magnum inde fructum capere possis.

§. 81. Ψευδογραφῆ· immo ψευδεπιγραφῆ. De *Thyeste* v. sup. ad §. 30.

nes dicuntur: honestissimi, et maximi, βουκόλοι, quos bubulcos dicimus. Vnde igitur magis debuit pastorali carmini nomen imponi, quam ab eo gradu, qui apud
83 pastorales excellentissimus invenitur? *Causa* dupliciter inspici solet: ab *origine* carminis, et a *voluntate* scribentis.

84 XXI. *Originem* autem Bucolici carminis alii ad aliam causam ferunt. Sunt enim, qui a Lacedaemoniis pastoribus Dianae primum carmen hoc redditum dicant, quum eidem deae, propter bellum, quod toti

§. 82. *Quam ab eo gradu, qui apud pastores excellentissimus invenitur*) Ineptum est hoc, quamquam apud Grammaticos passim obvium, etiam Graecos, ut ante Theocritum, in: περὶ διαφορᾶς τῶν βουκολικῶν. Obtinuerat usus, ut βουκόλοι eodem modo, quo ποιμένες, omnino de quocumque pastorum genere dicerentur, utque adeo βουκολικὸν simpliciter esset *pastoritium*. Multa tamen ex hac etymologia suaviter eliciunt scriptores, qui de bucolico carmine egerunt: v. c. *Quadrio*, verbosus homo, *della Storia e della Ragione d' ogni Poesia* Vol. II, pag. 600.

§. 84. *Originem*) v. quam Eclogis praemisimus de genere bucolico disputatiunculam. Nihil in omnibus bis, quae memorata sunt, est, in quo acquiescere possis. Non vident homines docti, aliud esse carmen bucolicum arte elaboratum, aliud rude et indoctum, quod impetus animi, exultatio, et affectus temere effundit. Confundunt porro hymnos in deos agrestes, et sacra eorum et fabulas. Eadem tamen, quae hic memorantur, reperias in princ. Comment. Servii, e quibus videntur huc male revocata esse. Sunt autem pleraque e Graeco Grammatico conversa, qui ab Aldina inde praefigi Theocrito solet: περὶ τοῦ, ποῦ καὶ πῶς εὑρέθη τὰ Βουκολικά.

A Lacedaemoniis pastoribus) Bello Persico quum festum Dianae Caryatidis instaret, cuius fanum in Laconica erat, in quo virgines Lacedaemoniorum anniversarium festum agebant et ex more patrio choros instituebant. vid. Pausan. III, 10: bello itaque Persico, quod Xerxes Graeciae intulit, quum propter hostium metum puellae Lacedaemone egredi non auderent, pastores laconici agri sacra fecisse et Dianam suis carminibus celebrasse memorantur; quae carmina quum probata fuissent, ab eo tempore morem horum carminum esse servatum. Haec, etsi vix videas quomodo inde bucolici carminis origo repeti possit, iactata videas ubique: vid. Grammaticus in fronte Theocriti: Serviana pr. Bucolicor. Isidor. Origg. I, c. 38. Diomedes lib. III, p. 483 Putsch. Probus de bucolici carminis ratione, praefixus edd. nonnullis, ut Basil. Henricpetr. 1575, in quo multa copiosius exposita sunt: Vet. Grammatic. Apospasmatia ad calcem Mallii ab Heusingero edita p. 93, 94.

Graeciae illo tempore Persae inferebant, exhiberi per
virgines de more sacra non possent. Alii ab Oreste, 85
circa Siciliam vago, id genus carminis Dianae redditum loquuntur per ipsum atque pastores, quo tempore de Scythia cum Pylade fugerat, surrepto numinis simulacro, et celato in fasce lignorum; unde Fascelidem Dianam perhibent nuncupatam: apud cuius aras Orestes per sacerdotem eiusdem numinis Iphigeniam sororem suam a parricidio fuerat expiatus.
Alii Apollini Nomio, pastorali scilicet deo, qua tem- 86
pestate Admeti boves paverat. Alii Libero, Nympharum scilicet, et Satyrorum, et id genus numinum 87
principi, quibus placet rusticum carmen. Alii Mer- 88

§. 85. *Ab Oreste*) In Sicilia, inter Mylas et Naulochum, non longe a promontorio Peloro, templum Dianae *Facelinae* sive *Facelitidis*, Ἀρτέμιδος φακελίτιδος, erat, cuius sacrum ae nomen a Lacedaemoniis petitum erat; v. Pausan. III, 16, p. 249: quum autem hi originem a Dianae Tauricae simulacro per Orestem deportato repeterent, fabulae licentia deinde errores aliquos Orestis circa Siciliam comminisci coeperunt; unde fluxit narratio de bucolici carminis origine, quae h. l. legitur. De *Diana Phacelitide* s. *Facelitide*, non vero *Fascelide*, v. inpr. Cluver. in Sicil. ant. p. 304 sqq. Muncker ad Hygin. fab. CCLXI, Antonin. Lib. 27. Adde Probum supra memoratum, Grammat. Theocrit. l. l. Schol. Horat. Cruqu. I Carm. 7, 10, Intpp. ad Vibium p. 170. Traducta quoque est fabula in Italiam; nam et Ariciae fuit Dianae Tauricae βρέτας: Solin. cap. 2, p. 13 C. add. Wernsdorf. diss. de pignorib. imperii Rom. 1786, p. 13 sq. et Rhegii eius religio habita: v. Morisani Inscriptt. Rhegin. p. 91, 92. Probus l. c. laudat versus Lucilii: — *et saepe, quod ante Optasti, freta Messanae et Rhegina videbis Moenia, tum Liparas, Facelinae* (et) *templa Dianae*; scil. ad Mylas Siciliae. Tam late sparsa est haec fabula, ut eadem hac face plura scriptorum loca collustrare possis. Quid? quod ad Syriam eadem fabula fuit deducta ab Antiochenis scriptoribus, qui omnino sibi in hoc placuere, ut veteres fabulas ad suum Orontem traducerent. v. Malala p. 176. Cedren. p. 134 sq. Lamprid. Elagab. 7, et ibi Salmas: add. Eckhel Doctrina numor. Vol. III, p. 347. Clarissimum Dianae Tauricae signum fuit in Atticae pago Braurone: Eurip. Iphig. in Taur. extr.

§. 86. *Alii*) Facile apparet, Grammaticos haec ex iis poëtarum bucolicorum locis collegisse, in quibus, poëtico more, modo hunc modo illum deum rerum rusticarum praesidem propitium sibi esse volebant, et inventi carminis honorem ad eum referebant poëtae.

curio Daphnidis patri pastorum omnium principi, et
89 apud Theocritum, et apud hunc ipsum poëtam. Alii
in honorem Panos scribi putant peculiariter pastoralis
90 dei, item Sileni, Silvani, atque Faunorum. Quae quum
omnia dicantur, illud erit probatissimum, Bucolicum
carmen originem ducere a priscis temporibus, quibus
vita pastoralis exercita erat; et ideo velut aurei saeculi speciem in eiusmodi personarum simplicitate cognosci: et merito Virgilium, processurum ad alia carmina, non aliunde coepisse, nisi ab ea vita, quae prima in terris fuit. Nam postea rura culta, et ad postremum pro cultis et feracibus terris bella suscepta: quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse monstrare, quum pastores, primo deinde agricolas canit, et ad ultimum bellatores.

91 XXII. Restat, ut, quae *causa voluntatem* attulerit
poëtae Bucolica potissimum scribendi, consideremus.
Aut enim dulcedine carminis Theocriti et admiratione
eius illectus est; aut ordinem temporum est sequutus
erga vitam humanam, ut supra diximus; aut tres
modos elocutionum, quos *χαρακτῆρας* Graeci vocant,
ἰσχνὸν, qui tenuis, *ἁδρὸν*, qui validus, *μέσον*, qui mo-
92 deratus intelligitur. Credibile erat Virgilium, qui in
omni genere praevaluerit, Bucolica primum, Georgica secundum, Aeneida tertium voluisse conscribere.
93 Aut ideo potius primo Bucolica scripsit, ut in eius-
modi carmine, quod et paulo liberius et magis validum quam cetera est, facultatem haberet captandae Caesaris indulgentiae, recuperandique agri, quem

§. 90. *Merito Virgilium*) Stolida argutia! Eadem tamen etiam in Servianis in pr. Bucolic. §. 24.

§. 91. Ἀδρὸν, *qui validus*) Melius Gellius VII, 14 *uberem* reddit, quem vide. Servius pr. Comment. in Bucolic. *grandiloquum*. Cf. Cuper. Obss. I, 5 pr.

§. 93. *Et magis validum*) immo vero, *minus v.* vide §. 91.

Quem amiserat ob hanc causam.) Ita iunge sententiam. Sunt autem et

amiserat. Ob hanc causam die tertio iduum Martia- 91
rum C. Caesare interfecto, quum Augustum Caesarem
paene puerum veterani milites, non abnuente Sena-
tu, sibi ducem constituissent, exorto bello civili,
Cremonenses, cum ceteris eiusdem studii, adversarios
Augusti Caesaris adiuverunt. Vnde factum est, ut, 95
quum victor Augustus in eorum agros veteranos deduci
iussisset, non sufficiente agro Cremonensium, Man-
tuani quoque, in quibus erat Virgilius, maximam
partem suorum finium perdiderint, eo quod vicini
Cremonensibus fuerant. Sed Virgilius, Augusti fami- 96
liaritate suoque carmine fretus, Centurioni Arrio
obsistere ausus est. Ille statim, ut miles, ad gladium
manum admovit. Quumque se in fugam proripuisset
poëta, non prius persequendi finis fuit, quam se in
fluvium Virgilius coniecisset. Sed postea, Maecenate
et Pollione et ipso Augusto faventibus, agros suos
recepit.

XXIII. *Intentio* libri, quam σκοπὸν Graeci vocant, 97
imitatione Theocriti poëtae constituitur, qui Siculus
et Syracusanus fuit. Est intentio etiam in laudem
Caesaris, et principum ceterorum, per quos in sedes
suas rediit: unde, ut et delectationem et utilitatem
finis contineret, secundum praecepta cuncta confecit.
Quaeri solet, cur non plures quam decem Eclogas 98
conscripserit: quod nequaquam mirandum videbitur
ei, qui consideraverit aetatem scenarum pastoralium,
quae ultra hunc numerum non potest proferri: prae-
sertim quum ipse poëta circumspectior Theocrito, ut
ipsa res indicat, videatur metuere, ne illa Ecloga,

haec ad §. 97 a sequiore manu, forte ex Servianis Comment pr. §. 44 in serta.

§. 97. *Intentio libri*) Eadem in Serv. ibid. §. 8.

§. 98. *Quaeri solet*) Vix habeas dicere, utra stolidior sit, quaestio ne an eius solutio.

quae Pollio inscribitur, minus rustica videatur, quum
ipsam sic praestruat ipse, dicens, *Sicelides Musae,*
paullo maiora canamus: et idem similiter in aliis
99 duabus facit. Illud tenendum esse praedicimus in Bu-
colicis Virgilii, neque nusquam, neque ubique aliquid
figurate dici, hoc est, per allegoriam. Vix enim pro-
pter laudem Caesaris et amissos agros haec Virgilio
conceduntur; quum Theocritus, quem hic noster toto
studio imitari conatur, simpliciter omnino conscri-
pserit.

100 XXIV. Quod autem in ipso carmine tractari solet,
101 est *numerus*, *ordo*, *explanatio*. *Numerus* Eclogarum
manifestus est. Nam decem sunt: ex quibus proprie
Bucolicae VII esse creduntur, nam tres ultimae pro-
prie Bucolicae dici non debent, Pollio scilicet, Sile-
nus, et Gallus. Prima igitur continet conquestionem pu-
blicam, et privatam congratulationem de agro, et dici-
tur Tityrus. Secunda amorem pueri, et dicitur Alexis.
Tertia certamen pastorum, et dicitur Palaemon.
Quarta genethliacum, et dicitur Pollio. Quinta epita-
phium, et dicitur Daphnis. Sexta metamorphosin, et
dicitur Varus, et Silenus. Septima amores diversorum
sexuum, et dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria,
et dicitur Damon. Nona continet poëtae conquestio-
nem de amisso agro, et dicitur Moeris. Decima desi-
102 derium Galli, et dicitur Gallus. Quod ad *ordinem*
spectat, illud scire debemus, in prima tantum et
ultima Ecloga poëtam voluisse ordinem servare; quo-

§. 99. *Neque nusquam, neque ubique*) Hoc vero acute dixit Grammaticus. Eadem in Serv. l. l. §. 9, 10. vid. disput. *de bucolico carmine*.

§. 101. *Prima igitur*) Ne hi quidem Eclogarum tituli commode expressi sunt.

Palaemon) Sueton. de illustr. Grammat. c. 23 de Remmio Palaemone: *Arrogantia fuit tanta, et— nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed, praesagiente Virgilio, fore quandoque omnium poëtarum ac poëmatum Palaemonem iudicem.*

niam in altera principium constituit, ut in Georgicis ait: *Tityre te patulae cecini sub tegmine fagi:* in altera ostendit finem: quippe qui dicat, *Extremum Arethusa mihi concede laborem.* Verum, inter ipsas Eclogas, pastoralem conscriptumque ordinem nullum esse certissimum est. Sed sunt qui dicant, initium Bucolici carminis non *Tityre* esse, sed *Prima Syracosio dignata est ludere versu.*

XXV. Superest *explanatio:* ad quam antequam 103
veniamus, illud dixerim, tenue esse Bucolicum carmen, et usque adeo ab heroico charactere distare, ut versus quoque huius carminis suas quasdam caesuras
habeant, et suis legibus distinguantur. Nam quum tri- 104
bus probetur metrum: caesura, scansione, modificatione; non erit Bucolicus versus, nisi in quo et pes primus partem orationis absolverit, et tertius trochaeus fuerit et caesura, et quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit, quintus et sextus pes ex integris dictionibus fuerit: quod Virgilius, a Theocrito saepe servatum, victus operis dif-
ficultate, neglexit. In solo principio, incertum indu- 105
stria an casu, has caesuras servavit. Nam, *Tityre,* dactylus partem orationis absolvit, *tu patu-lae recu,* tertium dactylum, quamvis de composita dictione conclusit: *bans sub* quartum spondeum pro dactylo. Quum subiunxit, *tegmine fagi*, terminatis partibus orationis integrum comma perfecit: cuius rei diligentiam licet
in Theocriti omnibus ferme versibus admirari. Qui 106
vero supra dicta acri iudicio diligenterque considera-

§. 104. *Non erit bucolicus versus, nisi*) Grammatici subtilitas! Quum de caesura agunt Grammatici, versum bucolicum appellant, in quo post pedem quartum, eumque dactylum, nulla caesura incidit: ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς (*Dic mihi, Damoeta, cuium pecus?*) Quod metrum graeca Theocriti saepissime, Latina Maronis raro admittunt.

rit, facile intelliget, quae in Georgicis intentio, quique finis fuerit, nec minus etiam in Aeneide.

407 Poëmatis stili *genera* tria sunt. Aut enim *activum* vel *imitativum*, quod Graeci δραματικὸν appellant, in quo personae loquentes introducuntur sine poëtae interlocutione: ut sunt tragoediae, et comoediae; δρᾶν enim Graece agere dicitur: quo genere scripta est prima, *Tityre*, et *Quo te Moeri pedes*. Aut *enarrativum*, quod Graeci διηγηματικὸν appellant: in quo poëta ipse loquitur sine interpositione personae, ut tres primi Georgicon libri, item Lucretii carmina. Aut *commune*, vel *mixtum*, quod Graeci μικτὸν appellant; ubi et poëta ipse loquitur, et introductae personae: ut est Virgilii Aeneis.

§. 407. *Poëmatis stili tria genera sunt*) Ex Grammatico Graeco in fronte Theocriti: περὶ τῶν τῆς ποιήσεως χαρακτήρων.

Vt tres primi Georgicon libri) Cur non et quartus? saltem usque ad eam partem, qua Proteus vaticinans inducitur.

P. VIRGILII MARONIS VITA

PER ANNOS DIGESTA

V. C. Varr. 684. Cat. 682.

M. Licinius Crassus, Cn. Pompeius Magnus Coss. ante C. N. 70. Virgilii 1.

His Coss., et quidem Idibus Octobribus, natum esse Virgilium tradunt ad unum omnes. Consentiunt et in hoc, Andes, agri Mantuani vicum, ei natale solum fuisse. De patre eiusque nomine ut et de matre multa ineptiunt Grammatici. Patrem Virgilium Maronem, matrem Maiam, fuisse dubitari nequit. Nomen et Virgilius et Vergilius scribitur. Sed videamus de singulis.

Coss. laudatos non modo Pseudodonatus diserte memorat, et Phocas v. 20, 21, verum etiam Hieronymus in Chronic. Euseb. p. 151 et p. 40 (ed. 1658) *Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul a Mantua, nascitur, Pompeio et Crasso Coss.* cf. Scalig. Animadv. p. 152 b. Nam Graeca respicienda non sunt, in quibus p. 259 sequenti anno adscriptum est: Βιργίλιος ἐγεννήθη· quod idem sequuntur Chronicon Paschale s. Fasti Siculi pag. 184. C. Idatius Fastis Consular. a. 685. Apud eundem Hieronymum ad Olymp. 177, 3 is annus recte refertur. Phlegon Trallianus in Olympicorum et Chronicorum collectione apud Photium Biblioth. XCVII, p. 267, 25 ed. Rothomag., ubi de Olymp. 177, 3 καὶ Οὐιργίλιος Μάρων, ὁ ποιητὴς, ἐγεννήθη τούτου τοῦ ἔτους, εἰδοῖς Οκτωβρίαις.

Andes Hieronymus l. l. et Donatus aliique memorant. *Audino vico*, inquit Probus, *qui abest a Mantua millia passuum III.* Situs huius vici incertus est. Mantuani tamen eum esse contendunt, qui nunc duo millia passuum ab urbe dissitus, vulgo dicitur *Pietola*: v. Cluver. Ital. ant. p. 257. Ex more tamen satis frequenti inter veteres, de quo vel Catulli exemplo constat, qui, in insula Benaci Sirmione natus, Veronensis appellatur, Virgilii origines ad Mantuam ipsam referuntur, ut ab ipso poëta factum esse videtur Ge. III, 10; alia aliorum loca v. ap. Cluver. l. l. Erat Mantua in Gallia Cisalpina. *Venetum* tamen appellat apud Macrobium Evangelus, Sat. V, 2, sed cum irrisione, ut scilicet tanto magis eum a cultu graecarum literarum alienum fingeret; nisi secundum posterioris Venetiae fines dictum existimes, qui ad Adduam usque flumen extendebantur. Phocas Grammaticus in Vita Virgil. 21 *Vatem Etruscum* appellat, et v. 5 *Aemula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset.* Possit id ad origines Mantuae referri; v. Exc. I ad Aen. X, sed vix tam docte scribere voluit Phocas.

De Idibus Octob. non modo ex Phlegonte l. l. verum etiam ex Martiale XII, 68 constat: *Octobres Maro consecravit Idus.* Adde Auson. Idyll. V, 26. A viris doctis eas inter dies festos habitas fuisse, quum ex illis locis apparet, tum Silii Italici exemplo apud Plin. Epist. III, 7: *multum ubique — imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur; Virgilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat.* Natum Virgilium, quum Sol ex Virgine in Chelas receptus esset, h. in locum Librae deinceps destinatum. Phocas v. 21, 22 memorat. Augusti aevo Sol Libram adibat Kal. XII Octobr. conf. ad Ge. I, 32.

De Grammaticorum nugis circa natales poëtae v. sup. ad Vitam Donati §. 3, 4.

De scriptura nominis digladiati sunt inter se quum veteres tum recentiores Grammatici. Lapides et codices utrumque exhibent. Etiam Graeci modo Οὐιργίλιος modo Οὐεργίλιος scribunt: et *Vergilius*, Mediceus, Pierii Romanus, et vetustissimum Fragm. Aspri apud Benedictinos *Nouv. Tr. de Diplomat.* T. III, p. 152. Ceterum vide, si tanti est, Corrad. in Vita Virgilii pr. adde quos laudat Fabric. Biblioth. lat. Vol. II, p. 226, Burmann. Antholog. T. I, p. 399, Pierius, Cerda, Burman. ad Virgil. Georg. IV extr., Ruaeus Vita Virgilii pr. Nomini in veteribus nonnullis libris *Parthenias* additur; v. sup. ad Donat. §. 22.

Parentes Virgilius honestos quidem, quales nobiles nostros villaticos, sed tamen obscuros et in agro suo colendo vitam agentes, habuit. Vnde ductum illud ap. Macrob. V, 2: *Vnde enim Veneto rusticis parentibus nato, inter silvas et frutices educto, vel levis graecarum notitia literarum?* Quod autem *figulum patrem* esse narrant, id vereor ne inepti monachi *a filio carmina fingente* duxerint; uti altera narratio *de patre mercenario* non aliunde nata, quam quod Tityrum in prima Ecloga Virgilii patrem nonnulli tradiderant.

V. C. 689.

L. Aurelius Cotta. L. Manlius Torquatus,
a. C. 65. *Virgilii* 5—6.

Q. Horatius Flaccus nascitur VI Id. Decemb. Suet. in eius Vita.

V. C. 696.

L. Calpurnius Piso. A. Gabinius.
a. C. 58. *Virgilii* 12—13.

Hieronymus in Chron. Euseb. p. 151, ad Olymp. 180, 3, adeoque h. a. *Virgilius Cremonae studiis eruditur.* Aliter Donatus §. 6. Profectum tamen hinc esse videtur, quod recentiores nonnulli scriptores de ludo literario publico, qui Romanorum tempore Cremonae floruerit, memorant, v. c. Ludov. Cavitellius Cremonens. Annal. pag. 1262 A. T. III, Thes. Ant. Ital. Superiore anno *Messala* natus erat. vid. ad Tibulli Vitam.

De magistris Virgilii vix quicquam certi tradi potest. Quae sive Grammaticorum fidei sive doctorum virorum coniecturis debentur, ad Donatum reiecta sunt ad §. 7 et 79.

Ceterum etsi de magistris Virgilii et disciplina non satis constet, et eum obscuro loco natum esse satis appareat, liberali tamen institutione eum usum et cum viris doctis et elegantibus versatum esse, tota ingenii eius in carminibus expressa venustas satis prodit. Ex humili enim et sordida vita et consuetudine nemo facile generosi poëtae spiritus sumit; nisi forte literarum humanitas, meliorumque hominum contubernium exemplumque, natalium sordes primaeque pueritiae robiginem deterserit.

V. C. 699.

Cn. Pompeius Magnus II. M. Licinius Crassus II.
a. C. 55. *Virgilii* 15—16.

Hoc anno virilem togam sumsit Virgilius, si verum est, quod a Donato §. 6 memoratur, iisdem, quibus

natus erat, coss. id factum esse. Et anno fere XV vel XVI ea sumebatur. v. Noris. Cenotaph. Pisan. p. 115 sq. et passim alios, ut Masson. in Vita Horatii et Ovidii.

V. C. 701.

Cn. Domitius Calvinus. M. Valerius Messala.
a. C. 53. *Virgilii* 17—18.

Hieronymus Chron. Euseb. ad Olymp. 181, 4: *Virgilius sumta toga Mediolanum transgreditur: et post breve tempus Romam pergit.* At Donatus §. 7: *Sed Virgilius Cremona Mediolanum, et inde paulo post Neapolin transiit — se in Vrbem contulit.* Vter verius dixerit, quis definire ausit? Forte ne Romam quidem omnino tum adiit; aut, si adiit, in agrum suum mox se contulit, quod inter belli civilis initia factum esse probabile fit.

De iuvenilibus Virgilii poëmatibus v. sup. ad Donatum §. 28.

V. C. 709.

C. Iulius Caesar IV, sine Collega.
a. C. 45. *Virgilii* 25—26.

Alexin hoc anno scriptum coniicit, primam certe omnium eclogarum fuisse contendit Martinus in vita Virg. p. XXXIV, et ad Ecl. V, 86. Ex verbis enim huius eclogae: *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta; Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexin, Haec eadem docuit: Cuium pecus, an Meliboei?* eclogam secundam et tertiam ante quintam fuisse scriptam apparet. Videtur autem quinta anno 712 edita esse, ut mox videbimus, ut adeo hoc certe anno

anterior sit Alexis. Iam autem Martinus cum aliis (v. mox ad 711) et hoc ponit, Virgilium Caesari notum fuisse, idque haud dubie carmine aliquo, quod ipsum carmen *Alexin* fuisse suspicatur, adeoque in hunc annum reiicit; sequenti enim anno occisus fuit Caesar. Vides, ut suspicio ex suspicione necti soleat. Est tamen Eclogae II quum argumentum tum tota tractatio, si sensum tuum, non opinionem, audias, eiusmodi, ut non facile, nisi in iuvenile ingenium, cadere possit.

V. C. 710.

C. Iulius Caesar V. M. Antonius.
a. C. 44. *Virgilii* 26—27.

Idibus Martiis Caesar occiditur. Varia post eius mortem prodigia. v. Dio XLV, 17, in primis Sol toto anno pallidior, v. ibid. et Plutach. Caes. extr. Ea commemorat Virgilius Géorg. I, 466 sqq., ubi cf. Not. Octavius, testamento Caesaris ex dodrante heres institutus et in familiam Caesaris nomenque adoptatus, Apollonia Romam rediit; quum autem Antonium iniquiorem in se esse videret, Optimatibus sese adiunxit. Apolloniae, quae Epiri urbs est, a Caesare ad Parthos profecturo praemissus, substiterat, studiisque vacaverat. Sueton. Octav. c. 8.

V. C. 711.

C. Vibius Pansa. A. Hirtius.
C. Iulius Caesar Octavianus. Q. Pedius suffecti.
a. C. 43. *Virgilii* 27—28.

Habiti in Iulii Caesaris honorem ludi, in dedicando Veneris Genitricis templo; nec tamen ante medium

Ianuarium, quum Sol in Capricorno esset: quod idem signum natale Augusti erat: cf. *de Mairan* in Epist. ad Com. de Caylus super gemma cum horoscopo Augusti: in Opusc. In his ludis stella crinita apparuit: Ecl. IX, 47, *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum*, ubi v. Not.

Bellum Mutinense, quo, quum totam Galliam Cisalpinam, tum agrum Mantuanum, adeoque Virgilii possessiones valde afflictas fuisse necesse est. Ad haec tempora respicere videtur Silius VIII, 589: *Vos etiam, accisae desolataeque virorum, Eridani gentes.* Ex V Kal. Decemb. M. Lepidus, M. Antonius, C. Caesar Octavianus, Triumviros reip. constituendae in quinque annos se renuntiant, proscriptorum tabulas proponunt, inter quos a. d. VII Id. Dec. Cicero occiditur.

In provinciarum distributione, quum Africam, Siciliam, Sardiniam reliquasque eius maris insulas Caesar Octavianus, Hispanias cum Gallia Narbonensi Lepidus, reliquas Gallias Antonius obtinuisset, vid. Appian. Civil. IV, pag. 953, 954, ager Mantuanus M. Antonii sorti accesserat. Miserat hic in has terras Asinium Pollionem, qui usque ad a. 714 Galliam Cisalpinam in Antonii fide continuit. cf. inf. ad 713.

Ad hunc porro annum *Palaemonem* Eclogam III refert Martinus (*Life of Virgil*) p. XLIV et ad Ecl. V, 86, quoniam in ea Pollio et primus et solus poëtae laudibus ornatur. Ex iis, quae modo dicta sunt, coniecturam elegantissimi viri alioqui levissimam firmare possis, certe hoc impetrare, mature in Asinii Pollionis notitiam venisse poëtam, quum is per eos annos in illis Italiae partibus degeret. Cur mihi inter prima poëtae tentamina referenda videatur Ecloga III, ea est causa, quod iuvenilem meditationem et exercitationem non obscure prodit; est enim ex Theo-

criteis Idylliis IV et V unice conversa aut adumbrata.

Iulio Caesari Virgilium innotuisse et carum fuisse, ex Ecl. V, 52, *amavit nos quoque Daphnis*, contendunt; Daphnidem enim Iulium Caesarem esse volunt. cf. ibid. argument., item Martinum in Vita Virgil. p. XXXIV; et ad Ecl. V, 52. Idem vir doctus versum illum ad studium Caesaris in Mantuanos referebat, quibus, cum ceteris Galliae Transpadanae urbibus, civitatem eum dedisse memorat Dio XLI, 36.

Lepida Grammaticorum fabula est de Ecloga sexta *in theatro a Cytheride mima cantata*, quam quum Cicero audiret, magnam Virgilii famam praesagisse fertur. v. Donat. §. 41; Servius ad Ecl. VI, 11.

Hoc anno ad XIII Kal. April. (XX Martii) Ovidius natus est; nec multo ante Propertius; Tibullus autem iam ante 705 natus erat; quamquam alii eius natales ad a. 690; Propertii autem ad a. 697 referre volunt. Catullus circa 705 obierat.

V. C. 712.

M. Aemilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.
a. C. 42. *Virgilii* 28—29.

Triumviri Caesari divinos honores decernunt. Kal. Ianuariis in eius acta iurant. Sacellum ei tanquam heroi in foro faciunt, et quae id genus plura apud Dionem XLVII, 18, 19 memorantur. A quo inde tempore *Divi filius* Octavianus dici coepit, de quo nomine satis copiose agit Heins. ad Aen. VI, 793.

Anno fere exeunte pugnatur ad Philippos in ea Macedoniae parte sitos, quae olim ad Thraciam pertinuerat. Brutus et Cassius se sua manu interficiunt. De pugna ad Philippos vid. Georg. I, 489 sqq. M. Antonius ad res Asiae constituendas discedit. Octa-

vianus in Italiam redit, ad agros et praemia inter veteranos distribuenda.

Ad Caesaris consecrationem quam diximus nobiles illi versns spectant Aen. I, 290—294: *Nascetur pulcra Troianus origine Caesar* etc., et VI, 790: *hic Caesar, et omnis Iuli Progenies magnum caeli ventura sub axem.* De eadem consecratione seu apotheosi agere vulgo existimatur *Daphnis*, Ecloga V. Martinus (*Life of Virgil* p. XLVI et ad Ecl. V, 86, 20, 52; IX, 10) hoc ipso quoque anno eam scriptam esse statuebat; ut adeo Octaviano Caesari iam tum Maro commendatus esse videri debeat; idque hoc ipso carmine factum esse: ib. pag. LI. Si mihi haec coniectura, per se admodum levis, nam cur non multos post annos eiusdem rei memoria pariter bene carmine fieri potuisset? si tamen coniectura haec de anno, quo scripta sit Ecloga V, firmanda esset, aliud aliquanto firmius argumentum afferrem: in IX Ecl. v. 19, 20: *Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?* haud dubie ad Ecl. V, 20, 40 respicitur; eam itaque nona, quam a. 713 scriptam esse liquido constat, priorem esse, necesse est.

V. C. 713.

P. Servilius Vatia Isauricus II. L. Antonius.
a. C. 41. Virgilii 29—30.

Octavianus Caesar Romam reversus dum veteranis praemia persolvere eosque in agros municipales Italiae a Triumviris promissos deducere instituit, ingentes per Italiam turbas, partim eorum, qui possessionibus suis eiiciebantur, indignatione, partim militum effreni cupiditate et audacia, de qua v. Appian. p.

1082 sqq. Dionem Cass. XLVII, 17, Vellei. II, 74, excitari videt. Qua de re v. Argumentum Ecl. I. Latissime autem calamitas illa et ad quamplurimos pertinere debuit, ita ut maximae fortunarum conversiones insequerentur; unde et Antonius apud Appianum p. 1075 dicere potuit, Octavianum in Italiam isse, si res dicenda sit, tanquam omnem Italiam sedibus suis emoturum, ἀναστήσων τὴν Ἰταλίαν. Vix enim est ex ea aetate poëta, aut scriptor, qui non communi clade afflictum se memoret. Hinc Tibulli *felix quondam, nunc pauper ager*, I, 1, 19—23; cf. IV, 1, 183—190. Propertius de se IV, 1, 129: *Nam tua quum multi versarent rura iuvenci, Abstulit excultas pertica tristis opes.* Dum Fulvia, M. Antonii uxor, coloniarum deductionem in viri adventum differendam esse contendit: L. Antonius, Marci frater, Consul, novas et ipse res molitur, et partim iis, qui praediis et agris suis exciderant, opem suam pollicendo, partim Caesarem ad veteranos criminando, magnum exercitum comparat, bellumque in Caesarem movet.

In illa agraria largitione (non enim ad aliam trahi posse, quamquam res probatione vix eget, Ruaeus probavit ad Virgilii Vitam 713) etiam Virgilius agros suos paternos amisit. Etsi enim Mantuani nihil in Triumviros commiserant: magna tamen agrorum suorum parte multati sunt, quoniam, ut aiunt, Cremonensium, qui Bruti et Cassii partes sequuti erant, agri proscripti veteranorum cohortibus, quae eo deductae erant, non sufficiebant; alia causa editur apud Pomponium Sab. ad Aen. IX, 28, forte ex Servio pleniore: persuasione Cremonensium Mantuanos non misisse auxilium Augusto. Iam Virgilium Romam profectum Octaviani liberalitate agros suos recepisse, quum autem Mantuam rediisset, novam veteranorum

iniuriam expertum esse, ex Ecloga I et IX satis apparet. Confirmat Martialis VIII, 56: *Iugera perdiderat* (Virgilius) *miserae vicina Cremonae, Flebat et abductas Tityrus aeger oves. Risit Tuscus eques* etc. Videamus nunc ea, quae a Grammaticis, pleraque fide incerta, traduntur.

Si Servianis laciniis ad Ecl. IX, 7 fides habenda, in his Italiae partibus *Octavius Musa, limitator ab Augusto datus — quindecim millia passuum agri Mantuani* militibus assignarat, *quum Cremonensis non sufficeret; offensus a Mantuanis, quod pecora eius in agro publico aliquando clausissent.* Alfenum tamen Varum metatorem edit alia in iisdem alterius, ut videtur, Grammatici lacinia ad v. 10: *Quod alii dicunt Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alpheni Vari, qui agror divisit, praeter palustria nihil relictum sit; sicut ex oratione Cornelii in Alphenum ostenditur:* « Quum iussus tria millia passus a muro in diversa relinquere; ut octingentos passus aquae, qua circumdata est, admetireris, reliquisti ». Praeclarus locus, modo non esset mutilus. Tertio loco *Asinium Pollionem*, quem in his terris cum imperio fuisse supra vidimus, distribuendis agris praefuisse, alia Servianae compilationis loca affirmant: ad Ecl. II, 1: *Pollio, qui eo tempore Transpadanam Italiae partem tenebat et agris praeerat dividundis.* Et Donatus in Vita Virgilii §. 36: *Hic* Pollio *Transpadanam provinciam regebat, cuius favore, quum veteranis — agri distribuerentur, suos Virgilius non amisit. Facta enim distributione, suos seu Claudio seu Arrio datos recuperavit.* Obscurum est qui factum sit, ut idem negotium ad plures referri posset. Sed forte ea loca rem expedient, in quibus Alfenus Varus Pollioni fugato successisse traditur. Serv. ad Ecl. IX, 29:

Sane blanditur Alfeno Varo, qui, Pollione fugato, legatus Transpadanis praepositus est ab Augusto; et ad Ecl. VI, 6: *Alii fuso fugatoque Asinio Pollione, ab Augusto Alfenum Varum legatum substitutum, qui Transpadanae provinciae et agris dividendis praeesset, qui curavit, ne ager, qui Virgilio restitutus fuerat, a veteranis auferretur.* Habere nos putabo aliquid, quod sequi possimus, modo Pollionem eo anno fugatum esse probabile fieri poterit. Erat is M. Antonii amicus; et statim a triumviratus inde pactione V. C. 711 Galliae Cisalpinae ab Antonio praefectus fuerat (cf. Martin. p. XLIII); hoc anno, 713, Octaviani copias ab Alpium transitu prohibuisse memoratur, vid. Appian. p. 1088, et in bello Perusino eius fit inter duces Antonianos mentio, qui Salvidienum e Galliis Octaviano copias adducentem persequuti, et L. Antonio suppetias ferre cunctati sunt ibid. pag. 1097 sqq. Quum L. Antonius anno sequenti se dedidisset, cum iis, quas habebat, copiis Pollio profectus est, ut Antonio in Italiam venienti occurreret; in itinere Domitium cum copiis sibi adiunxit. vid. Appian. p. 1113, 1114. Vellei. II, 76: *Nam Pollio Asinius cum septem legionibus diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque eius regionis urbes editis Antonium petens, vagum adhuc Domitium — iunxit Antonio.* Potuit itaque inter has rerum vicissitudines fieri, ut Pollio ex agris Transpadanis expelleretur. Nunc autem in *Alfeno Varo* novae difficultates oriuntur, quem nobilem ICtum male nobis Grammatici in haec tempora intrudere videntur. v. argum. Ecl. VI. Si tamen satis se de quocumque alio Varo narratio de agrorum Mantuanorum metatione probaverit: et fuit aliquis Varus Virgilio amicissimus, etsi quis ille fuerit, non ad li-

quidum perduci potest: vid. Excurs. II ad Bucol.; tum alius ex Serviano centone locus non tam falsi convincitur, dum innuere videtur, plures in iis regionibus Triumvirorum negotia curasse; ad Ecl. VI, 64: *Gallus — qui et a Triumviris praepositus fuit ad exigendas pecunias ab his municipiis, quorum agri in Transpadana regione non dividebantur.* Potuere adeo cum Pollione omnes illi quos memoravimus agrorum dividendorum curam habere. Ceterum vides, omnem illam licentiam, quam nos superiori bello septennali, novo aliquo militum acumine, ad despoliandos homines increbuisse putabamus, iam tum frequentatam fuisse; bellorum autem civilium calamitates et militaris licentiae ludibria et furores hoc quo vivimus tempore, tanquam novo exemplo ante oculos versari vidimus et audivimus.

Virgilium Romam discedentem, nam ipsum Romam adiisse, ex iis, quae Tityrus de se narrat Ecl. I, 20 sqq., contendunt, ut agros recuperaret, Octaviano Caesari commendatum esse, omnes fere tradunt; sed alii ab Asinio Pollione, v. Serv. ad Ecl. IX, 11, Donat. Vit. Virg. §. 36, alii ab Alfeno Varo, alii a Gallo, ut modo vidimus, cf. Donat. §. 30, 96, alii cum Martiale VIII, 56, et multo magis cum auctore Carminis ad Pisonem v. 218 sqq. (*Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum, Maeoniumque senem Romano provocat ore, Forsitan illius nemoris latuisset in umbra, Quod canit, et sterili tantum cantasset avena Ignotus populis, si Maecenate careret*) a Maecenate id factum esse memorant. Scilicet, ut iam Ruaeo visum est, quum Pollioni primum poëta innotuisset, ab hoc Maecenati commendari, huiusque studio in Octaviani amicitiam venire potuit. Sed satis est, si teneas, poë-

tam his viris omnibus mature gratum et carum fuisse.

Recuperato agro, Eclogam loco, non tempore, primam, si supra memorata recte se habent, scriptam esse dubitari nequit. Obtinet tamen vulgaris opinio, anno hoc 713, aetatis 29, eum *Bucolica* scribere aggressum esse. Quod quidem consilium poëtam Pollionis maxime auctoritate et hortatu suscepisse, inter Grammaticos fama tenet; v. Donat. Vit. Virg. §. 36. Iidem ex loco primo, quem Ecloga *Tityrus* tenet, omnium etiam tempore primam scriptam, et calamitate amissi agri adductum Virgilium primum poëticen aggressum (v. Phocas v. 67 sqq. Donatus §. 91 etc.) esse putarunt; scilicet quo communi poëtarum fortuna uteretur Maro, ut fames et miseria ad versus scribendos eum perpelleret.

Quum Virgilius Mantuam redux agros suos a veteranis, qui eos occuparant, vindicaret, novam iniuriam accepit, ut adeo fuga vitae consulere necesse haberet. Patet id ex Ecl. IX, quam, Romam, ut aiunt, regressus, ut denuo Octaviani opem imploraret, Varo obtulisse videri potest; quamquam in ipso carmine nihil ea de re praeter honorificam Vari mentionem v. 27, 35 occurrit; v. Argum. Ecl. IX. Non male hoc Ruaeus ipsa carminis forma, quae subitariam operam satis prodit, confirmari putat. Menalcan in eo carmine Virgilium intelligendum esse, iam Quintilianus monuit Inst. VIII, 6, 47. Veteranus, cuius audaciae et furori Virgilius vix fuga se subducere potuit, ab aliis Arrius centurio, ab aliis Clodius, a Probo Milenus seu Milienus Toro primipilaris fuisse traditur. Sed de his disputationem ad Donatum §. 31 reiecimus. Iniuriam hanc poëta non nisi Asinio Pollione fugato, expertus esse, ut paulo ante vidimus, narratur in Serv.

ad Ecl. IX, 11, *quo*, Pollione, *fugato*, *rursus de praediis suis fuerat Virgilius expulsus.*

Si quaeras, qua ratione poëta iterum in agros suos reductus fuerit, Servium habes Comment. in Bucol. pr. §. 14 narrantem: *Postea ab Augusto missis triumviris, et ipsi integer ager est redditus, et Mantuanis pro parte.* In quam sententiam idem ibid. interpretatur versus 11 sqq. Ecl. IX. Vix tamen illud hoc ipso anno fieri potuit, quo bellum Perusinum exarsit, quo late Italia conflagravit; itaque rebus demum pactione Brundisina a. 714 compositis id esse factum, rectius ponit Martinus p. LI.

Mantuanis autem simul in Virgilii gratiam agrorum partem restitutam esse, satis probabile fit ex Ecl. IX, 7—10. conf. Serv. ad v. 10.

V. C. 714.

Cn. Domitius Calvinus II. C. Asinius Pollio.
Suffecti sub exitum anni (*):

L. Cornelius Balbus. P. Canidius.
a. C. 40. *Virgilii* 30—31.

Bellum Perusinum. Octavianus L. Antonium Perusiamque urbem deditione accipit. Sub anni huius initium Scriboniam in matrimonium ducit; fecit tamen cum ea divortium anno sequenti, suscepta ex ea Iulia: Dio XLVIII, 16 et 34. Quum, M. Antonii in Italiam adventu, maxima omnium, ne bellum recrudesceret, sollicitudo esset, L. Cocceio, communi amico, cum utroque agente, et Maecenate et Pollione adhibitis (Appian. p. 1126, Dio XLVII, 28), pace Brundisina,

(*) Apud Gruter. p. C. 8. Marmor visitur, a. d. IV Id. Octobr. Cn. Domitio et C. Asinio coss. inscriptum.

amicitia inter Octavianum et Antonium iterum coaluit; ad quam tanto magis firmandam M. Antonius Octaviam, Octaviani sororem, cuius maritus nuper obierat, uxorem duxit. Mox cum Sext. Pompeius, qui classibus mare tenebat, commeatu urbem intercluderet, fame urgente, de pace cum Sexto agi coeptum est; qua proscriptis, qui ad eum confugerant, reditus in urbem et incolumitas pacta est. Iam quae ex his huius anni actis ad Virgilium pertineant, paulo curatius videamus.

Perusia capta, tota simul Gallia Cisalpina cum reliquis Galliis et Hispaniis in Caesaris ditionem venit. vid. Appian. p. 1114 extr. Itaque tum demum Virgilio agros suos, postquam eos iterum amiserat, restitutos esse, credere licet. Testificandae suae laetitiae grataeque voluntatis causa in Vari honorem, cuius opera secundum Ecl. IX, 27 sqq. ea res perfecta fuerat, *Eclogam sextam* tum scriptam esse, opinatur Martinus p. LVI et p. 149. Fuisse, qui sextam omnium primo loco scriptam esse dicerent, Donatus in Vita §. 102 narrat; sed eos mala primi versus *Prima Syracosio dignata est ludere versu* acceptione, quum quod ad aetatem poëtae spectabat, ad carminum ordinem referrent, inductos fuisse vix dubites. Aliam rationem, quare ante Tityrum Silenus scriptus esse debuerit, Catroeus ex eo petebat, quoniam secundum Donatum et Servium a Cytheride in scena Cicerone adhuc audiente ea recitata fuerit. Sic eam ante a. 711, quo Cicero ex proscriptione interfectus est, editam fuisse, necesse esset. At de Cicerone illam Eclogam recitari audiente explosa iam supra ad a. 711 et ad Donat. §. 41 est fabula.

Ad firmandam pacem Brundisii inter Caesarem et M. Antonium factam Octaviam Antonio in matrimo-

nium datam esse diximus. v. Dio XLVIII, 31; Appian. Civ. V, 65, p. 1126 sqq. Erat autem Octavia e priore marito, C. Claudio Marcello, gravida, ut Dio l. l. memorat. Cuius laudatissimae feminae (de qua v. Baylium, nec non Froelichium in Mantissa Numism. rar. in Gorii Symbolis litt. T. VII, p. 123, ubi Tiberii Caesaris numus cum Octaviae et Augusti ore exhibetur) consilio et prudentia quum omnes boni pacem et concordiam tandem stabilitam et firmissimo vinculo coagmentatam crederent, quumque eius cum Antonio coniugium magna populi laetitia et acclamatione exceptum esset, visa est multis viris doctis *Ecloga IV* ad h. a. referenda esse, ut infans ille nasciturus, cuius in eo carmine tam praeclara fata ominatur poëta, nullus alius sit, quam is, quem Octavia tum utero gerebat. Est tamen difficile dicere, quomodo de Marcelli postumo, sive is (ex Catroei, Martini et Spencii opinione Polymet. pag. 189, 86) idem ille M. Marcellus, qui immatura morte V. C. 731 obiit (ad quem annum vide), sive alius minor natu fuit, tot et tanta ad summam rerum spectantia augurari tum aliquis potuerit. Diximus paulo ante, sub huius anni initia Scriboniam a Caesare esse ductam. Erat ea sub exitum anni gravida ex Caesare. Probabilius itaque fit, ad prolem, quam ex ea tollendam sperabat Caesar, iam tum ad summas in rep. opes evectus, poëtam respexisse, et laetitiae publicae impetum sequutum, rem sententiis exornasse et amplificasse, quas poëtica ratio suppeditabat, in primis, quum Sibyllinum oraculum, quod sequeretur, haberet. Hoc certe anno, pace iam confecta, Eclogam hanc scriptam esse, dubitari nequit; quum Pollioni Consuli inscripta sit, v. 3, 11, 12, orbe iam pacato v. 17. Cf. Argum. illius Eclogae, ubi et illud nota-

tum, male multos arbitrari, Pollioni filium natum eo carmine poëtam gratulari. Secundum hos Hieronymus Chron. Euseb. MMXXX dixit: *C. Asinius Gallus, Orator, Asinii Pollionis filius*, cuius etiam Virgilius meminit, *diris a Tiberio suppliciis enecatur.*

Non modo Brundisinam, verum etiam Puteolanam pacem iam tum confectam fuisse, quum ea Ecloga scriberetur, Ruaeus cum aliis memorat, ut vere totus orbis pacatus videri posset. Enimvero non nisi ineunte anno sequenti, quum Pollio iamdudum Consulatu abierat, illa pax est composita, quum Caesar et Antonius Pompeium apud Misenum convenissent: vid. Dio XLVIII, 31 extr., 36. Nam Appianus temporum ordinem non satis accurate sequitur, quum etiam post ista pag. 1135 extr. ea commemoret, quae anno superiore peracta fuerant: conf. Vellei. II, 76, 77.

Antequam Antonius adversus Parthos proficiscebatur, exercitus in hiberna deducendi partem adversus Parthinos, populum Illyricum, qui loca circa Epidamnum insidebat, et Bruti causae eximie faverat, mittit: vid. Appian. pag. 1135. Civ. V, 75. Praefecerat iis copiis Pollionem, qui rem in iis terris egregie gessit, et anno sequente triumphum de Parthinis egit: vid. Dio XLVIII, 41 et ib. notam Fabric.

Quo in itinere adversus Parthinos quum Pollio esset, Pharmaceutria, quae est Ecloga VIII, ei a Virgilio missa esse videtur. Namque v. 6: *Tu mihi seu magni superas iam saxa Timavi, Sive oram Illyrici legis aequoris:* cf. ibi Notas. Ruaeus in reditu Pollionis scriptum carmen esse putabat; id quod verborum et sententiarum ordini repugnat. Qui enim a Timavo ad Illyricum procedit, is profectionem in Illyricum facere debet, non in Italiam redire. Pollionis etiam

iussu Eclogam perscriptam esse, v. 11, 12 apparet: *iussis carmina coepta tuis.*

V. C. 715.

L. Marcius Censorinus. C. Calvisius Sabinus.
a. C. 39. *Virgilii* 31—32.

A. d. VIII Kal. Novemb. C. Asinius Pollio ex Parthinis triumphat. Fasti Capitol. Chronic. Euseb. etc. Est is *triumphus Dalmaticus*: cf. Flor. IV, 12, 11. Horat. Carm. II, 1, 15, 16. De captis a Pollione Salonis, Dalmatiae urbe, v. Porphyr. ad e. l. Pighii Annal. h. a. De Pollione omnino v. Martin. ad Ecl. III, 84; V, 86, et idem in Vita Virgilii p. XLIV. Egit de eo et de tota gente Asinia Lucius Camara de Teate antiquo lib. III, 4 (Thes. Ital. T. IX, P. V). De filio Pollionis, Salonino, seu Salonico, qui tamen nullus fuit, sed nepos, eo nomine, vid. Ruaeus ad Ecl. IV pr.

Dum Pollio in apparatu triumphi quum maxime esset, tertiam Eclogam a Virgilio factam ex v. 84 sqq. *Pollio amat nostram* etc. ingeniose colligit Ruaeus, ut de victimis triumphalibus in iis versibus agatur. Sed vide supra ad V. C. 711.

Hoc anno Horatium Maecenati a Virgilio et Vario commendatum esse, Sanadonius de coniectura ponit, ex Horat. Sat. I, 6, 55. Quod tamen maturius factum, si quidem vere huius anni Antonius Athenis Brundisium appulit, ut condicta die cum Caesare colloquium haberet (Appian. Civ. V, 78). Factum autem tum videtur (cf. Wesseling. Obss. II, 15), quod narratum est, ab Agrippa et Maecenate, qui eo accurrebant, *Horatium, Virgilium, Plotium ac Varium* adductos fuisse: qua de re v. Horat. Sat. I, 5, *Egressum magna* etc. in primis v. 40. Ita enim iam ante

inter familiares Maecenatis adscitus esse debuit Horatius. Alii quidem iter illud ad colloquii Tarenti habiti tempus a. 717 referunt (v. Masson. vita Horatii ad 716); quod et ipsum *verno tempore* incidit: v. Appian. p. 1149 Civ. V, 93. Aderat tum (717) Octavia pacis interpres cum Maecenate; non autem Cocceius Nerva, quem Horat. I Serm. 5, 27 memorat, quique Brundisino congressui interfuit a. 715. Hoc itinere Maro solum fertile Tarentinum ad Galaesum fl. cognoverat: unde ductum episodium Ge. IV, 125 sq.

V. C. 716.

App. Claudius Pulcher. C. Norbanus Flavus.
a. C. 38. *Virgilii* 32—33.

Bucolicis hoc anno finem impositum et Eclogam adeo X conscriptam esse, Ruaeus cum aliis existimat; ea scilicet causa inductus, quod Grammatici intra triennium Bucolica absoluta esse memorant. Vid. Donat. Vita §. 36. Phocas v. 95. Sed hominum illorum vanitas quum rerum argumentis tum iis ipsis, quae aliis locis repugnantia tradunt, facile arguitur. Nihil itaque commento illi iam Martinus tribuit pag. LXIV g).

At idem vir doctus p. LXIII ad hunc annum, *Meliboeum VII Eclogam*, cuius alioqui incertum plane tempus est, refert, hoc uno argumento usus, « ne is annus prorsus aliquo Virgiliani ingenii monumento vacet. »

V. C. 717.
M. Vipsanius Agrippa. L. Caninius Gallus.
a. C. 37. *Virgilii* 33—34.

Ad hunc annum Eclogam decimam referendam esse censet Martinus, hac de causa, quoniam in eo carmine Gallo inscripto v. 23 et 47 Lycoris in Gallias abiisse et alium amatorem, qui in aliquo exercitu ad Rhenum militabat, sequuta esse memoratur. — *Tua cura, Lycoris, Perque nives alium perque horrida castra sequuta est — Tu procul a patria, nec sit mihi credere tantum! Alpinas, ah dura! nives et frigora Rheni Me sine sola vides.* A Iulio inde Caesare M. Agrippa primus fuit e Romanis, qui Rhenum traiecit; idque initio huius anni factum, quo Agrippa Cos. erat; V. Dio XLVIII, 49; Vellei. II, 79; Vbii tum a Suevis vexati, ab Agrippa in fidem recepti, in Coloniam Agrippinensem deportati; Tac. Ann. XII, 27, Germ. 28. Mox enim, hoc ipso anno, a Caesare in Italiam evocatus Agrippa, classique adversus Sext. Pompeium fabricandae exercendaeque praefectus est. Possit quidem aliquis haec alio Dionis loco labefactari putare, ubi anno 715 ineunte Octavianus Caesar in Gallias, ut excitatos in iis motus sedaret, profectus esse dicitur lib. XLVIII, 20: cf. c. 28 pr. Appian. p. 1135. Sed primum an exercitum secum duxerit, non memoratum invenias; tum nec Rhenum transiisse aut ad Rhenum quidquam rerum eum gessisse doceas. Quidquid est, probabilior haec est sententia, quam illa Scaligeri, ad Hieronym. n. 1960, qui ante caedem Caesaris Eclogam decimam publice editam esse debere putat, dum illam opinionem amplectitur, quintam in Caesaris necem esse scriptam, intra triennium autem Bucolica esse absoluta. Iam itaque si,

quantum sive ex temporum notatione definire sine coniectura assequi possis, ordinem Eclogarum ac tempus constituere velis, ante eam, quae nunc primo loco posita est, *secundam*, *tertiam* et *quintam* scriptam esse probabile fit. Tum *prima* et *nona* anno 713. Collocat post hanc *sextam* coniectura Martini. Tum anno 714 *quartam*, 715 *octavam*, vulgatam esse in confesso est; intra idem forte tempus *nona*, et 717 *decima* ultimo loco scripta fuit; ut adeo ad temporis rationem ordo hic constitui forte possit:

1	Ecloga	II	
2	—	III	
3	—	V	
4	—	I	713
5	—	IX	eod.
6	—	VI	
7	—	IV	714
8	—	VIII	715
9	—	VII	
10	—	X	717

Laudata et commendata sunt Virgilii Bucolica iam a poëtis, qui eadem aetate vivebant. Propertius ad eorum argumenta, paulo tamen licentius, alludit El. II, 34, 67 sqq. ubi: *Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi* (non quasi ibi Maro praedium habuerit; sed respectu laudum loci, in quas excurrit Ge. IV, 125) *Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus*, (Ecl. VII) *Vtque decem possint corrumpere mala puellam*, (Ecl. III, 71) *Missus et impressis haedus ab uberibus*, (ex IX, 6) *Felix, qui viles pomis mercaris amores! Huic licet ingratae Tityrus ipse canat*, h. huic puellae, licet ea ingrata sit, quum tamen amores eius tam parvo emantur, ipse Tityrus canat, qui Galateam amabat, nullo ad peculium fructu, ut Ecl. I, 31 sqq.

Felix intactum Corydon qui tentat Alexin Agricolae domini carpere delicias. (Ecl. II) *Quamvis ille suam lassus requiescat avenam:* (igitur tum desierat scribere Bucolica) *Laudatur faciles inter Hamadryades.* Ovidius autem Am. I, 15, 25 *Tityrum* laudat, et Trist. II, 537 *Phyllidis hic idem teneresque Amaryllidis ignes Bucolicis iuvenis luserat ante modis.*

Hoc etiam anno Maecenatis iussu Virgilium Georgica exorsum esse, communis est opinio; quam tamen, si molestior sis, non facile nisi Grammaticorum auctoritate probes.

De tempore absoluti operis paulo certior nobis fides fit ex Georgicorum extr. vers. v. ad 724: modo exploratum satis esset, profectos vere illos versus esse a Marone. Eo consilio poëtam de re rustica carmen condidisse, ut hominum animos ad agrorum cultum per bella civilia neglectum revocaret, docti viri coniiciunt: v. Argum. Georgicor.

Eodem anno ab Agrippa, ut recens aedificatae classes tutum receptum haberent, lacu Averno et Lucrino cum mari commisso, portus Iulius factus est, de quo v. in primis apud Dionem XLVIII, 50, 51. Huius operis Virgilius meminit Ge. II, 161 — 164: *An memorem portus Lucrinoque addita claustra, Atque indignatum magnis stridoribus aequor, Iulia qua ponto longe sonat unda refuso Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis.*

Antonius cum classe ex Athenis Tarentum appulit. Tandem Octavia arbitra, Octavius ut eum conveniret, adducitur. Nova inter eos pactio fit: v. Dio XLVIII extr. Appian. p. 1149 sqq. Eodem ex vulgari opinione Maecenas properans Horatium, Virgilium, Plotium ac Varium adduxerat; verum probabilius fit Brundisium iter illud factum 715: v. sup. ad h. a.

V. C. 718.

L. Gellius Poplicola. M. Cocceius Nerva.
a. C. 36. *Virgilii* 34—35.

Octavianus Caesar, Sext. Pompeio pugna navali inter Mylas et Naulochum, ad Siciliae littus, victo et Lepido in deditionem recepto, Romam reversus immodicis honoribus affectus est. Anno suo XXVIII, inquit Appian. p. 1178, oppidatim inter deos tutelares coli coepit. Haec prima divini honoris in eum collati mentio: v. Noris. Cenotaph. Pisan. p. 51 sqq. Quod itaque iam ante hoc tempus a Virgilio *Deus* appellatur, Ecl. I, id sine dubio eo pertinet, quod *Divum Iulium* patrem habebat. *Divi genus* Aen. VI, 739: cf. sup. ad 712. Summi tamen illi et exquisiti honores Romae et publice non nisi annis 724 et 725 fuere decreti: v. Dio LI, 19, 20.

V. C. 720.

L. Scribonius Libo. M. Antonius.
a. C. 34. *Virgilii* 36—37.

M. Bavius poëta, quem Virgilius Bucolicis notat, in Cappadocia moritur. Hieronym. Chron. Euseb. Olymp. 186, 3. Trahi ad eum solet Ecl. III, 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi!* ubi conf. Philargyr. et Domitii versus, quos ille laudat. Vide in Anthol. Tom. I, pag. 436.

V. C. 722.

Cn. Domitius Ahenobarbus. C. Sosius.
a. C. 32. *Virgilii* 38—39.

Inimicitiae inter Caesarem et M. Antonium ad bel-

lum spectant. Magni utrinque apparatus, de quibus versus Ge. I, 509 sqq. agere videntur: *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum; Vicinae ruptis inter se legibus urbes Arma ferunt, saevit toto Mars impius orbe.* Alii versus ad a. 717 referunt.

V. C. 723.

Caesar Octavianus III. M. Valerius Messala.
a. C. 31. *Virgilii* 39—40.

Pugna apud Actium, Epiri promontorium, a. d. IV. Non. Septembr., cuius magnifica illa est in scuto Aeneae descriptio Aen. VIII, 671 sqq., ubi v. Not. M. Antonius victus in Aegyptum fugit.

Virgilium sequi voluisse Augustum contra Antonium ad Actiaca bella properantem, ait aliquis in Servianis ad Ecl. III, 74, scilicet, quemadmodum Horatius Maecenati comes esse volebat Epod. I.

V. C. 724.

Caesar Octavianus IV. M. Licinius Crassus.
a. C. 30. *Virgilii* 40—41.

Caesar post Actiacam pugnam quum Samum insulam in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum, quos confecta victoria Brundisium praemiserat, media hieme repetit Italiam, tempestate in traiectu bis conflictatus. Nec amplius quam XXVII dies Brundisii commoratus in Asiam revertitur. Inde spretis Antonii et Cleopatrae legationibus, Aegyptum petit, obsessaque Alexandria, quo Antonius et Cleopatra confugerant, brevi potitus est.

Itaque narratio illa Donati Vita Virgilii §. 42 de

praelectis Caesari Atellae decumbenti Georgicis nullam fidem habet.

Aegypto in provinciae formam redactae Cornelium Gallum, equitem R., Praefectum dedit; de quo v. ad Ecl. X et VI, 64, 72. Fontanini hist. litt. Aquilei. p. 14, 15. Fuerat huius Galli insignis opera in Aegypto recipienda: v. Dio LI, 9. Plutarch. Anton. p. 952.

Caesar, rebus Aegypti constitutis, *per Syriam in Asiam provinciam profectus hiberna ibi egit, simulque et subditorum omnia negotia et Parthica composuit.* Ita Dio LI, 8. Sueton. Aug. 26, *quartum Consulatum in Asia, quintum in insula Samo — iniit.* Nisi Sueton. inverse haec narravit. Tiridates regno a Phraate pulsus in Syriam confugerat et, ut Caesar se Romanis copiis restitueret, supplicabat, quum interea legati a Phraate missi et Tiridatem sibi reddi postularent et amicitiam cum Caesare iungerent. Caesar utrique comiter respondit, et Phraatis filium, sive a Phraate sive a Tiridate acceptum, Romam secum abduxit et pro obside habuit: vid. Dio l. l.

Iam hoc anno ultimam Georgicis manum adhibitam esse, vulgaris est opinio, inque eam sententiam versus libri IV extr. interpretantur viri docti: v. Masson. in Iano reserato III, 5, 6, nec tamen sic, ut omnia satis expediant: *Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat iura viamque affectat Olympo.* Est quidem is poëtarum saeculi Augustei perpetuus mos, ut, quamquam nihil Augustus, quod admodum memorabile esset, adversus Parthos gesserit, magnifice tamen de rebus eius Parthicis loquantur. Constat porro e Dione, LI, 20, litteras de Parthicis rebus initio anni sequen-

tis Romam allatas tantum ad publicam gratulationem momenti habuisse, ut illustrare reliquam omnem Caesaris fortunam viderentur. Videtur tamen illud: *dum fulminat ad Euphratem*, pro re tam tenui, ac legatis auditis, nimis fastuosum esse. Itaque Martinus in annum 731 illos versus adeoque finem Georgicorum referre maluit. Nimis tamen hoc a ceteris temporum et carminis rationibus abhorret, si Georgica non nisi anno ante Virgilii mortem ad finem perducta esse posueris; mirumque foret, si 731 illa exierunt, non Augusti nomen, iam 727 inditum, sed Caesaris, in iis occurrere. Verum concidit omnis disputatio, si memineris versus illos Georg. IV subiectos a poëta vix profectos esse; etsi ceteroquin illam narrationem, septennio Georgica absoluta a poëta fuisse, vid. Donat. §. 40, undecim autem annos fuisse Aeneidi impensos, ut adeo ab hac inde hieme eum ad Aeneida animum advertisse necesse sit, inter Grammaticorum commenta referendam esse putem. A Tristano *Hist. générale des Empereurs* T. I, p. 137 conclusionem Georgicorum in annum expeditionis Caii Caesaris in Parthos, quae in a. 754 incidit, male referri, iam Norisius notavit Cenotaph. Pisan. Diss. II, p. 249. Contra Catroeum disputat *d'Aubezit Oeuvres diverses* Tom. II.

Verum videamus uno loco collecta temporum momenta, quae in Georgicis passim occurrunt; Lib. I, 466 de morte Caesaris narrata ad a. 710 et 711 spectant, I, 489 bellum Philippense a. 712; I, 509 *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum; Vicinae ruptis inter se legibus urbes Arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe*, ad 717—722. II, 170 *et te, maxime Caesar, Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*, ad a.

724; II, 497 *Aut coniurato descendens Dacus ab Istro*, ad a. 725. III, 26 *In foribus pugnam — Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini, atque hic — Nilum. — Addam urbes Asiae domitas, pulsumque Niphaten, Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis; Et duo rapta manu diverso ex orbe tropaea, Bisque triumphatas utroque a littore gentes.* Tam magnifice poëtae de gestis a. 723 et 724 tradunt; nonnulla tanquam vaticinantium spiritu: saltem hoc Georg. III, 26 sq. loco, quo futuras Caesaris laudes vaticinatur Maro; add. Aen. VIII, 724 sqq., ut adeo nihil hinc in horum annorum historiis constitui possit. Hactenus itaque nihil esset, quod versus IV, 559 sqq. *Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten bello* damnaret, nisi aliae essent de iis suspiciones.

Virgilium Neapoli Georgicorum partem certe extremam pertexuisse, ex lib. IV extr. manifestum esset, si versus illos ab eius manu esse satis constaret. Erat ea urbs illustrium et doctorum virorum secessu illa aetate in primis celebris, ut otio ac levioribus studiis se ibi committerent. *In otia natam Parthenopen* Ovidius appellat Met. XV, 712: vid. Horat. Epod. V, 43 ibique Baxter. Statium Silv. III, 5, 85; Silium XII, 31, in primisque Strabonem V, p. 378. Conf. Camilli Peregrini Campaniam felic. Diss. II, §. 21, et ad Ge. IV, 564.

Etiam Aeneidis condendae paulo altius petitum fuisse consilium, post Spencium in Polymet. Dialog. III, p. 18, autumant viri docti, ut summum unius imperium et gentem Iuliam fatis ei imperio destinatam Romanis commendaret; cf. Disquis. I in Aen. §. XV. Iam tum, quum Georgica scriberet, de Aeneide eum cogitasse, colligunt alii ex Georg. III, 46 sq. *Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas Caesaris.*

V. C. 725.

Caesar Octavianus V. Sext. Apuleius.
a. C. 29. *Virgilii* 41—42.

Caesar Romam reversus a. d. VIII. VII et VI Id. Sext. triumphavit de Macedonia, Dalmatia et Aegypto, trinis diebus: vid. Dio LI, 21. Huc referendi versus de clipeo Aeneae Aen. VIII, 714 sqq. *At Caesar triplici invectus Romana triumpho moenia* etc.

Decreto Senatus Ianus clausus est, usque ad a. 727: v. Masson. p. 74 et Dio LI, 20 et ibi Not. Quo Virgilius respexisse creditur Aen. I, 295 — 300: *Aspera tum positis mitescent saecula bellis — dirae Claudentur belli portae:* uti v. 296 *Cana Fides et Vesta Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt*, ad Censuram hoc anno a Caesare, assumto M. Agrippa collega, actam. Dio LII, 42. Nec tamen hoc ipso anno versus illos scriptos esse necesse est: ut arbitrabatur Masson. in Iano reserato p. 64. Nec magis Aen. IX, 642 *Dis genite et geniture deos; iure omnia bella Gente sub Assaraci fato ventura resident.*

Ad hunc annum Caesaris de imperio deponendo habita cum Agrippa et Maecenate consultatio pertinet: v. Dio LII pr. Quas Virgilio ea in re partes dederint inepti Grammatici, v. in Donato §. 78.

Hoc aut superiore anno, certe ante Ianum clausum, Dacos trans Istrum cum Bastarnis, Moesis et aliis populis bello adortus erat M. Crassus, de qua expeditione vid. Dio LI, 22, 23 sqq. Vnde versus Virgilii ductus Ge. II, 497, *aut coniurato descendens Dacus ab Istro.* A M. Antonio ad societatem et auxilia ferenda pellecti fuerant isti populi; quo factum esse videtur, ut in fines Romanos infestis mox armis incurrerent. Triumphum de iis egit Crassus IV Non.

Iul. 726. Pro Dacis magnificentius visum poëtis Getas nominare: ut Aen. VII, 604, ubi vid. Not. Horat. Od. IV, 15, 22; atque etiam Scythas: Carm. saec. 55.

V. C. 726.

Caesar Octavianus VI. M. Agrippa II.
a. C. 28. *Virgilii* 42—43.

Apollinis in Palatio templum cum bibliotheca Caesar perfecit et dedicavit. Ludos Actiacos quinquennales, propter victoriam Actiacam iam ante decretos, cum Agrippa exhibuit. Tunc gymnici quoque ludi acti sunt. Dio LIII, 1.

Hos ludos adumbravit poëta sub iis, quos Aeneam suum facit instituere Aen. III, 280: *Actiaque Iliacis celebramus littora ludis. Exercent patrias oleo labente palaestras Nudati socii.*

V. C. 727.

Caesar Octavianus VI. M. Agrippa III.
a. C. 27. *Virgilii* 43—44.

Caesar ex ante diem XVI Kal. Februarii, sententia L. Munatii Planci a senatu ceterisque civibus Augustus *appellatus est; sese septimum, et M. Vipsanio Agrippa tertium Consulibus.* Censorinus c. 22; v. Dio LIII, 16 ibique Fabric. Romuli nomen a nonnullis propositum, et ab ipso Augusto magnopere esse appetitum, satis constat, v. Dio ibid. Sueton. Aug. 7. Itaque versum Georg. III, 27 *victorisque arma Quirini* hinc interpretandum esse existimant viri docti; quod si recte facerent, etsi nimis levis est illa suspicio, pateret ex hoc, Georgica serius, quam 724

absoluta, saltem edita et vulgata fuisse. Namque illud nonnullorum commentum, de versibus serius et secunda aliqua recensione insertis, quod forte ex Donato §. 50 petitum est, non admodum probamus. Multo minus Harduini somnia nos tenebunt, quum in reliquis, tum in iis, quae ex temporum angustia contra Aeneidis a Virgilio susceptum opus disputat in *Pseudovirgilio* (inter Opera varia p. 280). Talia refellere, nostri otii non est. Post hoc itaque tempus etiam ille locus Aen. VI, 792 scriptus esse debet: *Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis, Augustus Caesar, Divi genus.*

Augustus bello in Britannos parato, sed mox seposito, ab Vrbe in Gallias et Hispanias proficiscitur, vid. Dio LIII, 22 sqq. Ergo Ianus nunc reseratus. Messala ex Gallia triumphat VII Kal. Octobr. v. ad Tibull. I, 7.

Hunc porro annum assignant viri docti Satyrae decimae libri I Horatii, in qua v. 45 *molle atque facetum Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camoenae.* Quod iudicium quum unice ad Bucolica et Georgica spectet (vid. infr. de Carmine bucolico Tom. I), quumque ibidem *forte epos acer, Vt nemo, Varius ducit,* adiectum sit, nihil adhuc de Aeneide tum poëtam cogitasse, nihil certe vulgasse, probabile fit.

V. C. 728.

Caesar Augustus XIII. T. Statilius Taurus II. a. C. 26. Virgilii 44—45.

VII Kal. Febr. Sext. Apuleius ex Hispania triumphavit: eum itaque superiore anno res in Hispania feliciter gessisse credere licet. *Cornelius Gallus* primus Aegypti praefectus Augustalis, quum propter

multa flagitiose acta infamia ab Augusto notatus, mox et senatus iudicio damnatus esset, dolorem non ferens, poenam morte voluntaria antevertit; Dio LIII, 23. Eius laudes quarto Georgicorum libro Augusti iussu tum sublatas Aristaei fabulae locum fecisse, narrant Grammatici, v. Donat. §. 39. Servius ad Ecl. X, 1.

V. C. 729.

Caesar Augustus IX. M. Iunius Silanus.
a. C. 25. *Virgilii* 45—46.

Expeditio Augusti in Cantabros. Absentem eum a Virgilio literis suis Aeneidem flagitasse, Donatus memorat §. 46, ubi v. Not.

Hoc et sequente anno Aelius Gallus ex Aegypto exercitum in Arabiam felicem duxit: v. Dio LIII, 29; Strab. XVI, p. 1126 sqq. Potuit Virgilius illa respicere in versibus de Iano reserato Aen. VII, 604, 605: *Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum, Hyrcanisve*, Arabisve, *parant.*

V. C. 730.

Caesar Augustus X. C. Norbanus Flaccus.
a. C. 24. *Virgilii* 46—47.

Altera vice clausus Ianus Augusto ex Hispania reduce. Ad h. a. spectat Hieronymus Chron. Euseb. ad Olymp. 189, 1: *Quinctilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur.* De eius obitu consolatur Virgilium Horatius noto carmine lib. I, Od. 24. Quis ille Quinctilius fuerit, ignoratur; nec magis exploratum, quis ille Virgilius fuerit; nam Gramma-

ticorum commenta audienda non sunt; vid. Argum. Ecl. VI, conf. Masson. Vita Horatii ad h. a.

V. C. 731.

Caesar Augustus XI. A. Terentius Varro Muraena suff. Cn. Calpurnius Piso.
a. C. 23. *Virgilii* 47—48.

Augustus e gravi morbo Antonii Musae opera convalescens semestri spatio interiecto M. Marcellum sororis filium, quum aedilitatem anno superiore suscepisset, et Augusto vulgo imperii heres destinaretur, e morbo decedere videt. Gravis tunc totius populi luctus; Dio LIII, 30. Virgilius eius mortem pulcherrimis versibus ornat Aen. VI, 861—887. De quibus versibus lectis et lauta remuneratione honestatis v. sup. Donat. §. 47. De M. Marcello et eius numo v. Fortunati Mandelli Commentarium in *Nuova Raccolta d'Opusc. scient. T. XII.* Est is numus, e Museo Nanio; an tamen is ad Marcellum nostrum spectet, non minus dubito, quam de altero numo, quem Spanhem. Tom. II, p. 516 et hinc alii exhibuere.

Tiridates ipse, a Phraate vero legati, controversiarum suarum causa Romam venere. Quibus in senatum introductis, quum Augusto causae cognitio decreta esset, Tiridatem Phraati nequaquam tradidit, filium tamen Phraatis, quem in potestate sua habebat, patri remisit hac lege, ut pro eo captivos signaque militaria, Crassi et Antonii cladibus amissa, reciperet; Dio LIII, 33. Res tamen non perfecta ante annum 734. Ad hoc Augusti postulatum, quo negato bellum in Parthos susceptum iri suspicio erat, respexisse creditur Virgilius Aen. VII, 605, 606: *Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant,*

seu tendere ad Indos Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa. Addebat Ruaeus sub h. a. « Igitur annis minus quatuor sex fere ultimos operis libros poëta perfecit; nec vero tanta in iis elucet, quanta in superioribus, cura. » Vix curae ac diligentiae defectum in novissimis libris odoratus esset bonus Ruaeus, nisi id iam aliunde sic narratum accepisset. v. Monitum ad lib. VII pr.

V. C. 732.
M. Claudius Marcellus Aeserninus.
L. Aruntius.
a. C. 22. *Virgilii* 48—49.

Augustus in Siciliam profectus est, ut eam ac omnes alias ad Syriam usque provincias constitueret. Dio LIV, 6. Factum id sub finem anni videtur. Videri potest de hoc itinere Noris. Cenotaph. Pisan. p. 292—294. Ante Augusti ex urbe discessum Ianum iterum reseratum esse probabile fit: nec tamen inde inferre velis cum Massono p. 112 sq., locum Aen. VII, 604, 605, 606, ex huius anni actis interpretandum esse.

Aethiopes, duce regina Candace, impressionem in Aegyptum faciunt, et Elephantinen urbem diripiunt. Revertentes eos ad terras suas C. Petronius, Aegypti praefectus, caedit, Aethiopiam ingressus regiam evertit, et terram eorum praesidiis occupat; vid. Dio LIV, 5; Strabo lib. XVII, ubi de Aethiopibus agit. Haec Virgilius respicere videtur Aen. VI, 796, *Iacet extra sidera tellus, Extra anni solisque vias* etc., ubi vid. Not.

V. C. 733.

M. Lollius. Q. Aemilius Lepidus.
a. C. 21. *Virgilii* 49—50.

Augustus rebus in Sicilia ordinatis in Graeciam transmisit. Rebus in Graecia confectis in Samum navigavit, ibique hiemavit: Dio LIV, 7.

V. C. 734.

M. Apuleius. P. Silius Nerva.
a. C. 20. *Virgilii* 50—51.

Iterum victi hoc anno Cantabri ab Agrippa: Horat. I Ep. 12, 26. *Vere Augustus in Asiam perrexit, ibique et in Bithynia omnia constituit,* Dio LIV, 7; *etiam Syriam adiit* ibid. Iustin. XLII, 5. Hanc Augusti in provinciis adeundis, dignam principe tanto, industriam praedicat Virgilius Aen. VI, 802—806: *Nec vero Alcides tantum telluris obivit* etc. cf. Sueton. cap. 47.

Quum in Syriam advenisset, Phraates, veritus, ne bello peteretur, signa Augusto cum captivis et exercituum Rom. spoliis remisit. Qua re nihil ad Augusti gloriam illustrius unquam factum visum est: v. Dio LIV, 8 et ibi Fabric. Etiam Indorum legati eum Antiochiae adierunt: Strabo XV, p. 719 C. D. Vnde Aen. VI, 795 *super Indos Proferet imperium.* Itaque magnopere in primis a poëtis ea res extollitur et magnificis verbis ornatur, ut de profligatis Parthis, everso eorum imperio, victo Oriente, India debellata, eos loqui videas: v. loca ap. Cerdam ad VII Aen. 606. Ad hunc itaque annum versus poëtae nostri Gc. IV extr., II, 170—173; III, 26—33 a nonnullis referri, supra ad a. 724 significavimus. Insigniter au-

ctum est hoc idem Aen. VI, 799: *Huius in adventum iam nunc et Caspia regna Responsis horrent divum, et Maeotia tellus, Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.*

Occiso Artaxia, qui aliis Artabazes sive Artavasdes, *per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis* (maiori Armeniae) *Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone* Tacit. Annal. II, 3: v. Dio LIV, 9 et ibi Fabric. Add. Vellei. II, 94, 3 et ibi Ruhnk. Hinc Virgilii illud Ge. III, 30 *pulsumque Niphaten* (qui Armeniae mons est, male a poëtis nonnullis pro flumine habitus, quorum loca v. apud Masson. Vita Horatii p. 306 sqq.) illustrant viri docti. Sed ad res cum Parthis a. 724 transactas referre ea praestat. Ominatur poëta tanquam in vaticinio eventus futuros, non res vere gestas enarrat.

E Syria Augustus in Samum reversus ibidem iterum hiemavit. Frequentes hic ad eum legationes convenerunt, et Indi pacem, quam antea per oratores petierant, tunc interposito foedere sanxerunt et dona miserunt. Dio LIV, 9. Cf. dicta sup. ad a. 724. Garamantes quoque hoc anno victi a L. Balbo Procos., qui anno frequente VI Kal. Apr. ex Africa triumphavit. v. Plin. V, 5, qui classicus locus est, et Solin. 29. Add. Intpp., in primis Ruhnk. ad Vellei. II, 51, p. 249, forte et Nasamones deleti, Priscian. Perieg. 194, ubi cf. Excurs. X. Wernsd. Bene itaque Aen. VI, 795 *super et* Garamantas *et Indos Proferet imperium.*

V. C. 735.

C. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Vespillo.
a. C. 19. *Virgilii* 51—52.

Donatus in Vita §. 51 *Anno quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit in Graeciam et Asiam decedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed quum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto, ab Oriente Romam revertenti* (quod verum est: v. Dio LIV, 10) *una cum Caesare redire statuit. Ac quum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, languorem nactus est: quem non intermissa navigatio auxit, ita ut gravior in dies, tandem Brundisium* (alios Tarentum memorare, in notis monitum) *adventarit, ubi diebus paucis obiit, X Kal. Octobr. C. Sentio, Q. Lucretio Coss.*

Celebrabantur hoc anno XIX Kal. Septembr. Eleusinia, quibus Augustus initiatus est. An ipse quoque Maro, disquisivit vir doctus (*Critical Obss. on the sixth Book of Aeneid* Lond. 1770, 8, p. 39 sq.). Scilicet fuere, qui in lib. VI Aen. Eleusinia initia revelata arbitrarentur a Marone. Annum obitus confirmat Hieronymus Chron. Euseb. ad Olymp. 190, 2, *Virgilius Brundisii moritur, Sentio Saturnino et Lucretio Cinna* (hoc nullum Lucretiorum cognomen) *Coss.* Plin. XIV, 1: *Haec* (vitis per se in vino picem resipiens) *Virgilii vatis aetate incognita, a cuius obitu XC aguntur anni:* numero rotundo; quum XCV essent: v. Baylium *Dictionn. Virgile* litt. H. Harduin. ad Plin. ibid. et XIV, sect. 5.

Quum in Graeciam proficisceretur Virgilius, scriptum fuisse creditur ab Horatio Carmen III libri I *Sic te diva potens Cypri.*

Dum in Graecia fuit, tertio Georgicorum libro splendidum illud exordium: *Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas*, additum fuisse cum Catroeo Wartonus putabat *Life of Virgil* p. 27, ex interpretatione scilicet parum subtili.

Fuisse, qui eum in itinere Tarenti vita excessisse traderent, ad Donatum §. 51 dictum. Sive tamen Tarenti, sive Brundisii obierit, utraque urbs quum ad Calabriam referatur, hinc intelligendus versus Epitaphi: *Mantua me genuit, Calabri rapuere*, h. in Calabria vitae ereptum se significat: cf. Phocas v. 105 *ut Calabros tetigit — vehemens luxavit corpora morbus*.

Ossa Virgilii Neapolin translata et ibi in via Puteolana sepulta: vid. Donat. §. 55, 56, et ibi Not. Apud Hieronymum l. l. *Ossa eius Neapolin translata in secundo ab urbe miliario sepeliuntur, titulo istiusmodi supra scripto, quem moriens ipse dictaverat:* MANTVA ME genuit; quod apud Donatum §. 55 legas, et in Eusebianum Chronicon haud dubie ab interpolatore venit; repetitum inde a Vincent. Bellovac. Specul. hist. VII, 60.

De testamento Virgilii v. Donatum §. 56.

Eum paulo ante mortem scrinia, adeoque omnia sua scripta (ut etiam Grammaticus in Antholog. lat. II, 184, (v. supr. inter Testimonia n. VII) accepit), comburere voluisse, mox, ut Aeneis saltem combureretur, tanquam imperfectum opus, testamento scripsisse, tandem, amicorum precibus victum, Vario ac Tuccae, de quibus v. ad Donat. §. 53, scripta sua legasse, ea sub conditione, ne emendarent, narrat Donatus §. 52, 53. Ab iis tamen, iussu Caesaris, Aeneidem emendatam esse, in eadem farragine memoratur §. 56, quod ita intelligas, ut emendarint quidem tol-

lendo, non autem addendo; v. sup. ad Donat. §. 59. Ita fere Hieronymus Chron. Euseb. ad Olymp. 190, 4: *Varius et Tucca, Virgilii et Horatii contubernales, poëtae habentur illustres, qui Aeneidum postea libros emendarunt sub ea lege, ut nihil adderent.* Nescio an inter sublata referendum sit illud, quod apud Senec. Suas. 3 e Virgilio excitatur: *plena deo.* Locum illud habere potuit in Aen. VI. Nihil tamen ex Aeneide intercidisse alioqui memoratur. Fuit tamen Guyeti acumen, quod quatuor extremos Aeneidis libros Virgilio abiudicaret. Nam Io. Harduini somnium vel verbo attingere piget, qui totam Aeneidem fetum saec. XIII, esse volebat. Refellit eum Saxius in disp. Lips. 1737 habita.

Reliqui Grammatici modo hoc modo illud sequuntur. At veteres scriptores, Plin. VII, 30, sect. 31: *D. Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit; maiusque ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua probasset.* Gell. XVII, 10: — *sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praevertcrat, nequiverunt, nequaquam poëtarum elegantissimi nomine atque iudicio digna sunt: itaque, quum, morbo oppressus, adventare mortem videret, petivit oravitque a suis amicissimis impense, ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, abolerent.* Macrob. Sat. I, 24: *qui enim moriens poëma suum legavit igni, quid nisi famae suae vulnera posteritati subtrahenda curavit? nec immerito.* Multa in eam rem variorum Epigrammata vid. in Catalectis Scaligeri et Burmanni Anthologia. Adde Donat. §. 57, 58. Est etiam disputatio hac de re hominis Itali (*Sperone Speroni opere* Tom. IV), verbosa, et vanis argutiis inanibusque quaestiunculis plena, ut lectio vix tolerari possit, non magis

quam reliquorum eius super Virgilio· Dialogorum. Gravis satis est vel una Plinii auctoritas, qua constet Virgilium poenituisse Aeneidis tanquam imperfecti operis. Maluit tamen vir doctus L. A. Bartenstein, Prof. Math. et Poës. Coburg. in Prolus. a. 1774 scripta, nec teste nec argumento, sed mera suspicione contendere, poenitentia laudum in Augustum cumulatarum, et inductorum, adversus Epicureorum disciplinam, deorum, eo adductum esse poëtam, ut testamento suo carmen abolitum esse·vellet.

Ceterum Virgilio mox *comitem ad Elysios campos mors misit* Tibullum iuvenem: vid. Domitii Marsi Epigramma ad calcem Tibulli. Ovidius tum annum XXV agebat, itaque Virgilium *tantum se vidisse* testatur Trist. IV, 10, 51. Horatius annum ingressus erat XLVII.

Aeneidem quum vivo Virgilio multis hominum desideriis expectatam, et ab Augusto literis flagitatam (vid. Donat. Vita Virg. §. 46 et ibi Not. et Macrob. I, 24), tum eo mortuo magno favore et praedicatione acceptam fuisse, ex poëtis eius temporis colligas. Ovidius Rem. 395, 396: *Tantum se nobis Elegi debere fatentur, Quantum Virgilio nobile debet epos.* (*) Sed idem Aeneidis iam meminit Am. I, 15, 25, quod carmen ad annum 736, proximum a Virgilii morte, Massonus retulit: *Tityrus et segetes Aeneiaque arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit.* Et in Arte 751 edita lib. III, 337: *Et profugum Aenean, altae primordia Romae, Quo nullum Latio clarius exstat opus.* Nondum absoluta et edita erat Aeneis, quum Propertius (non ante 729 ut supra vidimus)

(*) Ita leg. nam *opus nobile* esset quidem carmen epicum, non poësis epica.

nobiles illos versus scriberet lib. II Eleg. extr., 61 sqq. *Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma* etc.

Vrgilium paulo post, et adhuc aevo Augusteo, in scholis praelectum et enarratum fuisse, e Suetonio scimus de ill. Grammat. c. 16. Q. Caecilius Epirota Cornelii Galli familiaris — *primus dicitur latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poëtas novos praelegere coepisse*; etiam Orosii aetate: Oros. I, 18, Aeneas — *qualia per triennium bella excitaverit, quantos populos implicuerit, odio excidioque afflixerit, ludi literarii disciplina nostrae quoque memoriae inustum est.*

Vt Virgilio Ennium ab Adriano praelatum taceam (Spartian. c. 15): Caligula Virgilii memoriae admodum infestus fuit. *Sed et Virgilii et T. Livii scripta et imagines, paullum afuit, quin ex omnibus bibliothecis amoveret, quorum alterum, ut nullius ingenii minimaeque doctrinae — carpebat* Sueton. Calig. 34. Itaque Virgilii Codices ad parvum tum numerum redactos fuisse necesse est. An forte inde in tanto nunc apographorum numero mirus ille librorum etiam vetustiorum in corruptelas consensus repetendus est? ut, quum post haec Virgiliana carmina ex paucis, nec forte emendatissimis, exemplaribus describerentur, vera iam tum lectio periisset: quo factum, ut frustra nunc a libris auxilium, ubi haereas, exspectetur. Exstabat tamen Virgilii manus adhuc Plinii maioris aetate H. N. XIII, 12 extr. et Quintiliani Inst. I, 7, 20. Nam apud Gell. I, 21, Hyginum, qui paulo post Virgilium vixit, librum *ex domo atque familia Virgilii* habuisse nil mirum. Virgilii idiographum librum inspectum, sed ab aliis, Gellius memorat N. A. IX, 14. Apud eundem II, 3: — *venit nobis in memoriam, Fidum Optatum, multi nominis Romae gram-*

maticum, ostendisse mihi librum Aeneidis secundum, mirandae vetustatis (medio saec. II), *emtum in Sigillariis XX aureis, quem ipsius Virgilii esse credebat*, in quo Aen. II, 470 *aena* scriptum erat, addita supra litera *h.* factum *ahena*. Apud Eund. XIII, 20, Probus -- *in primo Georgicon*, quem ego, *inquit*, librum manu ipsius correctum legi, *urbis per* i *literam scripsit.*

Magnam copiam versuum et lusuum in Virgilium eiusque carmina quum bona tum mala, vetustiorum et seriorum poëtarum, vid. post Pithoeum et Ios. Scaligerum in Catalectis apud Burmann. in Antholog. Lat. lib. II, ep. 173 sqq. De his Scholasticorum exercitationibus v. Prooem. ad Culicem: cf. Wernsdorf P. L. M. tom. VI, p. 29.

Quum semel hominum doctorum ingenia ad inanes lusus et nugas poëticen deflexissent, exorti quoque sunt, qui illiberali prorsus invento centones Virgilianos conderent. Ex hoc numero saeculo quarto exeunte inclaruit Falconia Proba. conf. Sax. Onomast. T. I, p. 438. Circa idem tempus dispescuit suos centones Ausonius. Adeo difficile est perspicere et diiudicare, quid verum pulcrumque sit, si semel hominum indicia occaecavit pravi exempli falsaeque opinionis auctoritas. Mirabantur tamen hi homines Virgilium non minus ac Pisones vel Messalae ex Augusteo saeculo.

CODICVM ELENCHVS

AD QVOS QVIDEM

P. VIRGILII MARONIS ADHVC RECENSVM

ESSE FACTVM CONSTAT

Codicum recensum dabimus qualem ipsa res offert; in plerisque exilem, modo locupletiorem. Satis enim constat, eos, qui primi veteres scriptores typis expressos vulgarunt, nec magis superioris et huius saeculi plerosque editores, de codicum, quibus usi sunt, aetate ac bonitate aut iudicium omnino nullum, aut parum subtile, aut omnino parum ex artis diplomaticae notionibus et praeceptis constitutum, tulisse. Plerumque itaque non habes cui recte innitaris, in primis quoties antiquitatem codicum crepant. Expeditius iudicium est de bonitate: ea enim ex ipsa lectionis exploratione et comparatione cum aliis cognosci potest; atque hoc tenere praestat. Auteit omnes codd. veneranda vetustate,

I. Codex vaticanvs, MS. 3225, in quo fragmenta nonnulla Virgilii, a Georg. III, 1 inde, servata sunt, quemque cum picturis aeri incisis exscriptum ad ipsam libri scripturam exprimi curavit *Io. Caiet. Bottarius* in volumine inscripto:

Antiquissimi Virgiliani codicis fragmenta et picturae ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisae. Romae. Ex chalcographia R. C. A. (Romanae Camerae Apostolicae) *apud Pedem Marmoreum* 1741, *gr. fol.*

Inscriptus liber Benedicto XIV a Io. Dominico Compiglia

Chalcographiae C. A. Praef. Sed, quae praemissa est, erudita praefatio Bottario debetur. Primum exemplum picturarum Camilli Cardinalis Maximi (de Maximis) iussu Bartolus tabb. LV aere expresserat. Pauca ab hoc aere erant exempla ducta; in quibus quum prima pagina radio exarata vacuum literis recipiendis haberet spatium, titulus cum anno ab aliis aliter est suppletus. In Bibliotheca nostra academica est exemplum s. a. Aliud vidimus a. 1725, aliud anni 1677, 4 in memorab. bibliot. Dresd. T. II, n. 317. Quid quod iterum 1782 Venant. Monaldinus lucrum ex eo recudendo quaesivit. Tandem praeclaro consilio Bottarius totum codicem vulgare instituit.

Est autem ille codex membranaceus quadrato volumine, ad nostri fere quaternionis formam, a librario imperitissimo, quo ipso fides eius et auctoritas tanto maior est, maiusculo et quidem capitali romano rustico charactere, continuis vocibus, sine interpunctione exaratus, quam tamen recentior et indocta manus passim supplevit, picturis exornatus, quibus ille multo etiam magis, quam scriptura inter viros doctos celebrari coepit. Scriptura deflexa est ad molliorem pronuntiationem: v. c. *imposìti*, *alligat*, non *inpositi*, *adligat*. Iam quae de Codicis aetate a doctiss. Bottario et a PP. Benedictinis (1) disputata sunt, hic quidem repetere non possumus. Si tamen hos, tanquam doctiores indices, audias, et Italis, quidquid pravum ad maiorem vetustatem omnia revocandi studium comminisci iussit, condones: quantum quidem in re incerta coniectando assequi licet, non ultra saeculum V assurgere ea vetustas videtur. Nam, quod praecipuum opinionis de multo maiore antiquitate praesidium a picturae artificio ac nitore petitur, id nec magis tutum ac firmum est. Potuit enim seriore quamvis aevo bonum aliquod ingenium meliora sequi, et, si ex vetustiore libro hae ipsae picturae expressae sunt, quod certe maioris in vestibus, armis, et aliis rebus antiquitatis vestigia nonnulla suadent, antiquiorem ac meliorem rationem exprimere. Nec tamen valde vetusti moris vestigia in his picturis deprehendas, nec laudis, qua

(1) *Nouveau Traité de Diplomatique* Tom. III, pag. 56, 57.

picturas illas efferunt, iustas et idoneas causas esse videas. Nec enim subtilitate linearum nec formarum elegantia illae se commendant; ratione partium, symmetria et multo magis optices lege ac fide, peccant omnes. Inveniendi vero et ordinandi artificium omnino nullum. Sed mirationem colorum claritatea et varietates facere videntur; de linearum veritate et artificio iudicium ex Bartolina opera parum tuto forte instituas, quum in ea, monente Stuarto (1), multum ingenio suo indulserit bonus Bartolus. Possum tamen vel sic nonnulla cum voluptate et cum fructu ex antiquitate rerum adspectui proponi: occurrunt templorum et aedicularum formae plures nec inelegantes, ut p. 134 arae cum sseris. Orpheus pileo, quod mireris, Phrygio caput indutus p. 21 et 177. Navis XVI remorum, alia XVIII, alia X, aliquot XXVI, XXII remorum; si modo artificis imperitia numerum curavit. Neptunus et Venus cum sceptro ad Aen. V, 779; Vrna Minois ad VI, 431 miro modo expressa p. 110; tela Circes p. 129; Iuno cum Alecto p. 142; Iuno Ianum reserans p. 148.

Fuit hic liber, quod in fronte notatum legitur, primum *Ioviani Pontani*, tum *Petri Bembi* (v. inf. de Bembi codd.) mox *Fulvii Vrsini*, qui eum *bibliothecae Vaticanae*, cui praeerat, cum aliis codd. intulit. Neminem adhuc de hoc codice inspiciendo sollicitum ante se fuisse videri, docet Bottarius p. V. Vidit et laudat eundem Mabillonius Itin. Ital. T. I, p. 63.

II. Alter Codex vaticanvs antiquissimus Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, nec nisi in paucis locis truncatus (2), MS. 3867 membranaceus, charactere capitali romano rusticiore sive incomtiore; altiore quam latiore; punctis inter verba, sed ab indocta manu illatis. Habet et is figuras nonnullas, quas Bartolus libro modo memorato (3) aere expressit.

(1) *Antiquities of Athens* p. 29 (c). Ceterum picturam viri Trojani amicti sedentis, ex hoc codice laudari video a Pignorio Origg. Patav. c. 12, p. 68, quam in Bottarii opere non reperio.
(2) Ecl. VIII et IX. Ge. II. Aen. II, III et V.
(3) p. 5, 29, 41, 43.

Etiam in huius libri vetustate celebranda doctorum virorum studia incaluerant. vid. Mabillon. de re diplom. lib. V tab. VI, p. 352. Montfauc. Diar. Ital. p. 277, et Bibliothec. MSS. p. 3 D. Bottarius in praef. laudata, p. VI et XX. Benedictini N. Tr. de Diplom. T. III, tab. XXXV, p. 61, 62, qui quidem saeculo IV antiquiorem esse negant. Pictura deterioris notae et barbariem plus redolet, quam illa paulo ante memorata. Eum ex Gallia in Italiam pervenisse, et in B. Dionysii aliqua aede olim servatum fuisse, Montefalconius observaverat, ibid. Laudat eum Politianus Miscell. c. 71, 77; v. Bottar. p. XX. Codex hic intelligendus est, quoties Pierius *antiquum* vel *romanum* memorat, quod characterem literarum romano propiorem esse autumabat, h. e. capitali, qualis in marmoribus visitur. Vid. Pierius Castig. in Bucol. princ. Namque Pierius codice hoc satis quidem diligenter usus est, de quo eodem dicere videtur ad Aen. IX, 20. Iterum tamen eundem codicem cum vulgari editione, Hack. L. B. 1680, sed parum docte et accurate, quod nos res et usus docuit, comparavit; lectionis varietatem enotatam exhibuit Bottarius libro supra laudato p. 187 sqq., unde nos in var. lect. transcripsimus. Neque Ambrogius aliunde petiisse videtur, quamquam is ipsum codicem excerpsisse videri vult. Quantum quidem nobis iudicare licet, a librario valde indocto et ab exemplo nullius boni critici opera emendato scriptus est; quo tamen ipso fides ei tanto maior accedit; nisi quod saepe glossematibus contaminatus est, v. c. Ge. IV, 482, 488. Expertus etiam est manum emendatricem, testante Bottario in praef. laud. p. XXI. Ad orthographiae veteris reconditiores rationes usus eius permagnus esse potest, et provocat aliquoties ad eum Aldus in libro de Orthographia. Omnino diversam a Mediceo rationem sequitur, v. c. in quarto casu per *es*, ut *montes*, *urbes*; adeoque etiam in hoc, sed multo magis in ipsa lectione, suam familiam ducit. Deduxitque nos sedula observatio tandem eo, ut omnino duas codicum familias, saltem in Aeneide, deprehenderemus, alteram Apronianam (de qua paulo post) Mediceo auctore; alteram ab eo diversam, in qua princeps est romanus a. Vaticanus.

III. Codex palatinvs, MS. 1631 biblioth. Vatic. membranaceus, scriptura continua, uncialibus, quas Bottarius vocat, seu verius, capitalibus rusticioribus literis nitide scriptus, Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, sed misere truncatus et foede arrosus. De eo v. Bottar. praef. ad fragm. Vatic. p. V et XVI, qui et specimen codicis dedit p. 3 repetitum a Benedictinis PP. T. III, p. 63, tab. XXXV. Est is merito inter antiquissimos habendus. Ad IV aut V saec. vulgo refertur. Qui proferuntur a Bottario bini versus ex Georg. III pr. binis vitiis librarii sunt contaminati. Hunc codicem Heidelberga cum Palatina bibliotheca in Vaticanam se advexisse narrat Leo Allatius in animadverss. in Inghirami fragm. Antiqq. Etrusc. p. 58. Ad eius fidem Virgilii opera in bibliopolio Commeliniano a. 1589, 1599 et 1603 excusa sunt, sed, eodem Allatio monente, non bona fide: et, si codex tam mutilus est, ut fertur, aliunde suppleta. Varietatem ex ea editione passim ab Heinsio notari videas, et ex ipso codice ab Ambrogio in nupera editione romana. Sed quum hic quidem rei criticae nimis imperitus homo sit, fide eius parum stari posse arbitratus sum, et, quae quidem evolvi et comparavi, cum Vaticano fere consentire vidi. Nunc in nova recensione ipsam editionem Commelin. adhibui, et inde Codicis Palatini non contemnendam esse auctoritatem deprehendi in libb. Aeneidis, inprimis posterioribus.

IV. Codex medicevs. De quo multa disputata sunt a viris doctis. vid. Noris. in Cenotaph. Pis. p. 430 sq. Mabillon. de re diplom. p. 352. Benedictini monachi *N. Tr. de Diplom.* T. III, p. 51, 52. Nic. Heinsius diss. de hoc codice ap. Burm. praef. T. I, p. XXXVI sqq. ex eius Epp. ad Reinesium in Sylloge Epistolar. T. V, p. 193 sqq.; ipse Burmannus Secundus, in eadem praef. p. XL. *Dissertazione del Codice Aproniano, dall'Abbate Sestini. Firenze,* 1722, 4, et Fogginius in praef. Namque hic doctiss. vir totum codicem literis maiusculis excudi curavit hoc titulo:

P. Vergilii Maronis Codex antiquiss. a Rufio Turcio Aproniano V. C. distinctus et emendatus, qui nunc Flo-

rentiae in bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, *bono publico typis descriptus Florent.* 1741, 4, cura P. Franc. Fogginii.

Codex ipse exaratus est io tenuissima membrana, charactere capitali minore, admixtis tamen noonullis miousculis: ioterstitiis verborum nonnollis, quamquam Foggioius (v. praef. p. XIV) distioctis verbis et vulgari nostro charactere quadrato eum repraesentari curavit. Plures correctores expertus est; v. Foggio. praef. p. XIII. Est et hoc inter laudes codicis, quod ioteger est, nec oisi ab initio ad Eclogam sextam: *Proetides implerunt*, truncatus. Specimina scripturae multi exhiboere, omnium accuratissime Fogginius in praef. p. XV et ex eo PP. Benedictini T. III. tab. XXXV, II, IV; subscriptionis antem, quam statim memorabimus, Nic. Heinsius in praef. Virgilii Burm. p. XXXVI. Codicis huius vetustatem mirifice extulerunt laudibus et ornarunt viri docti. Vt breviter tota disputatiooe defuogamur, omoe de eo iudicium, post literarum characterem, ex adscripto sub Bucolicorum finem correctoris nomine pendet. Est is Turcius Rufius Aproniaous Asterius, qui anno Christi 494 Consulatum gessit, et e cuius recensione Sedulius emendatus Rhemis servatur. Vid. de hoc viro Noris. Cenotaph. Pis. pag. 446. Tillemont *Hist. des Emp.* T. IV, cap. 18. Footanini Hist. litt. Aquilei. pag. 234 sqq. Relandus Fast. Cons. ad a C. 494. Wilthem. App. ad Diptych. Leod. Nic. Heins. ad h. l. et ouper iterum Ariolus ad Sedulium copiosa disputatione, prolegom. c. V, p. 71 sqq. nam praefert eiusdem Asterii oomen subscriptio antiquissimi codicis Sedulii. Diversus ab hoc Asterio fuit alius Flavios Astyrius, seu Asturius, verius Asterius, qui a. C. 449 Coosul fuit, quod docuere iidem viri docti: add. doctissimus Saxius io onomastico p. 494. Subscriptio subiectum habet carmen, quo ludos a se editos ille memorat: quod iterum editum et illustratum vides io Burmanni Anth. Vol. I, p. 371. Iam quum Aproniani correctoris diversa a reliqua scriptura manus sit, et codex quem emendaodum suscipiebat, iam antehac scriptus esse debuerit, ad saec. IV et remotiores adeo saec. II annos aetatem eius reiecere viri docti, Norisius l. l. et Bottarius praef.

laud. p. IV. Quid tamen ii reponendum habeant, ipsi viderint, si quis cum PP. Benedictinis, non facile nisi admodum recens scriptum librum emendatori traditum fuisse, contendat; quo ipso efficitur hoc, ut non nisi circa finem saec. V exaratum eum codicem credere fas sit. Quid? quod, nisi scripturae character intercederet, ex subscriptione illa ne hoc quidem tuto pronuntiare possis. Solent enim hae emendatorum subscriptiones in ipsis sequentium librariorum exemplaribus, quae istis emendatoribus multo recentiora sunt, repeti; quo ipso omnis earum fides et auctoritas infringitur. Exempla eius rei, ne in his haereamus, petat aliquis v. c. ex Wilthem. ad Diptych. Leod. App. p. 4. 10, 11. Cf. Bottarius in praef. ad Frag. Vatic. p. XXI. Zacharias bibliotheca Pistoriens. p. 46. De his ipsis autem subscriptionis versibus eandem suspicionem iam Muratorius conceperat ex eo, quod binis locis variae lectiones seu glossemata adiecta sunt; Nov. Thes. Inscript. T. II, p. 602. Inter haec alia difficultas obiicitur in hoc, quod manus illa Asterii, seu Turcii Rufii Aproniani, appicta non est, nisi ad calcem Bucolicorum: quo satis patere videtur, nec ulterius eius operam processisse; alioqui sub finem Georgicorum et Aeneidis non minus subscriptio illa apposita esse debuerat. Aut si totum opus e recensione Aproniana tanquam apographum descriptum esse dixeris, ab incuria librarii in reliquis operis partibus subscriptionem omissam esse dicendum est. Vt hoc alterum mallem factum, moverat me Iulius Sabinus, qui ad Aeneidem passim Apronianam lectionem laudat. Et convenit una et altera harum lectionum cum emendatione in Mediceo codice priscae scripturae substituta, v. c. Aen. I, 636. Hoc sequutus, multis in locis ad Aeneidem Apronianam lectionem ex Iulio Sabino excitavi. Enimvero in aliis (1) locis Apronianam lectionem nullam vidi esse aliam, quam genuinam Medicei codicis lectionem, quae adeo Aproniano tribui nullo modo potest, quum is tantum correxerit librum, si modo correxit, non descripserit. Quid igitur Iulius

(1) V. c. Aen. II, 51, *ferit*; 657, *et ferre*. III, 336; IV, 9, 27, 314, 436, 464, 551; IV, 214.

Sabinus in iudicio suo sequutus sit, tanto difficilius est dicere, quum idem in nonnullis locis Aprouianum mutasse dicat vel sustulisse ea, quae in Mediceo codice relicta videas. Sic Aen. II, 76 versum ait ab Aproniano esse sublatum; is tamen Mediceo accessit a manu secunda (1). Nisi itaque Iulius Sabinus admodum oscitanter hac iu re versatus est, diceudum est, eum aliud exemplar habuisse, quod Aproniani manu emendatum aut esset, aut putaretur. Quid! quod idem ille ad Bucolica passim nou modo lectiones, verum etiam etymologias et interpretationes Aproniani laudat, quas unde hauserit, nondum reperi, v. c. ad Ecl. III, 18; I, 6.

Primus, quem hunc librum possedisse constat, fuit Rudolphus Pius, Cardinalis Carpensis, sub Paullo III, P. M., qui eum Achilli Statio evolvendum permisisse videtur, cuius etiam disticha nonnulla fronti codicis praefixa leguntur; mox idem Rudolphus eum bibliothecae Vaticanae legavit, ut ex Aldi Orthographia latina docuere viri docti (2); e qua furto, aut alio casu surreptus, in Mediceam perveuit.

Expressa iam dudum ex hoc codice erat editio Pauli Manutii 1583. Nuper ad eandem excusa fertur editio ambrogiana. Heinsius diligenter eum Florentiae evolverat. *Varietatem lectionis* excerptam iam 1565 vulgaverat Brixiae Paullus Gabianus.

Alterum volumen Foggiuius promiserat priori illi subiiciendum, in quo historiam codicis ulterius persequuturus esset; in quo quae modo disputata sunt, accuratius forte et copiosius tradita fuissent.

(1) Alia exempla v. IV, 273 Var. Lect. et 298, 528. Vua est lectio lib. IV, 663, *mediam*, quam tanquam Aprouianam laudat, quae in Fogginiano exemplari non occurrit. Item alia lib. XI, 966.

(2) Ea ratione haec exposuisse videmur, qua dubitationi PP. Benedictinor. l. l. p. 52 (a) occurratur: etsi vulgo Achilles Statius inter possessores codicis refertur. Ceterum male haec narrata sunt, si Gallutium audiamus (in *Storia del Gran Ducato di Toscana sul governo de' Medici*) lib. I, c. 12 et Ariolum prolegom. Sedulii p. 78, f. 147. Codex erat iu cimeliis domus de Monte (de quo dubitare licet; a Rudolpho Carpensi ad eam gentem perlatum eum esse probabilius fit); Iulius III ex ea gente oriundus codicem dono dederat Cardinali Innocentio de Monte, a quo 1568 muneris loco pervenit ad Cosmum.

Io. Pierii Valeriani codd.

V. Praeter *Vaticanum* codicem supra memoratum, quem *romanum* appellat, a Pierio excussi sunt:

Codex Oblongus, quo quidem nomine a forma voluminis ducto ab ipso Pierio designatur, minoribus literis exaratus et ipse admodum vetus, Pierio iudice. *Pomponii Leti* delicias eum olim fuisse, idem Pierius memorat ad Aen. V, 143; X, 186, 345; Georg. IV, 368, fitque mihi probabile, fuisse eumdem, quem Episcopus Aleriensis in Ed. principe altera emendanda adhibuerat: de qua vid. inf. Adservabatur ille in bibliotheca Vaticana, in qua tamen frustra eum quaerebat Bottarius praef. ad fragm.Vatic. p.V. Mirum est de eo nil a viris doctis, quoties de claris Pomponii codicibus agunt, ut Persii, Pompei Festi, ne Apost. Zeno quidem *diss. Vossiane* p. 243 sq. Levat tamen desiderium Pierii in eo adhibendo diligentia.

Codex Longobardicus Pierii, quem *non piget evolvisse*, ut ille de eo monet ad Bucolic. princ. A charactere nomen impositum, qui tamen qualis sit, ex nomine vix definire ausit aliquis, quum in scripturae notione definienda valde fluctuarint superiorum saeculorum critici.

Codex Mediceus Pierii: ab eo, quem Fogginius expressit, utique diversus, quod vel hinc colligas, quia in prima statim Ecloga a Pierio laudatur; Fogginianus vero ab initio mutilis est; etsi lectiones sunt quae cum illo conveniunt, inpr. Aen. XII, 221 *pubentes*, quod Mediceus a Fogginio excusus in litura habet. Eum inter emendatos esse, ad Bucol. pr. Pierius testatur. Num ille etiamnum in magno illo codd. Virgilianor. numero, qui in Medicea servantur, lateat, non dixerim.

Lectiones variantes ex iisdem libris modo memoratis, quibus Pierius usus fuerat, ad editionem Iuntinam, forte ab ipsius Pierii manu, notatas habuit Heinsius, memorante Burm. in praef. ad Virgil., Pierius tamen, praeter istos, nonnullos alios manu versaverat. Ita Codicem *Portium*, Codicem *Bellunensem*, ad Aen. IV, 138, memorat, *Delphium* ad Aen. IX, 651, *Palatinum* ad lib. X, 51. Etiam plures *Vaticanos* versavit manu: vid. cum ad Aen. VII, 400; IX, 102.

Codicem veterem apud *Ianum Parrhasium*, et alium in *Vaticana bibliotheca*, quem *Franc. Petrarchae* fuisse aiunt, testem producit Pierius ad Ge. III, 348. Hic quidem an in Vaticanis supra commemoratis lateat, definire non ausim; et an alter idem sit cum eo, qui a P. Burmanoo sub *Parrhasiano* nomine excitatur, ooo minus difficile est pronuntiare.

VI. Alius Virgilius cum Servii commentariis, membranaceus, in froote figuris pictoris noo ignobilis Simouis Senensis exornatus, notis et glossis a *manu Petrarchae* valde interpolatus, diversorum virorum doctoruoı penu habitus, in bibliothecam Papiensem, eaque 1499 direpta a Gallofrancis ad Ant. Augustinum, et ab hoc ad *Fulvium Vrsinum* pervenerat, unde deioceps a *Frid. Borromaeo* Purpurato in *bibliothecam Ambrosianam* advectus fuit. Docet hoc P. Burmannus iu praef. Virgilii, et praeter Montefauconium Diar. Ital. pag. 20. Bibl. MSS. T. I, p. 530, advocat Tomasio. Petrarch. rediviv. cap. XV, pag. 87 (1). Apud hunc pag. 85 Virgilius *Ant. Pirrhi*, nobilis Ticinensis, laudatur.

VII. Herc. *Ciofanus* ad Ovid. Met. VI, 117 loco a Burmanno in praef. notato multa de vetustissimo memorat exemplari *Ascanii Grandaevi*, civis Sulmoneosis, quem Mureto miserat.

(1) Ex *Ambrosiana* Codex Virgilii in Papyro Aegyptiaca scriptus, cum Petrarchae aunotatiouibus, a. 1796 Parisios translatus, nullus alius esse videtur, quam is, quem memoravi. Estalius Virgilii codex, quem nobilitavit Petrarchee manus, Laurae mortem memorans: de quo v. *Giov. Batt. Baldelli del Petrarca e delle sue Opere* (Firenze 1797, p. 177 sq.).*

* *Le manuscrit dont il est ici question, écrit, non sur du papyrus d'Egyte, mais sur peau de vélin, a été rendu à S. M. l'empereur d'Autriche en* 1815. *Il est accompagné des commentaires de Servius, et enrichi de notes manuscrites de la main de Pétrarque.*

M. Valpy a eu tort d'alléguer l'existence d'un second manuscrit de Virgile, enrichi de notes de la main de Pétrarque; les expressions trop concises de M. Heyne lui ont probablement fait commetre cette faute. Voyez P. Virgilii Marouis Opera, curante Ab. I. Valpy. Londini, 1819 *et* 1820, *Tom. VII*, *p.* 4564. (Barb.)

Idem in bibliotheca Vaticana *veterem* alium *Longobardicum*, qui an idem cum Pieriano libro sit, ex nominis ratione iudicium ferre non licet, et *alium antiquum* vidisse se narrat.

Eodem loco librum valde antiquum *P. Galesii*, alium satis veterem *Ludov. Lantis*, R. antiquissimum alium *Fulvii Vrsini* laudat. Fuit hic forte *Colotianus*, de quo vide paulo post.

VIII. *P. Bembi* liber passim memoratur; nec tamen is unus idemque. Molestiam facit res ab iis, qui codices manibus versarunt, tam parum diserte exposita. Omnibus diligenter circumspectis et consideratis, Virgilii codices *tres* diversos in eius supellectili libraria fuisse invenio: *unum*, nunc in Vaticana repositum, Aldo, Pierio, et Vrsino haud visum, qui fragmenta complectitur, quae Bottarius in lucem edidit: de iis supra actum; *alterum*, qui Lusus iuveniles cum Bucolicis et Georgicorum lib. I parte continebat: e quo Culicem correxit P. Bembus. v. praefat. nostram ad Culic.; *tertium*, quem Vrsinus cum altero illo domi suae habebat, et *quem*, ut ille ad Ecl. VIII, 44 monet, *ex Academia Pontani, grandioribus literis exaratum, habuisse Bembum dicunt*. Ex dictis his accuratius constitui poterunt ea, quae in praefat. Anthol. Lat. T. I, p. LIII de Bembi codd. disputata sunt.

Praeter tres hos codd. fuere duo alii, alter Bucolica complexus, cum notis, qui primum *Bern. Bembi*, deinde *P. Bembi* Cardinalis, fuerat, alter libros Aeneidos continens, itidem cum glossis, qui a *Modesto Polentone*, Sicconis f., ad P. Bembum Card. pervenerat; quorum uterque ad *Laur. Pignorium*, et ex eius testamento ad Dominicum *Molinum*, senatorem Venetum, transierat. Vid. Tomasinum *Biblioth. Patav.* pag. 85.

IX. *Codex Colotianus* Fulvii Vrsini, qui olim Angeli Colotii fuerat, quemque *Vrsinus* bibliothecae Vaticanae intulit, ubi nunc num. 1575 servatur. Vide de eo Vrsin. ad Ecl. VIII, 44, et Bottarii praefat. ad Fragm. Vatic. p. XI. Varietatem ex

eo passim notavit Vrsinus in *Virgilio collat. scrip. Graec. illustrato*. Consentit in multis cum Mediceo, vide v. c. Ge. III, 235, 236. Pervetustum eum appellabat Vrsinus; in fine tamen saec. XII scriptum censet Bottarius.

Habebat *Vrsinus* praeterea duos libros emendatissimos, de quibus ad Eccl. VIII, 44 memorat; scilicet Codicem *literis Longobardicis exaratum*, h. e. ut suspicor, literis minusculis passim admixtis; talem enim scripturam illo tempore ita appellare solebant; tum Codicem vetustissimum, qui fuerat *Franc. Philelphi*.

X. *Codex Barthii*. Habuit vir doctissimus tres Virgilii codices, inter quos unum vetustissimum, in cuius fine subscriptum erat: *Flavius Gennadius Felix Torquatus V. C. Rc. Romae D. N. Constantio P. F. C. P. P.* (Patrono Faciendum Curavit Propria Pecunia), quibus literis siglisque quamvis ignotis hoc tamen constare putabat, esse codicem venerandae antiquitatis. Nisi vero alia opinionis suae firmamenta habuit, hoc quidem unicum fallax et inane videri potest, quoniam in codice admodum recenti antiquiorum librorum subscriptio repeti potuit, ut supra iam alio loco animadversum est. Emendationes ex hoc codice in Eclogam X proposuit Adversar. XVIII, 16; XLI, 26.

XI. Memoravimus adhuc codices MSS. primum principes, tum quorum veteres critici mentionem faciunt. Subiungemus nonnullos, ad quorum fidem auctores *editionum criticarum* et *classicarum* recensionem suam instituisse feruntur. Et primas quidem editiones ex codicibus fluxisse uti certa res est, ita dolendum est non aeque liquere, e quibus codd. illae ductae fuerint. Principem quidem Romam, post alios, nec tamen valde bonos, codices comparatos, ex *Pomponii infortunati* (h. e. Iulii Pomponii Laeti) *codice* fuisse emendatam, tum a nobis monebitur, quum veterum editionum annales conficiemus; quo etiam ea differimus, quae de nonnullarum aliarum saec. XV editionum fontibus memoranda habemus. Praeclari fuere codices, ad quos *Naugerius* ed. Ald. tert. 1514

emendavit. Nec minus praeclari *Pieriani* 1521, Paulus Manutius *Mediceum* expressit, 1583, uti *Palatinum* Commelinus 1599. Recensionem *Io. Henr. Boeclerus* ad MS. biblioth. *Argentinensis* se instituisse in edit. Vlmensi 1698 profitetur: parum tamen fructus inde ad Virgilium pervenit. Ex *Ge. Fabricii* castigatione et *Theod. Pulmanni* recensione, neutra tamen ad novos codd. facta, fluxerant fere exemplaria vulgata omnia, quae usque ad Nic. Heinsium manibus terebantur; Pulmanniana quidem lectio regnabat in Antwerpiensibus Elzevirianis et ceteris Belgicis. In his a *Dan. Hensio* profectae editiones maiorem adeo incuriam produnt. Bonum factum! successit *Nic. Heinsius.*

Codices Heinsiani.

XII. Triginta Nic. Heinsius annos Virgilio recensendo impendisse et fere XXX codices consuluisse narratur. Ex his a Burmanno in praef. ad Virgilium sequentes commemorantur:

Mediceus, et *Vaticanus*, alter ille n. 3867, quem tamen ipse haud inspexisse videtur, verum laudat eum ex Pierianis Castigationibus.

Codices *Menteliani tres*, *Io. Mentelii*, Medici quondam Parisini, iique in antiquioribus habendi. Sunt illi, inprimis prior, plerumque in partibus Medicei: v. c. Aen. II, 76.

Codices *Rottendorphii tres*, qui erant Bernardi Rottendorphii, Medici. Ex iis tertius plerumque cum Gudiano et Mediceo consentit. Videtur hic esse is, qui in apparatum Gudianum migravit. cf. inf. de apparatu Saxiano.

Leidensis Bibliothecae itidem *tres*, a Io. Fr. Gronovio suppeditati, vetustatis nomine omnes ab Heinsio laudati. Ab his diversi fuisse videntur *duo Leidenses*, quos ipse Burmannus contulit.

Codex *Montalbanius*, quem ab Ovidio Montalbanio, Philos. Prof. apud Bononienses, dono acceperat Heinsius, ante D abhinc annos (saec. XIII) scriptum, quod in notis ad Aen. V, 522 eum indicasse Burmannus ipse observavit.

Codices *Menagiani duo*, ab Aegidio Menagio Heinsio con-

cessi, quorum alter recentioris fuit notae: Heins. ad Aen. V, 620; prior optimae notae.

Codex *Pugetianus*, qui Aeneidem complectebatur, ex bibliotheca Gul. Pugetii, in Senatu Tolosano quondam Consiliarii Regii. Cuius variantes lectiones a Bern. Medonio ad Heinsium missae Burmannianis notis insertae sunt, monente Burmanno iun.

Codd. *Balth. Moreti quatuor*: inter quos primus ex optimis habendus: cf. Aen. X, 861; etiam secundus melioris notae.

Codd. *duo Vossiani*.

Codd. *duo Ecclesiae Hamburgensis*: admodum praeclari, et alter quidem ad Mediceum fere exemplar descriptus.

Codex *Sprotianus*.

Codex *Schefferianus*.

Fragmentum *Moretanum*.

Fragmentum *Vossianum*.

Codex *Venetus*, quem Venetiis redemerat, recentior quidem, sed qui optimas suggereret lectiones.

Codex *Bigotianus* et *Hugenianus* inspecti tantum ab Heinsio fuere. Idem etiam Pieriana excerpta ad manus habuit, ut supra observatum est.

Tandem inter praestantiores Heinsii codd. fuit

XIII. *Codex Gudianus*, forma, quam nos in folio minore quadrato appellamus, membranaceus. Foliis LXXXVIII constat, multasque habet inter lineas, a variis quidem manibus, glossas allitas, inter praestantissimos tamen a Nic. Heinsio merito est habitus, quia ex optimo exemplari fuit transcriptus; quod aut Mediceum fuit, aut ex eodem fonte ductum, e quo Medicea lectio fluxerat; tam mirifice utraque inter se consentit. Ita ut, quemadmodum romanum codicem suam familiam ducere diximus, sic ab eadem stirpe procedant Mediceus, Gudianus, Rottendorph. tert., Mentelianus, Moret. pr. et sec. et Hamburg. pr. Nobis tamen in hoc codice diversae manus occurrere visae sunt. Tractavimus enim et inspeximus codicem e bibliotheca Guelpherbytana, in qua nunc

inter Gudiana asservatur, ad collegam amicissimum Kulenkampum missum; quando illud etiam aliquot foliorum comparatione cognovimus, summa diligentia ab Heinsio librum hunc excussum et excerptum esse, quem ille a Marqu. Gudio acceperat, quum is eum Lugduni in Galliis redemisset. Illud forte monere non vanum et inutile fuerit, in Ge. I post v. 52 non esse hiatum, ut in margine adscriptum est, sed transpositionem versuum. Sequuntur enim versus 53-104 paulo post versus 105-130 male hic insertos. Porro Ge. II post v. 52 lacuna in oculos incurrit ad v. 260, quam explere voluit alia sed indoctior manus, nec tamen folii spatium plus quam a v. 52 ad 211 capiebat. At ab antiqua manu iam olim idem damnum sartum esse deprehendimus in folio, quod male ad calcem, inversa quidem facie, dum compingebatur liber, adsutum est; quamquam nec hoc ulterius quam ad v. 234 procedit; sed frons eius altera abrasa nugas ab recente manu recipere coacta fuit. Videtur Heinsius hoc sub fragmenti Gudiani nomine laudare ad Ge. II, 82; nam, quod ibidem pro Gudiani libri lectione venditatur, *mirata est que*, in recentiore illo folio, quod ante memorabamus, legitur.

Ceterum infinitis in locis turbatum est in his variant. lectionibus, quod eae ad diversas editiones enotatae et adscriptae erant; id quod per totum hoc variae lectionis genus, in aliis quoque scriptoribus, molestias facit innumeras, inprimisque fidem et diligentiam exscribentis haud raro in suspicionem adducit. Valde molestum et illud est, quod Heinsius non notavit, quam editionem, ad suam criticen emendatam, operis librariis excudendam tradiderit, aut quam ante oculos habuerit, dum *vulgatam* memorat. Vnam ex Elzevirianis fuisse non dubito; probabile fit, patris Danielis fuisse. Interdum tamen Pierianam lectionem, quae erat Aldinae primae vel secundae, notae suae praefixit.

Codices Burmanni.

XIV. *Codices*, quibus *P. Burmannus* usus est, omnes fere sunt recentes nec magni momenti; omninoque ille sordes

ab Heinsio spretas inani opera cum pulvisculo converrisse dicendus est.

Codex *Regius*, e bibliotheca regia Parisiensi, Heinsio concessus, qui post eius mortem in *Rykiana* supellectili, mox apud *Masvicium*, qui editionem suam ad eum recensuisse videri volebat, hinc apud *Hulsium*, consulem Hagauum, fuit, unde sub *Codicis Hulsiani* nomine laudatur, ut apud Masvicium sub *Parisiensis*, et tandem *Bibliothecae Leidensi* illatus est. Antiquus valde et egregius, et Servii commentario instructus est. Vid. post Masvic. praefat. Burmannum in praefat. ad Virgil. et patrui Admonitionem de Edit. Masvic. (1).

Codex *Parrhasianus* a possessore, quem olim habuit, Iano Parrhasio, qui tum variantes et notas margini adscripserat, tum multa alia in Virgilium commentatus erat, quae a Burmanno praefat. (p. 13) enarrantur. Hic codex in bibliothecam Henr. Adriani Markii pervenerat, unde a Masvicio *Markianus* appellatur, ex hac in Hulsianam et tandem in bibliothecam Leidensem transiit. Conf. P. Burmanni Admonit. de Edit. Masvic. Interpolationes ex eo memorari vidi plurimas.

Codex *Francianus*. P. Francius *tres* Virgilii codices possederat. Ex *uno vetustiore* membranaceo varietatem lectionis a Iano Broukhusio excerptam et editioni Commelin. 1646, 4, adscriptam cum Burmanno communicaverat D'Orvillius, penes quem etiam *alterius* codicis membranacei Franciani fragmentum a medio Aen. I ad medium libri VI fuit. *Tertius* satis vetustus, qui Aeneidem complectitur, utrum idem sit, qui nunc in Amstelaedamensi bibliotheca adservatur, dubitatur a Burmanno Secundo. Omnino ad infimi ordinis codd. videntur Franciani esse ablegandi; quae enim ex iis laudantur, sunt mera plerumque vitia, aberrationes et indoctae interpolationes.

(1) Probabile mihi fit, hunc esse codicem, quem nuper narrabant a Gallofrancis esse vindicatum et bibliothecae Parisiensi iterum assertum. *

* *Ce manuscrit, qui n'avait été que prêté à Heinsius, a été réclamé par le ministre des affaires étrangères du roi de France. D'après cette simple demande, il est rentré dans la collection des manuscrits de la Bibliothèque du roi.* (B.)

Codex *Tollianus*. Sub hoc nomine laudantur var. lect. in Georgica a Iac. Tollio ex cod. papyraceo bibliothecae Teutoburgensis collectae et editioni Commelin. 1646 adscriptae, quam D'Orvillius Burmanno excerpendam commiserat. Nunc descripsit codicis habitum et variam lectionem enotavit diligenter H. A. Grimm in Withofii *kritischen Anmerkungen* I *Stück* pag. 120.

Codices *Leidenses duo*, quos ipse P. Burmannus contulit.

Codex *Zulichemius*.

Codex *Vossianus*, an unus ex iis fuerit, quibus Heinsius usus est, mihi non liquet.

Codex *Graevianus*, qui admodum recens fuisse videtur.

Codex *Oudartii*.

Codex *Vratislaviensis*, bibliothecae Elisabethanae, e quo var. lect. editioni L. B. 1652 manu Iani Gebhardi adscriptas e scriniis Heinsianis habuit Burmannus.

Codex *Wittianus*, e supellectili libraria Io. de Witt, civit. Amstelaed. quondam Iudicis, cum Burmanno communicatus.

Codex *D'Orvillianus*, recentioris aetatis, e quo varietatem lectionis excerptam ad P. Burmannum miserat D'Orvillius. Fuit is ex inquinatissimis, nec dignus e quo mera librariorum vitia enotarentur.

Codex *Wallianus*, aut potius fragmentum codicis a libro Aen. II, 310 ad v. 150 libri VI, ab imperito et festinante librario perscriptum, et glossis plurimis coinquinatum, nec tamen spernendum; quod ab Hermanno van der Wall ad D'Orvillium transierat. Contulit illud Burmannus iunior cum edit. Masvic.

Codex *Claramontanus*, membranaceus, Claramontii Ecclesiae Gallicanae olim ministri, e quo lectiones diversas Io. Arntzenius enotaverat.

Codex *Lubecensis*, ad Aen. X, 50, laudatur. Ceterum ex his codd. multi aut non fuere integri, aut certis tantum in locis inspecti.

XV. In editione Edinburgensi ex recensione Alex. *Cuninghami* 1743 a Viro docto nescio quo curata varietates non-

nullae e *tribus* codd. adnotatae sunt. Persuaserat sibi editor, Cuninghamum hos codd. inspectos contulisse. Enimvero *Waddelii codex est* nullus, sed sunt Ge. Waddelii coniecturae in Animadverss. criticis ab eo propositae. *Duo* autem codd. *Hulsiani* nulli alii sunt quam codex *Parisiensis Regius*, et *Markianus* seu *Parrhasianus*, de quibus paulo ante dictum est, e quibus varias lectiones in edit. Masvic. excerptas ante oculos habuit Cuninghamus; quantum assequor, codices non vidit. Neque ille edd. veteres 1472 et 1474 ipse inspexisse videri debet; prostant lectiones excerptae in edit. Martin. Scilicet

XVI. *Io. Martinus* (*Martyn*) in sua Georgicorum recensione 1741 et 1746 septem codicum a se comparatorum varietates habuit. Sed viro doctissimo, cuius alioqui laudibus nihil detractum velim, acumen fere criticum, omninoque hoc accuratioris eruditionis genus, defuit; itaque nec satis accuratam in iis libris excerpendis, neque in antiquis editionibus, quas plures, admodum raro obvias, apud se habuit, excutiendis operam locasse videtur. Ita nec minus in notis, inter plurimas egregias observationes, multa valde vulgaria operose exponi videas. Sunt autem codicum Martinianorum, e quibus tamen nihil, quod insignioris notae esset, prolatum memini, nomina in praef. ad Georgica nude enumerata:

Codex *Regius*, e bibliotheca regia Londinensi.
Codex *Cantabrigiensis*, e bibliotheca regia Cantabrig.
Codex *Bodleianus*, e biblioth. Bodlei. Oxoniensi.
Duo *Arundeliani*.
Duo *Meadiani*, quos olim ab immortali Viro, Rich. Meadio, sibi oblatos P. Burmannus neglexerat, ut e praef. ad Virgil. apparet.

XVII. Sunt quoque editiones, in quibus variae lectionis apparatus apponitur non ex novo et intacto fonte ductus, verum tanquam e diversis venis in unum alveum corrivatus. Eiusmodi silvula variae lectionis ex aliis edd. congestae subiecta est ad calcem edit. Knapton. Aliae in antiquioribus: ut

in edd. Fabricianis et Basileensibus, tum in Henr. Stephani edit., porro in edd. Pulmann. Mox in Elzevir., ut 1622, 1636, subiectum video ad calcem animadversionum libellum, in quibus loca, perpauca tamen, constituuntur, maxime e Florentis Christiani, Iosephi Scaligeri, Petri Scriverii et Dan. Heinsii critica.

XVIII. Praeclara aliqua et rari exempli humanitate ac benevolentia b. Iul. Car. Schlaegeri, usibus nostris oblati et ad nos missi sunt Codices e *Bibliotheca Gothana* tres:

Primus pergam. octonis cont. Bucolica, Georgica et Aeneidem. Ad calcem Calpurnii Eclogae septem; nitide scriptus literis initialibus auratis, recens tamen, et vix ante saec. XV scriptus, ab indocto satis librario, e bono tamen libro, bonam enim plerumque lectionem exhibet.

Alter chartaceus, fol. admodum recens, nec ex optimo exemplari; habet tamen lectiones interdum vix alibi obvias. A recentiore manu glossae inter lineas adscriptae; multa etiam, modo in meliorem, modo in deteriorem lectionem, emendata. Praemissa et in primis paginis et sub principia librorum vulgaria in Virgilium carmina et argumenta, et sub calcem subiecta sunt Moretum et alia minora, quae sub Virgilii nomine feruntur, carmina, etiam nonnulla aliena, quemadmodum recentioris alicuius poëmata funebria, quorum compilator adscriptus est: *Doctor hans Mellerstatt.* Tandem Servius subiungitur, sed recentiore et horrida scriptura. Ad commentarii in Georgica calcem subscribitur: *Per Casparem Philippi de dressden anno dni* MCCCCLXI°. Idem nomen, sed sine anno, sub finem Commentarii in Aeneidem adscriptum; quem *Fabii Planttae de Fulgentio* (Fabii Planciadae Fulgentii) *Expositio philosophica Aeneidos Virgilianae* excipit. Est is notus libellus de continentia Virgiliana. Hunc codicem memoratum videas in Cypriani Catal. codd. bibl. Goth. p. 82, n. CCXXXVI, et alterum, qui sequitur, p. 106, n. LIV.

Tandem *tertius* octonis forma oblonga; continet Aeneidem, multis scripturae compendiis, et valde vitiose exaratus, frequentibus lituris et indoctis emendationibus passim interpo-

latus. Ad XIII tamen vel XIV saeculum adsurgere eius aetas videri potest. Hos tres codd. comparavit et lectionis varietatem ad marginem edit. Gotting. excerpsit *Io. Ge. Meusel*, illo tempore (1766) iuvenis, Seminarii philologici sodalitio adscriptus, nunc in Academia Erlangensi historiarum professor de literis historicis meritissimus, Principi Marchioni Brandenb. a Cons. aul.

XIX. Obtulerat mihi exemplo humanitatis haud vulgari, nec appellatus, *Saxius*, conterraneus meus (nam in iisdem Chemniciensis soli apud Misenos finibus, in quibus Ge. Fabricius natus erat, lucem uterque adspeximus), Virgilium varietate lectionis instructum, quam ex autographo Cortiano olim vir doctissimus adscripserat. Erat illa ex XV codicibus congesta, quos tamen *Cortius* non omnes inspexisse videri debet, praeter Guelpherbytanos, quos ad se missos eum habuisse probabile fit. Cortium Virgilio recensendo animum appulisse, ex Thesauro La Crozisno norsm Tom. I, pag. 88. Codices autem, quorum variantem lectionem conscripserat, hi erant:

1. Vetus *Gudianus* (de quo sup. p. CXLIII).

2. Alius *Gudianus* eiusdem aetatis et formae, nisi quod literae vetustate attritae passim evanuerunt. Incipit cum Georg. IV, 70, et deficit Aen. X, 123. Notatur inter Gudianos No. 107 (66).

3. Etiam *Gudianus* No. 131 (164) olim Rottendorfii (adeoque inter eos, quos Heinsius comparavit) in membrana scriptus manu satis vetusta, ita ut aetatem annorum quingentorum ferre videatur: habet omnia Virgilii.

4. Quartus Gudianus No. 109 (238) membranaceus, quaternionibus, continet tantum Georgic. libros.

Sequuntur e bibliotheca *Guelpherbytana* sex:

1. No. 82, 10 membran. 12, qui Bucolica tantum habet, sed vetustus.

2. No. 63, 5 duodenis oblongis. Bucolica et Georgica eiusdem aetatis.

3. No. 9, 11 membranac. in 4, sed recentior.

4. No. 11, 3 membr. in 4 recentior, antecedente tamen antiquior.

5. No. 8, 14 membr. in 4 recentior.

6. No. 7 fol chartaceus; in fine adscriptum, esse eum exaratum a. 1457.

Porro *duo* codd. *Petri Danielis*, qui nunc *Bernae* inter *Bongarsianos* adservantur. Alter vetustior Georgica, tum Eclogas, tandem Aeneidem exhibet, sed in libro V deficit, alter recentior est. Sunt adeo ii, quos Io. Rud. Sinner in Catalogo Codd. MSS. biblioth. Bernens. memorat pag. 631, n. 184, pag. 633, n. 411, etsi diversa ab istis narrari hic videntur. Idem vir Cl. p. 626—635 codices Virgilii alios ex eadem bibliotheca commemorat; de codicum tamen bonitate iudicium inde facere vix licet, nisi quod satis recentes esse videntur.

Etiam *duorum Hamburgensium*, quos cum vulgata lectione Heinsius contulerat, varietatem adscripserat Cortius; tandem *Basileenses* veterrimas membranas in Eclogis, Georg. I et Aen. XII, 7 inspexerat. Diu haerebam animi dubius, quid his copiis facerem, quum iam in altero volumine Virgilii versarer, quando illae ad me pervenere, neque consultum videretur, in instituto aliquid mutare; mox vero, excusso illo opiparo apparatu, intellexi, si meo consilio in recensendo Virgilio obtemperare vellem, ne quidem apponi a me posse hanc variantis lectionis silvam; meliores enim ex iis membranis iam Heinsius diligenter comparaverat; ceterae fere recentiores sunt, et varietas hinc decerpta ad lapsus fere librariorum et errores solemnes redit, quorum enotatione Virgilium iam sic nimium oneratum videbam, nec fructum exspectare poteram, quem inde percipere liceret, si, inprimis in lectione iam dudum recte constituta, nec dubia aut obscura, vulgares librariorum allucinationes sexcenties recoquerem. Ita saepius taedio ac poenitentia victum me memini, quod lectionem librorum Gothanorum apponere institueram. Per totum enim Virgilium vix unum locum novi melius ex iis constitutum. Persequendum tamen erat religiose, quod semel receperam. Inspexi itaque Cortianum apparatum tantum

in locis salebrosis, atque adeo sic quoque humanitatis et gratiae meritum viri praestantissimi in me esse summum profiteor. De Cortii conatu vid. Harles Notitia litt. Rom. p. 248.

XX. Bibliotheca *Academiae Iuliae* apud Helmstadienses duo servat Virgilii exemplaria calamo scripta, sed et haec recentia, nec ullo aut studio librariorum aut doctrina insignia. Liquido haec cognoscere licuit, quandoquidem I. C. Wernsdorfius, professor de ea Academia praeclare meritus, Principi Duci Brunsvic. a consil. aul., utriusque codicis accuratam notitiam cum specimine perhumaniter ac benevole ad me misit. Alter chartaceus est, pulcre exaratus, sed parum docte, Bucolica, Georgica, et Aeneidem complexus, subiectis inter Geor. et Aen. variis poëmatibus minoribus et catalectis: ad haec itaque lectionem ex eo notatam videas. Sub Georgicorum finem subnotatum: *laus Deo Henricus Hopf* 1454, et ad calcem Aeneidis: *h. h. ich wart der Zeit* 1454, ad finem autem Catalectorum 1450. Alter membranaceus est in forma oblonga, Aeneidem tantum continens, spatio inter lineas et margine scholiis, sed vulgaribus et ieiunis, occupato. Membranas multo usu attritas esse et sordidas narrabat vir doctissimus, ita ut etiam suspicaretur, ludi magistri alicuius usibus id exemplar inserviisse. Praemissa est Pseudopindari Thebani epitome Homeri.

XXI. Pervenere ab illo inde tempore, quod in prima editione paranda consumseram, ad me nonnullorum codicum notitiae, virorum doctorum res nostras iuvandi studio. Fuit in his codex bibliothecae Fridericianae apud *Erlangenses* chartaceus, alius membranaceus academiae *Giessensis*, qui olim inter Vffenbachianos fuit (v. biblioth. Vffenbach. P. IV, p. 222), prolusione academica descriptus ab Andr. Boëhmio, prof. et biblioth. Acad. Giess., alius membranaceus Onoldi, in bibliotheca Marchionis Sereniss. De codice *Koehleriano*, quem aliquoties memoravimus, nuper in bibliothecam Georgiae Augustae illato, narrationem habemus a viro doctiss. I. G. Guil. Koehler, adiuncto Philos. Ord. in Vnivers. Ienens.

(nunc sacri coetus Curatore in Dioecesi Ansbacensi), conscriptam 1771. Est ille e recentissimis et sub ipsa typographiae initia scriptus Romae sub Paullo II cum fide quidem, sed ab indocto homine, nec ex optimo exemplo. Ex lectionibus certe excerptis paucas utilitatem criticam habere vidi (cf. *Götting. Gelehrte Anzeigen* 1771, p. 1096).

XXII. Dudum mihi innotuerat codex *Erfurtensis* e libraria supellectili Coenobii Portae Caeli, misso quoque ad me lectionis specimine, unde intellexi ex eodem eum cum Gothanis fonte fluxisse. Audieram mox a viro doctiss. *Io. Frid. Degen*, A. M. Gymnasii Ansbacensis Collegio adscripto, repertum codicem, cuius descriptionem ipse dederat Progr. 1785. Ab eius humanitate facile impetravi lectionis varietatem, moxque animadverti, esse hunc eundem codicem cum Erfurtensi: ex claustro itaque suo pervenerat ille ad Ill.mos Comites de Schönborn, servaturque nunc Gaybaci in tractu Franconiae Steigerwaldensi. Criticus usus codicis aut nullus aut exiguus est; quum indocte scriptus nec minus indocte correctus et interpolatus sit a pluribus. Varians utique lectio e meris vitiis pravae scripturae constat; et, si qua est tolerabilis lectio, aut ex errore eam profectam esse facile intelligitur, aut iam ex aliis codd. illa est enotata. Inserui tamen potiora suis locis.

XXIII. Oblitus sum monere, etiam Brunckium tractasse codicem; *vetustas probaeque notae membranas* appellat ipse, Seminarii Episcopalis urbis Argentoratensis. Memorabiliorem aliquam lectionem ex eo proferri non memini.

XXIV. Codicum Virgilianorum, qui *nondum cum vulgata scriptura comparati* in bibliothecis passim latent, incredibilis numerus e bibliothecarum catalogis virorumque doctorum commentariis excitari facile possit. Maximam tamen partem vix digni sunt, in quibus conferendis bonam horam perdas. Ad pueriles enim et scholasticos usus plerique fuere scripti, inprimis Bucolicorum codices. Itaque nullus omnino

fructus inde exspectandus (*). Indignum autem studiis his, quibus iudicium et sensus acui debebat, stupores barbarorum monachorum religiose enotare, et non tam variantium lectionum, quam sordium monachicarum mole rem criticam onerare (**). Itaque nemini facile anctor sum, ut Virgiliani codicis varietatem enotandam sibi sumat, nisi ante omnia paucarum paginarum comparatione facta constiterit, ex bono eos exemplari transcriptos esse; etsi Virgilii lectionem nunc ita constitutam esse arbitror, ut, quae ei vitia insident, nullius codicis auxilio tolli posse sperem; ex optimis autem codd., si qui adhuc forte supersint, si consulere eos licuerit, vix multas lectiones memorabiles nondum visas enotatum iri suspicer.

Bottarius in supra memorata praef. ad fragm. Vatic. recensum XLII codicum dedit Virgilii, qui in bibliotheca ***Vaticana*** servantur, e quibus nonnisi tres aut quatuor a viris doctis inspecti sunt. Apud Montfauc. bibliothec. MSS. p. 108, 152, 192 alii sub aliis numeris laudantur, qui an iidem sint, non constat. In bibliotheca ***Medicea*** ad XXXIII codd. latere ex Montfauc. biblioth. MSS. p. 318, 319 apparet, quorum recensum instituere et antiquiorum specimina subiicere volebat Fogginius in altero vol. Virgilii Medicei vid. praef. p. XIII. Sunt inter eos codd. Franc. *Sarsetti*, Guidant. ***Adincarii***, Ge. Ant. *Vespuccii*; sunt nonnulli scripti a Io. ***Carpense***, cive Ferrariensi, a P. *Pugliense*, a fratre Isc. *de Vulterra*. *Ferrariae* in bibliotheca PP. Carmelitarum S. Pauli servatur codex Mstus Virgilii Aeneidis scriptus a. 1198 ornatus picturis seu miniaturis Magistri Ioannis de Aligherio monachi: de quo v. Historiam gymnasii Ferrariae p. 446, 447, et 430. In

(*) Vide v. c. var. lect. e cod. Dantiscano ap. Leugnich. *Nachrichten zur Bücher-und Münzkunde* II Th. 1782.

(**) Praeclarus est locus Chphori Plantini praefat. ad Iul. Caesarem a se editum: «Quae enim finis — quousque paginas omnes obsidebunt variae et vanae saepe lectiones? —Excutiuntur profecto scriptores ipsi e manibus, dum avida iuventus ad haec diverticula abit et πάρεργα ista curat velut Ἔργα. Quam multi iam qui libros tantum legunt, ut emendent? ut illos meliores faciant, non ut sese? Itaque toti in voculis aut syllabis aliquot examinandis sunt; et segetem illam uberem rerum sententiarumque subter habent, paleis modo lectis.»

Ambrosiana XXIV volumina ad Virgilium spectantia a Montfauc. biblioth. MSS. p. 524 B, in *Regia Parisiensi* supra XL in catalogo MSS. Bibliothecae Reg. Paris. inprimis a n. 7925 sqq. ad 7970, in biblioth. *Bernensi*, ut iam supra monui, a Sinnero XIV codd. memorari videas, p. 626 sqq.

Apud *L. Concannon* Esq. Londini codicem Aeneidis e domo Medicea asservari audieram, nitide scriptum. E specimine tamen, misso ab amicissimo viro, G. H. *Nöhden*, intellexi usum eius criticum vix magnum esse posse.

In bibliotheca *Palatino-Bavarica Monacensi* codices asservari noram. Eximia Ignatii Hardt, Presbyteri et bibliothecarii aulici, humanitate notitia eorum ad me allata est haec:

Codices, inquit, sunt numero quinque.

» Cod. LIX membranaceus in folio: membrana mollis et candida, tituli miniati, et initialis prima colore et auro ornata, character nitidissimus saeculi XV. Constat foliis 355. Praemissae sunt tres picturae triplici poëtae operi adaptatae; quarum prima pascua, altera agriculturam, tertia bella exhibet.

» Cod. CCLXI chartaceus in folio, charta candida et solida, scriptura nitida saec. XV cum glossis interlinearibus, et marginalibus; titulis et initialibus rubris; ex bibliotheca *Hartmanni Schedelii*, Doctoris Norimberg. qui notas marginales adiecit. Constat foliis 242.

» Cod. CCCV. membranaceus in fol. titulis et initialibus miniatis, charactere longobardico nitidissimo, usu tritus, cum glossis interl. et scholiis marginal. aetatis fere eiusdem, atramento flavescente. Constat foliis 223, Saec. XI.

» Cod. CCCXIX membranaceus, in fol. membrana subtili, titulis et initialibus miniatis, auroque distinctis, cum notis marginalibus et interlinearibus *Hartmanni Schedelii* Norimberg. Saec. XV scriptus a Nic. Anastasio de Bucellis de Florentia. Constat foliis 205.

» Cod. DXXIII membranaceus, membrana vetere et mucida, in quarto oblongo, charactere minuto nitido, initialibus miniatis, scriptura abbreviata, cum nonnullis brevibus notis. Saec. XIII. Constans foliis 73, usu tritus, male conservatus, ita ut desiderentur Ecloga I, IV, V, VIII, IX.

» Omnes continent Bucolica, Georgica et Aeneidem. In CCLXI et CCCV etiam Moretum, Maecenas, Dirae, Copa, sunt adiecta «.

XXV. Duo sunt codices omnium vetustissimi ac praestantissimi, quorum tamen non nisi exigua fragmenta supersunt. Vnus est celebratissimus ille *liber Sangermanensis* n. 1287, in quo antiquioris scripturae erasae et inductae, dum ei Catalogus Viror. illustr. Hieronymi saeculo VII superscriptus est; vestigia passim Commentarium Aspri in Virgilium antiquissimo ac pulcherrimo capitali plane charactere produnt, vid. PP. Benedictinos N. Tr. de Diplom, T. III, p. 152. Alterum est *fragmentum Pithoeanum*, literis capitalibus grandioribus, quales nullas ullo in Codice videas. Eius specimen dedit Ruinartus in app. inserta Mabillonio de Re Dipl. p. 637, 635, unde repetitum in N. Tr. de Diplom. T. III, p. 41, tab. 34. In bibliotheca *San Gallensi* codicem esse audieram rescriptum, in quo veteri Virgilii scripturae deletae superscripserat alia manus Augustini nonnulla. Dederat hoc amori suo in me vir humanissimus Christophorus Girtanner, M. D., utparticulas aliquot antiquae lectionis restitueret; unde comperi scripturam esse valde antiquam capitalem Romanam; nihil tamen occurrere, quod non dudum e codd. teneamus.

Sed satis de Codicibus scriptis. Etiam de editionibus nonnulla monenda sunt. Verum antequam accedam ad eas, subiiciam Indicem eorum codd., qui in Var. Lect. passim laudantur; vocum compendiis plerumque memorati.

Quoniam occasio datur, silentio non praeteream duos codices Virgilianos, membranaceos, in Regia Taurinensi Bibliotheca adservatos, quorum unam tantum properanter inspicere potui. Constat foliis 258, 4.° maiori. Literas librorum initiales exhibet egregie pictas et inauratas, graphice miniatus, cum brevi interpretationa interlineari et interdum marginali, maxime in Bucolicis. Exaratus est eo charactere, quo saeculo XIV et XV Galli vulgo utebantur. Ad calcem voluminis, eodem fere charactere, quo liber, legitur: *Ce livre est au duc de Berry*. Si otium habebo, conferam eum cum Heynii editione in locis adhuc vitiatis aut dubiis, et, inspectis aliorum codicum lectionibus, de eius familia et bonitate, quantum coniectura assequi potero, breviter alio loco referam. TYP. T.

DE VIRGILII

EDITIONIBVS

Editionum elenchos instituere, res est tum omnino valde difficilis et molestiae ac taedii plena, tum multo magis in Virgilio, qui a typographicae inde artis initiis nullo non anno, et interdum ter quaterve, typis excusus fuit. Quod operae genus, quamquam non tam morosi sumus, ut cum P. Burmanno in *Admonitione de Masvic. edit.* plane aspernemur, ne tum quidem, quum nihil feceris aliud, quam ut editionum undique titulos unum in locum congesseris; habet enim haec ipsa res quum ad historiam literariam, qua nulla facile eruditionis liberalioris pars carere potest, tum in ipsa re critica ad editionum origines et propagines indagandas utilitatis plurimum; et honestum studium quis neget poni in rei typographicae incunabilis et incrementis cognoscendis? nec tamen nos id consilium nunc quidem sequuti sumus, ut, quod nemo facile in se receperit, lectori omnes Virgilii editiones adnumeraremus. Verum, quum criticam in aliquem auctorem vix satis feliciter ac tuto exercere possis, nisi lectionis vulgatae rationes et causas, ortum, fata ac vicissitudines non plane ignores; quumque in poëtarum principe, in quo multo maiorem etiam diligentiam ac subtilitatem sive requirunt sive excusant, quam si in quovis alio auctore verseris; accuratiorem talem notitiam multo minus tanquam vanam et inutilem aspernari licet. Tum vero illud tolerandum esse non videbatur, quod contextus quidem Virgiliani, ad illud usque tempus, quo ab Nic. Heinsio integritati suae, quantum quidem per libros, quos habemus, licut, restitutus est, tota ratio, origo ac propagatio tantum non ignoratur. Quod itaque in nullo non vetere scriptore admodum utile et necessarium atque etiam cognitu iucundum esse arbi-

trahamur, primos vulgatae lectionis seu textus fontes, eorumque rivulos, tenere et in promptu habere, unde ea ducta, quousque progressa sit, quando cursum mutaverit aut inflexerit, quove tempore nobilior aliqua editio successerit, quam tanquam ducem vulgares reliquae sequerentur; idem institutum in Virgilio si quis sequendum sibi esse credidisset, verendum ei non esse putabamus, ne inutilem et vanam operam locasse videretur. Iam quum consilii huius exsequendi duplex ratio iniri possit, aut ut omnes omnium temporum editiones in manibus habeas, earumque comparatione cognationes et stemmata singularum editionum intelligas, aut ut aliorum fidem sequaris, et ex iis, quae sive a criticis et editoribus, sive a viris doctis, qui veteres et rariores editiones commemorarunt, de singulis editionibus prodita sunt, ratione, iudicio seu coniectura elicias atque expisceris, ad quam tanquam stirpem unaquaeque editio referenda sit: prior illa via et ratio haud dubie tutior erat et melior; in Virgilio tamen nullo modo iniri poterat, quum neque ullam bibliothecam adhuc audierimus esse, quae vel sextam editionum Virgilianarum partem contineat; neque exspectari posse existimamus, ut maiorem saltem earum partem in unum locum congestam aliquis videat; altera autem satis quidem lubrica, difficultatibus impedita et erroribus obnoxia videri debebat. Quum tamen optimum et utilissimum consilium aliter perfici nequiret, ab alio autem ne tentari quidem posset, nisi qui in Virgilio interpretando versaretur, et publicae alicuius bibliothecae literariis copiis instructus esset; quumque vel sic aliquotenus progressus esse tibi videri possis; modo fundum aliquem posueris, cui inaedificare, et, quod tibi contingere non potuerat, rem a te inchoatam perficere, aliis in promptu sit: neque sic operam hanc defugiendam esse arbitrati sumus. Si enim semel editionum stirpes ac familias vel pinguiore, ut aiunt, Minerva descriptas habuerimus, unicuique, qui editionem nobis aut non visam et cognitam, aut non satis accurate et explorate descriptam, sub manu habuerit, facile et expeditum erit, dispicere ac definire, ad quod editionum genus, ad quam classem ea sit referenda, quodque adeo pretium ei sit statuendum, quaeve ex ea sive ad rem criticam sive ad interpretatio-

nem utilitas sit exspectanda. Ita tandem si plures ea, quae ipsi animadverterint, diligenter et accurate tradiderint, sperare licet, alium post nos eo perventurum esse, ut accuratiorem Virgiliani carminis historiam pertexere et pleniores editionum annales condere possit. Quo itaque usque quum per ingenium nostrum, quod alias ab hac rei literariae subtilitate et sollicitudine abhorret, tum per otii nostri rationem licuit, eo progressi sumus, et quandoquidem, ut fata et vicissitudines Virgilianae lectionis cognoscere possemus, editionum aliquis recensus nobis conficiendus fuerat, quum haec ipsa res aliquantum utilitatis habere videretur, subiunximus et hunc, quamquam eo consilio non pertextum, ut ita proponeretur. Itaque nec mirum videbitur, si *in recentioribus, huiusque inprimis saeculi*, editionibus recensendis minus diligentes quam in antiquioribus forte visi erimus; non enim ad consilium nostrum spectabat, omnes editiones, sed eas commemorare, unde aliquid sive ad Virgilianum contextum auxilii sive ad eius contexti historiam praesidii exspectari posset (1).

SAEC. XV, 1467—1500.

Editio Virgilii *princeps* est *Romana*, *sub auspiciis Pauli II in domo Petri de Maximo per Conradum et Arnoldum Teutonicos* (Conr. Sweinsheim et Arn. Panartz) excusa, sub annum, qui expressus tamen non est . . . 1467 verius 1469.

(Eadem paullo post repetita: Romae . . . . 1471. Vt adeo sit Romana I et II).

DL exemplaria, scilicet prioris CCLXXV et totidem alterius, prelo exiisse, e nota illa Epistola Episcopi Aleriensis ad Sixtum IV 20 Mart. 1472 scripta constat. Memorarunt hanc editionem Orlandi *Origine e progressi della Stampa* p. 68 et 428. Maittaire *Annal. Typogr.* T. I, p. 14, sed is eam non viderat; et Fontaninus *Hist. litt. Aquilei.* pag. 40. Ac-

(1) Egregiis ab illo inde tempore accessionibus locupletata est historia libraria, inprimis a Denisio et Panzero viris praestantissimis. Annotavi quum ex his, tum ex aliis scriptoribus, quae quidem ad Virgilium spectare videbam. Add. quoque Harles. Notitia Script. lat. p. 292, Vol. II.

curate de ea egit Card. Quirinus *de opt. script. edd. ad Pauli II Gesta* p. 191 sqq., ubi ex Epistola Io. Andreae, episcopi Aleriensis, docet, duplicem ab eo editionem fuisse adornatam; P. Franc. Xav. Laire in Specim. historico Typographiae Romanae (Rom. 1778, 8.) p. 147 sqq. tres adeo editiones sibi visas esse putabat; verum errorem eius severe castigavit Io. Bapt. Audiffredi in Catalogo hist. crit. Romanarum editionum saeculi XV (Romae 1783, 4.) p. 22 sq. 79 sq. Atque in hoc iudicio acquiescimus; quod facit quoque sagacissimus iudex *Panzer* qui de utraque egit Annal. Vol. II, p. 411, 19, et p. 425, 60. Idem vir doctus priorem anno 1469 alteram 1471 assignat. Iterum copiose de priore egit de Bure (in *Catalogue des Livres du Duc de la Valliere* T. II, P. I, p. 78 sq. e qua exemplar 4101 L. fr. venisse narratur). Nemo tamen ex his critico acumine instructus interiorem libri aestimationem fecit aut facere potuit. Est autem epistola *Ioannis Andreae* ad *Pomponium Infortunatum* scripta alteri editioni praefixa, ita tamen, ut epistola prioris editionis ad Paulum II eidem ab initio praemissa sit. In eadem epistola, *quidquid*, inquit, *Maronis scriptorum indepti sumus, quantum quidem fuimus intelligendo in tanta tamque mendosa exemplariorum raritate, multorumque eiusmodi prope desuetudine, immo vero internecione, in corpus unum omne compegimus:* unde codices non admodum frequentes ac bonos ei ad manus fuisse apparet. Liquet etiam illud, *Culicem*, etsi valde vitiose, ut multa nec Aleriensis intelligere posset, et alia, quae Virgilii nomen mentiuntur, poëmatia (Sunt *Dirae*, *Copa*, *Est et Non*, *Vir bonus*, *Rosae*, *Moretum*, *Priapeia*, *Epitaphia*, et alia) in ea editione exhibita esse, praeter *Cirin*, quod ex Fontanino l. l. intelligas. Alteram editionem idem vir meritissimus, Episcopus Aleriensis, susceperat, cum ut commissos in priore operarum errores plurimos emendaret, tum ut e Pomponii Infortunati codice antiquissimo, maiusculis characteribus scripto, quo Eclogae, praeter primam, Georgica Aeneisque absoluta continebantur, poëtam castigatiorem exhiberet, id quod etiam in poëmatiis, Aetna, Ciri, et Catalectis, alio Pomponii libro adiutus, fece-

rat. Ceterum *Pomponius* ille *Infortunatus* nullus alius est, quam *Iulius Pomponius Laetus*, etsi illud nomen apud eos, qui de eius vita scripserunt, memorari vulgo non video; praeterquam apud Angelum Zavarronium in Bibliotheca Calabra p. 59, qui eum alias *Iulium Fortunatum*, et post mortem Paulli II, P. M. Maecenatis sui, *Infortunatum*, appellatum tradit; hactenus utique perperam, quod Paullum II nominavit, quum Pium II memorare debuisset, cui carus fuit Pomponius; a Paullo contra in capitis periculum adductus. Recte itaque Apostolus Zenus (in *Dissertazioni Vossiane* p. 232) pro fortunae conditione Pomponium nomen subinde mutasse monuit. (Adde p. 245 s.) Primis annis nomen Iulii Pomponii Sabini sibi imposuerat.

Neutra harum editionum ad Virgilium emendandum in consilium vocata est; restatque adeo hic beneficii in Maronem locus, si quis in eas incidat, ut de lectione excerpenda cogitet. Ad poëtam ipsum inde magnum fructum haud exspecto; nam repetita fuit illa editio ab editoribus insequentibus; in priore excudenda non admodum bonis codicibus editor erat instructus; in altera *Pomponii librum* adhibuerat; atqui is nullus alius fuisse videtur, quam *Oblongus Pierii*. Vid. sup. de his codd. (1).

1470.

P. V. M. Bucolica, Georgica et Aeneis. Venetiis *per Vindelinum de Spira* . . . . fol. 1470.

Veneta *prima*. Versus in fine subscriptos vid. apud Orlandum p. 20. Maittairium Annal. T. I, p. 290, et in Bibliotheca Smithiana p. *D*, e qua hic liber in Bibliothecam Regis Bri-

(1) Ex binis his edd. duas editionum fluxisse familias censebat Reviczki; a priore eas, quae carent vss. XXII de Helena Aen. II, 567; ex secunda eas, quae vss. habent. Pupugit hoc animum, et inquisivi morosius; tum vero vidi, fundum idoneum invento haud subesse. A nulla enim editione antiquiore abesse vidi versus, praeterquam ab Egnatiana recensione, Venetiis 1507 et inde expressa 1520, tum ad ed. Basil. Henricopetr. 1551, in quibus criticis de rationibus versus sublati sunt.

tanniarum Aug. migravit. Exemplar alterum in Biblioth. Colbertinae supellectili, anno 1728 Parisiis vendita, ad nescio quem transiit, vid. Burius *Bibliographie instructive* n. 2659 (1). Nuper iterum multis de hac editione egit Crevenna (in *Catalogue raisonné de ses Livres* Tom. III, P. I, pag. 189 sq.) nullo cum fructu ad te, qui indolem libri et usum criticum volebas resciscere. Add. Panzer. Annal. Vol. III, pag. 65, 8. Si vera narrant editores Edinburgenses, Cuninghamus eam inspexit, sub principis nomine ab eo laudatam.

1471.

P. V. M. Opera ex *recognitione* Io. Andreae *et cum duplici huius praefatione* — per Conradum Sweynsheim et Arnoldum Pannartz. Romae s. a. sed circa 1471.

Est haec altera Romana Andreae: de qua v. sup. 1469 ubi de priore. Panzer. Annal. Vol. II, p. 425, 60.

P. V. M. Bucol. Georg. Aeneis cum XIII libro Maphaei Vegii s. l. (*per Adam Rot*) (Venetiis) . . . fol. 1471.

Magnifica ac praestantissimi artificii editio, cuius auctorem *Adamum* fuisse, ex subscriptis ad finem versibus intelligas. Iam autem Adamum *Rot*, Clericum Metensem circa hunc annum Romae typographiam condidisse satis constat. Huic itaque eam attribuerunt, adeoque Romae excusam esse tradiderunt viri docti; in his bibliologus Burius *Bibliogr. Instr.* n. 2660, qui eam Parisiis vidit, nec tamen de critico eius usu sollicitus fuit; externam tantum speciem describit. Ab illo tamen Adamo Rot librum profectum esse, Laire spec. Typograph. Rom. p. 169, 170 dubitat, Audiffredi p. 91, 92 omnino negat, quum Romanus typographus deteriore multum charactere usus sit: at fuisse alium *Venetiis* Adamum Rot, cuius opera Virgilius hic exaratus sit (2). Haec est *editio Ro-*

(1) Venierat illud 581 libris gallofranc. Iterum Parisiis 1779, libris 2308; et 1780, libris 2270. Fuit quoque exemplar in penu Reviczki, unde in bibliothecam Com. Spencer migravit. Adscribo haec, quia sunt qui sibi placent in notitiis his helluationis nepotum librariorum.

(2) Etiam huic libro insano studio pretium librarum 449, 19 s. fuit statutum

mana, quam Maittairius memorabat T. I, pag. 309, *Catal. des Livres de Mr. Boze* n. 923, p. 179. Audiffredi Catal. Rom. Edd. p. 91. Add. Panzer. Annal. T. III, p. 83, 72.

P. V. M. Opera (Bucol. Georg. Aen. cum libro illo XIII et Opusculis, quae sunt: Culex, Dirae, Copa, Est et Non, de Rosis, Moretum et Priapeia) *sine loco et typographo* fol. 1471.

Maittair. T. I, p. 307. Editionem praestantem et nitidam appellat Burius, qui de ea agit sub n. 2661 eamque superiori Adami Rot simillimam ab eodem artifice, sed ex alio exemplari, descriptam esse existimat, quoniam orthographiae ratio diversa est. Maluissemus eum lectiones poëtae comparasse. Exemplar eius in Bibliotheca Regia Parisiensi se vidisse narrat; quod adeo aliud esse debuit., quam id, quod modo memoraturi sumus (1). Add. Panzer. Annal. Vol. IV. p. 5, 18.

Servium hoc anno 1471 primo in lucem prodiisse satis constat; et quidem plus simplici vice. In discernendis tamen editionibus his magna est difficultas, bibliographis parum docte de his plerumqne disputantibus. Accuratius quam ceteri de iis egit Abb. Baruffaldi *Tipografia Ferrarese* pag. 14 sq. *Prima* est *Veneta Baldarferi Ratisponensis:*

Servii Mauri Honorati *Commentarii in Virgilium per Christophorum Baldarfer Ratisponensem.* Venetiis fol. 1471.

Vid. Maittaire T. I, p. 92, et Baruffaldi p. 17. Eadem in Biblioth. Smith. pag. CCCCXXXIX memoratur, sed admixtis erroribus, quos Baruffaldi refellit. Ex versibus sub finem subiectis intelligitur, Servium a *Bapt. Guarino* olim emendatum, a filio autem in lucem editum esse.

Eodem anno *altera* prodiit, eiusdem Baldarferi impensis,

in sectione publica, Parisiis apud Gaignat 1769. Exstabat liber in copiis librariis Com. Reviczki *.

(1) Veniit eius ed. exemplar. 249 l. 19 s. Parisiis 1725, apud *Du Fay*, et 1738 e bibliotheca comitis *de Hoym* 150 l. item 1761, apud *de Selle* 120 l.

* *Il n'a point existé a Venise d'imprimeur nommé* Adam Rot. *M. Van Praët, qui est si versé dans l'histoire des premiers temps de l'imprimerie, m'a assuré, que l'imprimeur dont il s'agit, se nommait seulement* Adam. (B.)

Servii editio Venetiis *a Ludovico Carbone emendata*, ut ex disticho adiecto intelligitur: vid. Maittaire p. 303, et Tom. I, p. 92. Orlandi p. 23, de Bure n. 2671, et qni primo loco consulendus, Baruffaldi p. 119. Sunt in Panzeri Annal. Vol. III, p. 79, 59, 60. Alterutra ex his servatur in bibliotheca Spenceria ex copiis Reviczki (1).

Male passim, etiam a Fabricio, *editio Servii huius anni Ratisponensis* memoratur, a Typograhi patria errore orto.

Tertia est Ferrariensis:

Mauri Servii Honorati Grammatici ad Virgilii Opera diligens Interpretatio, per Andream Gallum: Ferrariae fol. 1471.

Orlandi *Orig. della Stampa* p. 137. Baruffaldi *della Tipografia Ferrarese* p. 9. Soli Orlandio visa; itaqne de ea dubitatur: Panzer. Annal. Vol. I, p. 393, 3.

Quarta est Romana Vdalrici Han.

Mauri Servii Honorati Grammatici in tria Virgilii opera expositio incipit, et primo in Bucolica. Romae *per Vdalricum Gallum* (Panzer. Vol. II, p. 422, 52). . . fol. s. a.

Nulla poëtae carmina adiecta sunt, quod perperam viri docti tradidere; in errorem abrepti a de Bure u. 810. Est liber iu Bibliotheca Reg. Par. item in Bibliotheca Spenceria. Idem de Bure n. 2970 cum Maittairio, eum librum circa annum 1470 excusum esse coniectabat; de Laire a. 1469. Servium solum memorat Maittaire To. I, p. 292. Etiam Masvicius, qui ea editione usus est, solum Servium habuit. Rem omnem diserte exposuit Audiffredi pag. 71. A Io. Aut. Cam-

(1) Alterutra intelligenda quoque erit in Catalogo Bibl. Reg. Paris. (*Catalogue des Livres imprimés de la Bibliothèque du Roi. Belles-Lettres*, n. 808, 809) ubi legitur: *P. V. M. Opera, Venetiis*, f. 1471, *Servius in Virgilium*, f. 1471. Probabile fit, Servium solum in eo volumine haberi, et temere creditum esse, comprehendi quoque eo volumine ipsum poëtam *.

* *M. Heyne devait savoir, que des cinq éditions qui existent des Commentaires de Servius, imprimées en 1471 et 1472, aucune ne renferme les Oeuvres de Virgile. Les rédacteurs du catalogue de la Bibliothèque du roi n'ont rien inséré sous les nn.* 808 *et* 809 (Belles-Lettres) *qui donnât lieu aux doutes dont parle M. Heyne* (B.)

pano an emendatum fuerit exemplar, quod Laire affirmavit, non satis constat.

Alium Servium antiquum s. a. l. et typographo laudat Maittaire, T. I, p. 752.

Restat *quinta* Servii editio Florentina; male vulgo pro editione ipsius Virgilii venditata; accurate nunc descripta ab Audiffredi p. 258 Specim. et inde repetita a Panzero Annal. IV, p. 298, 1, quum ex vulgari ratione, quam et ipse olim sequutus eram, memorata esset Vol. I, p. 404, 1.

M. Servii Honorati Commentarii in tria Virgilii opera, Bucolica, Georgica et Aeneidem. In fine Aeneidis eiusdem Servii libellus de natura syllabarum ad Aquilinum. Florentiae *per Bernardum et Dominicum Cennini Florentinos* . . . . 1471, et 1472.

Egerant de hac, tanquam poëtae ipsius editione, Orlandi *Orig. e Prog. della Stampa* p. 130, 131, et 428. Maittaire T. I, p. 320. Abb. Mehus praef. ad Vitam Ambrosii Camald. p. 55. Fuit is primus liber Florentiae a Cenninis expressus, et hac ipsa de causa satis clarus. P. Cenninus, Bernardi f. emendaverat, *cum antiquissimis multis exemplaribus contulerat*, inprimisque illi curae fuerat, *ne quid alienum Servio adscriberetur, neu quid recideretur aut deesset; quod Honorati esse pervetusta exemplaria demonstrarent.* Initium excudendi factum VII Nov. 1471, et finis V Octobr. 1472. Burius n. 2672 de hac editione Maittairii fidem sequitur; ipse Parisiis eam invenire non potuerat. Eandem P. Burmannus Sec. praef. Virg. memorat et ex MS. Mediceo maximam partem expressam aut restitutam ait.

1472.

P. V. M. Opera (Bucolica, Georgica, Aeneis). Venetiis *per Leonardum Achatem* (Basileensem) . . . f. 1472.

De ea Orland. p. 25, Maittaire T. I, p. 314, unde de Bure n. 2662. Idem eandem, quantum intelligo, cum anno 1473 laudat in *Catalogue de M. le Duc de la Valliere* P. I, Tom. II, p. 83, venditam 1784 libris franc. 166. Varietatem

lectionis ex ea exhibuit Maittaire in fronte edit. Virgilii Tonson. 1715, unde in var. lect. sub nomine parum concinne a Burmanno imposito venit *ed. Ven.* Hac eadem lectionis varietate usus Cuningham. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 91, 101.

P. V. M. Opera (Bucolica, Georg. et Aeneis cum reliquis opusculis et cum Priapeiis et lib. XIII Aen.) Venetiis *per Bartholomaeum Cremonensem* . . . . . f. 1472.

De ea Orland. p. 25. Maitt. p. 314. De Bure n. 2653, qui eam in Bibliotheca Regia Paris. servari testatur, ut sit forte illa, quae in Catalogo sub n. 811 memoratur. Panzer. Annal. Vol. III, p. 91, 99. In XIX foliis, quae in fronte praefixa sunt, tabula librorum, Vita Virgilii cum versibus in eius laudem praemittitur. Quae omnia, olim sigillatim exprimi solita, nunc collecta in hac editione primum memorari meminimus.

P. V. M. Opera (cum opusculis et Priapeiis) *sine loco et artifice impressionis*, nisi quod B. H. subnotatum sub finem est. *Benedictus Hercules* in iis latere creditur, typographus Ferrariensis. Vulgo tamen ab *Ant. Zaroto Mediolani* esse confecta creditur. Laire *Philippo Lavagnia* assignat; et convenit inscriptio alterius editionis infra a. 1474 . . f. 1472.

De ea Orland. p. 428. Maitt. p. 320, et Biblioth. Smith. p. D. secundum quos de ea egit de Bure n. 2664. Laire Ind. I, p. 291. Panzer. Annal. Vol. II, p. 13, 9. Hanc editionem, sed rarissimam, in primis cum vulgatis comparari vellem, quoniam *post Romanam Venetamque ab ipsis propriis Maronis exemplaribus, quae Romae in aede Divi Pauli reposita sunt, integrum, parum nitidumque opus hoc effluxisse* in subscriptione dicitur. Exstat haec editio in copiis Com. de Reviczki, ad Comitem Spencer emtionis iure perlatis.

P. V. M. Opera — *cum supplemento Maffaei Vegii* — per Iacobum, Baptistam et Alexandrum Fivizani . f. 1472.

Adduxerat hanc editionem in hominum notitiam *Laire* Ind. I, p. 292 tanquam Venetiis a Fivizanis curatam; sed in oppido Fivizani, ditionis Toscanae, haud longe a Lunae finibus,

exaratam esse docuit *Fossi* Catal. Codd. biblioth. Magliab. Tom. II, p. 797, et inde Panzer. Vol. IV, p. 296, 1.

Servium in Bucolica hoc anno laudat de Bure *Bibl. du duc de la Valliere* P. I, T. II, p. 87, sed videtur esse fragmentum editionis integrioris.

1473.

P. V. M. Opera. Subiunguntur Aeneidi opuscula: Moretum. Priapeia. Copa. Culex. Dirae. Aetna. Ciris. Catalecton. Romae *per Vdalricum Gallum et Simonem de Luca.*

Haec iam paullo frequentior superioribus illis editio, nota etiam Fabricio. Memorat eam post Orlandum Maittair. T. I, pag. 326, de Bure *Bibliogr. Instr.* n. 2665, apud quos subscriptam notam editoris vide; inprimis vero Audiffredi p. 137, qui eam *tertiam Romanam* appellat post primam et secundam 1469 et 1471. Praemittitur Vita Virgilii cum versibus etc. ut in Veneta 1472 factum memorabamus. V. Panzer. Vol. II, p. 440, 22.

Aliam *Venetam per Leonardum Achaten* a. 1473 vid. ad a. 1472; nam videntur diversae esse, et altera repetitis operis esse expressa. Sic quoque statuere video virum sagacissimum, qui in hoc genere regnat Panzer. Vol. III, p. 97, 128.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis.... Brixiae *expressa Presbytero Petro Villa iubente d. XXI. Apr.* 1473 . . . . f. 1473.

Erat ap. Com. Reviezki, nunc ap. Com. Spencer. v. Denis Supplem. p. 32. Harles brevior Notitia lit. Rom. p. 235. Panzer. Annal. Vol. I, p. 243, 1. Est primus liber Brixiae prelo excusus.

1474.

P. V. M. Opera (cum Maphei suppl., Copa, Moretum, Dirae, Epigrammata, Culex, Priapeia), Mediolani *per Philippum de Lavagnia* . . . . f. 1474.

Eam memorant Orlandus p. 102. Maittaire Tom. I, p. 335, de Bure n. 2666. *Boninus Mombritius* eam curaverat. Fontanini *Hist. lit. Aquilei.* p. 40, qui Cirin abesse monet. Variantes lect. ex ea excerptas praefixit editioni Lond. 1715 *Maittaire*, hinc eae translatae sunt in apparatum a Burmanno sub nomine *Edit. Mediol.* Panzer. Vol. II, p. 15, 21.

1475.

P. V. M. Opera. Praecedunt vita poëtae variaque illi supposita opuscula. Venetiis *per Nic. Ienson.* . f. 1475.

Memorat eam Orlandi p. 428 et 18, Maitt. T. I, p. 349, et ex eodem forte de Bure n. 2667. In hac edit. Cirin primum prodiisse Fontaninus *Hist. lit. Aquilei.* p. 40 memorat; non viderat adeo Romanam alteram; et ignorabat in hac Cirin iam esse vulgatam. Panzer. Vol. III, pag. 106, 182.

P. V. M. Opera cum Commentariis Servii. Venetiis *per Iac. Rubeum Gallicum* . . . . f. 1475.

Maitt. Tom. I, p. 349, post Orlandum p. 27. Panzer. III, p. 110, 203. Pro prima Servii editione falso olim, etiam a Fabricio, habebatur. Dicendum erat, esse primam Servii Maronis carminibus subiuncti. Est haec ea, quam nonnullis in locis excitavit Martyn ad Georgica, ut III, 25, 26. De Io. Rubeo (*de' Rossi*) vid. *Supplément à l' Histoire de l' Imprimerie de Prosper Marchand* 1775, 4. p. 185.

P. V. M. Opera — accedunt *Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. Vir bonus. De Rosis. Culex. Priapeia.* Mediolani, *diligenter impressa ab Antonio Zarotho Parmensi* 1475, octavo Kalen. Sextilibus . . . . . . f. 1475.

Denis suppl. p. 700, et Panzer. Vol. II, p. 20, 45.

Diversa a *Virgilii* editione Mediolanensi h. a. per Zarottum est editio *Servii* per eundem etiam *Mediolanensis* h. a.

Mauri Servii Honorati Commentarii in Bucolica, Georgica et Aeneidem Virgilii. Praecedit vita Virgilii .... Ant. Zaroti Mediolani . . . . f. 1475.

Est haec ea, de qua Maittaire memorat T. I, pag. 349. Denis Suppl. p. 57 et alii; v. Panzer. Annal. Vol. II, p. 21,

48. Eadem occurrit in Biblioth. Smith. p. 439 sine nomine impressoris et in Biblioth. Harlei. Vol. I, p. 177. Nec alia est, quam Reviczki possidebat, etsi Virgilii opera cum Servio memorat p. 42.

Hanc quoque necesse est esse eam, quam de Bure notavit in *Catalogue du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 84, unde illa veniit 230 libr. gall. a. 1784, et aliud exemplar l. 192, male prodita sub tit. Virgilii Opera cum Servii Commentariis. Adeo literatores hi cupedinarii ne quidem primas saltem libri paginas inspicere solent.

Nuper innotuit per Morellium et per Fossium in Catal. codd. Saec. XV impress. in biblioth. Magliabech. T. II, p. 800 ed. Virgilii Mutinensis; unde repetit notitiam Panzer. Vol. II, p. 146, 1, et Vol. IV, p. 366, 1, cum notatione anni 1474.

P. V. M. Opera — Subiiciuntur *Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. Vir bonus. de Rosis. Culex. Priapeia.* Mutinae *impressum per Magistrum Ioannem Vurster de Campidona* . . . . f. 1475.

P. V. M. Bucolica et Georgica per Ioannem de Paderborne in Westfalia. Lovanii . . . . min. f. 1475.

Subscriptio in fine haec habetur: *Bucolicorum, Georgicorum et quorumdam tractatulorum opus insigne Virgilii poëtarum principis Ioannes de Paderborne in Vestfalia alma in universitate Lovaniensi residens suo proprio signo consignando feliciter consummavit, anno incarnationis dominicae* 1475 *mensis novembris die vicesima nona*; v. ad a. sequ. (Nunc Panzer. Vol. I, p. 512, 8).

1476.

P. V. M. Opera omnia et opuscula ....diligenter emendata et accurate impressa sunt Mediolani *ab Ant. Zaroto Parmensi* XIII Kal. octobr. . . . . f. 1476.

Maitt. T. I, pag. 366. Saxe p. 566. Est repetita anni superioris editio. Videtur et haec et illa ad exemplum Lavagnianae 1474 expressa esse. In utraque certe Ciris omissa.

Fontanin. *Hist. lit. Aquilei.* pag. 40. Non diversam ab hac esse pnto Mediolanensem a. 1475 cum Servio, quam de Bure notavit in *Catalogue du Duc de la Vallière* P. I, T. II, p. 84.

P. V. M. Opera cum catalectis et Priapeiis — *per Ioannem de Vienna.* Vicentiae . . . . f. 1476.

Maitt. ibid. post Orlandum p. 174, qui charactere nitidissimo expressam esse editionem testatur. Add. Panzer. Vol. III, p. 510, 19.

Venetam huius anni laudat Martinus ad Georg. III, 468, quae forte eadem est cum Veneta superioris anni, aut repetita est hoc anno editio per Nic. Ienson. quod colligo e catalogo Constantiensi. Editionem eiusdem anni consuluisse fertur Cuninghamus, teste Edit. Edimburg. praef. Nec Panzero plura innotuere, Vol. III, p. 121, 163.

Virgilii Opera (verius tantum *Aeneis* h. a.), Lovanii *per Ioannem de Paderbone in Vestfalia* . . f. 1476.

Hanc nusquam alibi laudari videram praeterquam in Bibl. Harleiana T. I, p. 176. Ab eo tempore notitia eius editionis plenior data est Programmate Academiae Kiloniensis 1785, unde discere licet anno superiore, 1475, prodiisse Bucolica et Georgica (v. paulo ante) hoc anno Aeneidem per Ioannem de Paderborne in Vestfalia *mensis Aprilis die octava*: fol. min. Exemplar utriusque codicis est in copiis librariis Christiani Professoris et Regi Daniae a Consil. Iustitiae. Audieram in bibliotheca Comitis de Tott Hauniae eandem editionem servari; ex eodem tamen programmate didici haud vera mihi esse nuntiata: Vidi tamen postea in Catalogo biblioth. Tott. Tom. VII, p. 87 eam memoratam esse in recensu. Ceterum Georgicis subiecta sunt: *Copa. Est et Non est. De institutione boni viri. De rosis nascentibus. Moretum*, et in pag. extr. variantes lectiones nonnullae, de quibus editor adhuc ipse ambigebat. Similis pagina Aeneidi adiecta. In subscriptione ad calcem Aeneidis typographus narrat se inter versus spatium reliquisse glossulis inserendis.... *non parva data opera ut eum* (poëtam) *aliis emendatiorem et melius pun-*

ctis distinctum redderem. (Panzer. Vol. I, p. 512, 10 et Vol. IV, p. 347, 10.)

1478.

P. V. M. Opera cum epistola Phil. Beroaldi nec non vita poëtae. Parisiis, *Vdalricus Gering* . f. min. 1478.

Diligentissime castigata esse in subscriptione dicitur. De Bure n. 2669 et ante eum praeter Orlandum Maittaire hanc editionem memoraverat T. I, p. 387. add. Laire Ind. I, p. 452. Panzer. Vol. II, 280, 55. Operam in emendando locaverat *Paulus Malleolus Prof. Eloqu. Paris.*, sed ob characteris deformitatem et immensam erratorum copiam ipse eam reprobaverat. Itaque mox a. 1498 nova editio Parisiis fuit adornata, de qua v. inf. h. a.

P. V. M. Opera. Mediolani. *impensis Magistrorum Leonardi Pachel de Engelstadt et Vlrici Scinzenzeler* f. 1478.

Saxe p. 569. Denis Suppl. p. 99. Panzer. Vol. II, p. 33, 124.

1479.

P. V. M. Opera.... Sequuntur Copa. Moretum. Dirae. De est et non est. De Rosis. Culex. Priapeia. de Herculis laboribus. de littera y. de Fortuna. de Orpheo. *opera et impensis Andreae Portiliae.* Parmae . . . . f. 1479.

Orlandus p. 147. Maitt. T. I, p. 398. Affò p. 68. Panzer. Vol. II, p. 352, 13.

P. V. M. cum Servii commentariis. Sub finem praefat. Servii: «*Hoc opus exactissime cura et eruditione Ioannis Calphurnii viri doctissimi recognitum,* Leonardus de Basilea *Vincentiae diligentissime impressit*». Vicentiae f. 1479.

Est ea, quam Maitt. T. I, p. 398 excitat. Certiora de ea tradere licuit, quum ea in bibliotheca praeclara Kulenkampf, Collegae, servaretur, unde nunc in bibliothecam academicam est translata. Adhibita ea est a Burmanno in Catalectorum recensione; convenit ad verbum et paginam cum ed. Ven. 1486, nisi quod minora carmina de alio exemplo sunt descri-

pta. Praefixa est Io. Calphurnii epistola ad Hieronymum Portensem, ex qua patet, operam eius fuisse inprimis in Servio collocatam, quem *valde mendose factum, et a quodam eius temporis homine erudito ineptiis additis coinquinatum purgasse.* Videtur Venetam 1475 respicere. Erant ei duo exemplaria mirae vetustatis. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 522, 33.

1480.

P. V. M. cum Comment. Servii. Venetiis *arte P. Piasii Cremonensis, Barthol. Blavii de Alexandria et Andreae Toresani de Asula die prima Augusti* . . . . f. 1480

Maitt. T. I, p. 407. Orland. p. 32. Add. Panzer. Vol. III, p. 157, 453. Adhibita a Burmanno Sec. in Anthologia; ut adeo minora carmina eam complecti necesse sit.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii. Adest etiam Vita poëtae, et l. XIII Maphaei Vegii.... Per Iac. Rubeum, natione Gallicum, 1480 m. Ianuario . . . . . f. 1480.

Denis Supplem. p. 125. Panzer. Vol. III, p. 154, 437.

1481.

P. V. M. Volumina diligenter emendata. Mediolani. *per Antonium Zarotthum, opera et impendio Iohannis Legnani. anno Domini MCCCCLXXXI, die XX Ianuarii Finis* f. 1481.

Maitt. T. I, P. II, p. 422. Panzer. Vol. II, p. 41, 182 repetita forte ex edit. 1475 aut 1476.

P. V. M. Opera et Opuscula cum Priapeiis.... Volumina haec summa cum cura emendata Leonardus Pachel una cum Vdalricho Scinczenceller, eius socio, impressit anno Domini MCCCCLXXXI, IX Kal. Sept. Mediolani f. 1481.

Maitt. T. I, P. II, p. 422. Panzer. Vol. II, p. 43, 193. Venibat illa ap. Osborn. anno 1764. Martinus eam ad Georgica bis terve excitat; etiam Burmann. Sec. Anthol. Lat. T. I, p.

99, sed anno 1480 praescripto. Est haec secunda editio; prior erat 1478 et aliae erunt inf. 1487, 1490.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, Catalecta, Priapeia. Georgica et Aeneis cum argumentis. In fine, *impressum Parmae, anno D. MCDLXXXI, tertio Kal. Martias* f. 1481.

* Panzer. tom. IX, p. 269.

1482.

P. V. M. Opera cum Servii Honorati Commentariis. Praecedit eiusdem poëtae vita: Venetiis impressa per *Magistrum Renaldum Noviomagio Theotonicum* 1482, *die XXVII Septembris.* Venetiis . . . . f. 1482.

Orland. p. 31. Maitt. T. I, P. II, p. 432, et iam Fabric. B. L. pag. 208. Servatur in bibliotheca Soc. Lat. Ienens. Subiecta habet Catalecta et Maphei lib. XIII. Sequi eam lectionem vulgatam superiorum editionum deprehendi in iis, quae inspexi et comparavi. v. Panzer. Vol. III, p. 179, 595.

P. V. M. Opera et Opuscula — Volumina haec summa cum diligentia emendata Mediolani *Antonius Zarothus imprimi curavit impensis Ioannis Legnani anno Domini MCCCCLXXXII, VIII Kal. Maias* . . . . f. 1482.

Maitt. ibid. p. 435. Saxe p. 577. Panzer. Vol. II, p. 44, 205. Est tertia Zarotti. Nil in ea factum videtur, quam ut editionis superioris anni exemplar exscriberetur. Vix assequi licet, quo emptorum studio in eadem urbe intra duo annos ter flagitari potuerit Virgilius.

P. V. M. Bucolicon liber ad C. Asinium Pollionem — Ge. Aen. — Adhaerent et Opuscula. Regii Lepidi *cura et impensis Alberti de Mazalibus Regiensis* . 4 1482

Denis Suppl. p. 160. Reviezki Suppl. p. 11. Panzer. Vol. II, p. 393, 5.

P. V. M. Opera c. comment. Servii . . . f. 1482.

Sine loci nota. Panzer. Vol. IV, p. 28, 206.

1483.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Comment. Servii, et eiusdem Opuscula; cum enarrationibus Domitii Calderini; *P. V. Maronis ad Priapum, et Priapeia cum aliis: impress.* die *XV Decembris, per Baptistam de Tortis.* Venetiis . . . . f. 1483.

Maitt. ibid. p. 445. Typographum adscripsi e Catalogo Io. de Neaulme. In hac editione Domitii enarratio primo occurrit in Opusc. min. scilicet: ad Culicem, Cirin et alia. (Panzer. Annal. III, p. 197, 714.)

1484.

P. V. M. cum Servii commentariis. Impressum Venetiis *per Tomam de Alexandria MCCCCLXXXIV, die XXIV Dec.* . . . . f. 1484.

Maitt. ibid. pag. 459. Servatur in bibliotheca Gotting. ex biblioth. Thomasiana. Nihil eam a vulgari ceterarum editionum cum Servio lectione recedere vidi. Subiecta sunt carmina minora. (Panzer. III, p. 206, 769. IV, p. 436, 76.)

P. V. M. Opera cum Servii commentariis, Brixiae *per Boninum de Boninis de Raguxia Octobris die VII* f. 1484.

Panzer. Vol. I, p. 245, 19.

1485.

P. V. M. Opera (etiam carmina minora) *cum Comment. Servii.* Brixiae *per Iac. Britannicum Brixianum die XIII Augusti* . . . . f. 1485.

Denis Suppl. p. 206. Panzer. Vol. I, p. 247, 31, qui me docuit duas esse huius anni Brixianas. B. G. Eandem Burmannus Sec. praef. ad Virgil. laudat, ex cuius bibliotheca in nostram academicam migravit. Convenit cum ceteris, inprimis Venetis, quae Servium habent. Haec est illa, quam ex le Long. Maittairius memorabat T. I, p. 459.

An editio Florentina 1485 prodierit, v. ad a. 1487.

1486.

P. V. M. Opera (cum lib. XIII. Aen. et Opusculis, inter quae et *Ciris*) *cum comment. Servii et vita Virgilii*, *per Antonium Bartholomei*, *impressorum discipulum*, *mense Octobris*. Venetiis . . . . f. 1486.

Maitt. pag. 474. Orland. pag. 25. Fontanini *Hist. litt. Aquilei*. p. 40. Gözius in *Memorab. bibl. Dresd*. T. II, n. 228. Museum Britannic. et biblioth. Gotting. add. Panzer. Vol. III, p. 236, 959. Fossi p. 805. Annum 1476 Martinus ad Georg. III, 288, ubi lectionem eius auctoritate confirmat, memorat, sed vitiose, ut apparet. Descripsit eam copiose Eckhardus gymnasii Isenacensis director (*Nachrichten von seltnen Büchern der bibliothek des Gymnasii* p. 144). Est ea sane ex nitidissimis; verum ad verbum et ad paginam expressa est ex edit. Vicentina 1479.

Hoc a. 1486 primo prodiisse asserueram

Pomponii Sabini opus in Virgilium, editum per Dau. Gaitanum Cremonae:

Nunc video me praefationis subscriptioni temere nimium tribuisse. Vide a. sequ.

1487.

Pomponii, doctissimi viri, interpretatio *in Aeneide* Virgilii — Brixiae *per Boninum de Boninis de Ragusia anno X.* M. CCCC. XLXXX. (sic) *die V mensis Februarii*.

Pomponii grammatici eruditissimi in Culicem commentarium: quod sequuntur Commentaria in alia eiusmodi poëmatia Virgilio tributa; cum comment. in opus *Bucolicorum*, ac postremo in opus *Georgicorum*. — Brixiae *per Boninum de Boninis de Ragusia* 1487. *die XVIII. m. Febr.* f. 1487.

Audiffredi Specim. edd. Ital. p. 157. Fossi Catal. biblioth. Magliabech. T. III, p. 95. Panzer. Vol. IV, p. 257, 46.

Iidem commentarii repetiti a Iunta a. 1519, 1536, et apud Oporinum 1544, inserti quoque editioni Basil. Henricop. 1561. Lucii 1613. Mediarum aetatum Grammaticum perperam cum

esse habitum, bene docuit P. Burmannus Secundus in praef. ad Virgil.; esse autem eum eundem cum Pomponio Laeto (de quo sup. egimus p. CXIV) Vossius subodoratus est de Histor. Lat. p. 191, ex praefatione Gaitani ad Petrum Mannam datam ex urbe Cremona pridie Kal. Ian. 1486. repetita in ed. Oporina; eique debent iudicium suum in hac causa alii viri docti, Niceronius, et Auctor Obss. in Vossium (in *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XXII, p. 366, recoctae hinc adiecto auctoris Apostoli Zeni nomine in *Dissertazioni Vossiane*) etiam Fabric. in Biblioth. medii aevi. Accedit, quod Pomponius Laetus in Epistola ad Augustinum Maffeum (in eius Opp. sub fin.) conqueritur de Glossulis in Virgilium sibi suppositis; *si glossulas*, inquit, *in Virgilium legeris sub titulo meo*, oro *ne fidem praestes; neque temerarius sum, neque audax, neque eam expositionem unquam tentavi: ille quisquis est, qui falsum epigramma posuit, sentiet quid profuerit, me tanto mendacio provocasse.* Est itaque statuendum, has glossulas esse eadem commentaria Sabini; mirum vero, Gaitanum illum tantum audaciae habuisse, ut vivente Laeto, qui 1498 decessit, eius opus e suis schedis ederet: nisi ex Laeti praelectione illa fuere excepta. Si tamen hoc ita se habet, ex ipsa Laeti professione intelligitur, eum auctorem commentariorum horum nec fuisse nec haberi voluisse. Neque ipsum commentandi genus a Pomponio Laeto alias frequentatum vidimus. Occurrunt praeterea nonnulla, quae in eum vix cadere videntur, ut Iter in Scythiam, quod aliquoties commemoratur in Commentariis, v. c. in Ge. pag. 51 ed. Oporin. p. 59 de fibris: *Haec*, inquit, *antiqui scribunt, et nos in Scythia animal vidimus, et Itinerario nostro descripsimus;* et in Culic. p. 582 apud Sarmatas et Scythas e viscinis fieri vinum narrat admixto melle: *quod ego in Scythia saepissime bibi;* paulo ante in Germania *se vidisse* ait *platanos aërias et opacas.* Add. p. 75, 76, 176, 184, ubi Vgros memorat: 197, 198, 236, scripsisse se in Tacitum, Livium, Silium Italicum aliosque passim memorat: Sallustii non meminit, cuius tamen recensio a Laeto facta inprimis celebritatem habuit. Ceterum tota interpretatio, in Aeneidem saltem, maximam partem ex

Servio concinnata est, quem auctor interdum locupletiorem habuisse videtur, uti etiam Probum in Bucolica. Inserta quoque passim loca ex Dionysio Halic. Diodoro et Strabone, latine versa; haud raro nullo auctoris nomine apposito, uti et e Plinio multa intulit; et omnino multa doctrinae pro iis temporibus reconditae vestigia animadvertere licet. Atqui Laetum nec graeca calluisse, nec, praeter latinas, alias literas tenuisse satis constat: ut adeo is pro commentariorum horum auctore nullo modo haberi posse videatur. Manet itaque res multis adhuc difficultatibus implicita, quas bene vidit doctiss. Saxius Onomast. litt. T. II, p. 491. Laudari in iis Commentariis lectionem Apronianam atque etiam Apronianum, supra vidimus p. cvi. Interea mirari licet, non saepius eos in sequioribus Virgilii editionibus esse repetitos; in iis quidem, qui variorum operas recoxerunt, melius suum locum tuitus esset Pomponius, quam viceni alii Commentatores.

P. V. M. Opera cum commentariis Servii Mauri Honorati et Christophori Landini. (Adiuncta quoque sunt carmina minora, ultimo loco Moretum. In Aeneide quoque epitome Donati est inserta, de qua v. mox sub 1489) *impress. XV Kal. April.* Florentiae . . . . f. 1487.

Maitt. p. 486. Orlandus p. 136. Bure *Bibl. du duc de la Vallière* T. II, p. 85, 2439, omnes parum accurate. Melius Audiffredi Specim. p. 304. Fossi p. 806. Panzer. Vol. I, p. 414, 89. Fontaninus *Hist. litt. Aquilei* p. 40, 1485 Florentiae *per Chph. Landinum* curatam Virgilii editionem memorat, cui Ciris esset inserta. Errorem numeri notati esse mihi nunc probabile fit. Huius editionis suspicor repetitionem esse editionem per Ligam Boariam s. a. de qua v. inf. inter edd. s. a.

P. V. M. cum Servii commentariis. Carmina minora. Venetiis *per Baptistam de Tortis* 1487, *die XXIII Maii* f. 1487.

(Biblioth. Acad. Gotting.) repetitio, ut probabile fit, editionis 1483, sine Domitii tamen commento. Panzer. Vol. III, p. 242, 996)

P. V. M. Opera cum Servii commentario. Venetiis *per Bernardinum Benalium* f. 1487.

Ex biblioth. Roloff. p. 65. Panzer. Annal. Vol. III, p. 143, 1005.

P. V. M. Opera cum comment. Servii. Mediolani *per Leonardum Pachel et Vldericum Scinzenzeller* . . f. 1487.

Post Sax. p. 583. Denis Supplem. p. 237. Mittarell. Bibl. S. Michaelis p. 476. Panzer. Annal. Vol. II, p. 55, 282. Vid. ante ad 1481.

1488.

P. V. M. Bucolica : Daventriae. 4. 1488.

Fabric. B. Lat. Vol. II, p. 231. Notiores sunt edd. cum Com. Torrentini 1492, 1494, 96, 98. Videtur ad eandem officinam spectare : *Moretum. Vir bonus. De Rosa. De Vino et Venere. Daventriae* in officina Alberti Pafraet . f. a. 4.

Crevenna *Catalogue* Vol. III, P. I, p. 199.

Et *Bucolica cum Georgicis* per Richardum Pafraet *Daventriae* 1489 habet Bibliotheca Academica nostra. Eadem aliquoties repetita, ut a. 1496, 1498, 1500.

Virgilii opera (et carmina minora) *cum Servii commentariis ;* ad cuius calcem legitur : *Impr. hoc opus* Venetiis *per Magistrum Andream de Palthascichis Catharensem* 1488, *Kal. Sept.* . . . . f. 1488.

Biblioth. Acad. Gotting., item Biblioth. Elect. Dresd. Est eadem, de qua Maitt. p. 781, et Indicis App. p. 560 nullo typographi nomine addito. Convenit illa cum Veneta 1487. Subiecta quoque carmina minora. Add. Panzer. Annal. Vol. III, p. 251, 1068.

1489.

P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini ; *Vegii* lib. XIII *Aen. Catalecta, cum Comment. Calderini*, Venetiis *per Georgium Arrivabenum Mantuanum. V Cal. Quinctil.* f. 1489.

Maitt. ibid. p. 508, Orland. p. 47, Panzer. Vol. III, pag. 274, 1215. Credideram in hac editione Donati commentarios, inepti hominis opus, quum totus in eo sit, ut poëtam ad rhetorica praecepta exigat, primum in lucem exiisse, sed, ut ex ipsius Landini professione intelligitur, in epitomen ab ipso contractos; Nam et huius viri docti commentum in hac editione reperio. Nunc autem video praecessisse iam editionem Florentinam 1487 ad quam vide. Plenior Donatus prodiit 1535 et 1551. Ceterum ab hoc inde tempore *genus editionum* procedere videas *cum Landini commentariis*, adiectis mox *Mancinelli in Bucolica et Georgica commentariis*, qui 1490 *primum* prodiere, tandem etiam *annotationes Beroaldi* et copiosiores *Badii Ascensii* accessere. In his adeo semper idem fere contextum poëtae repetitum est.

P. V. M. Opera; a paulo adelocen: exactissime emendat. Parisiisque in vico sorbonico impress. MCCCCLXXXIX, XII Cal. Decemb. Parisiis . . . . f. 1489.

Maitt. ibid. p. 509. Panzer. Vol. II, p. 292, 171, conf. ad 1494.

Phil. Beroaldi Bononiensis *Annotationes in Comment. Servii, Virgiliani Commentatoris.* Florentiae *impr. Ant. Mischominus* . . . . 4. 1489.

Ad an. 1488 retulit Maittairius. Sed v. Audiffredi Specimen p. 313, et Panzer. Vol. I, p. 415, 104.

1490.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini *per Vldericum Scinzenzeller.* Mediolani f. 1490.

Orland. p. 105. Maitt. ibid. p. 521. Panzer. Vol. II, p. 62, 335. Vide sup. ad a. 1481.

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Commentariis Ant. Mancinelli Veliterni. —per Eucharium Silber, alias Frank. — Romae . . . . f. 1490.

Maitt. ibid. p. 524. Audiffredi Catal. Edd. Rom. p. 197. Quantopere literarum studia apud Romanos per sequentes aetates refrixerint, discas vel ex hoc, quod, quum antea non

nisi tres edd. Romae prodierint, 1469, 1471, 1473 ab hac inde editione anni 1490 per saec. XVI et XVII vix una facta est alia Romae Virgilii editio. Panzer. Annal. II, p. 499, 459.

1491.

P. V. M. cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini. Impensis et diligentiori cura Lazari de Saviliano. Venetiis . . . . f. 1491.

Maitt. ibid. p. 533. Orland. p. 50. Biblioth. Schwarz. P. II, p. 430. *Schnitzer Neustadt an der Asch Kirchenbibl.* III, p. 45. Panzer. Vol. III, p. 307, 1430.

Alia huius anni *cum Comment. Servii et in minora poëmatia Domitii Calderini: praemissa est praefatio Chph. Landini, Venetiis per Bartholomeum de Zanis de Portesio:* Catal. Biblioth. Reg. Paris. p. 1, n. 817, add. Denis Supplem. p. 318. Panzer. Vol. III, p. 303, 1404. Repetita est haec editio 1493, 94, 95, 1505.

Est *tertia* a. 1491. *Virgilius cum quinque Commentis* — Venetiis *per Philippum Pintium.* De hac v. laudd. a Panzer. Annal. Vol. III, p. 307, 1425. Quinque illa Commenta, saepius hinc repetita sunt *Servii, Donati, Landini, Mancinelli, Domitii Calderini.* Atque haec est illa, non ed. 1491 ut putabam, quae ordinem ducit editionum cum quinque Commentis, cf. ad 1489.

1492.

P. V. M. cum Comment. Donati, Landini et Servii, impensis Francisci de Gerardenghis de Papia, labore et industria Ant. Lambillionis Non. Nov. Venet. . f. 1492.

Orland. p. 51. Maitt. ibid. p. 545. Panzer. III, p. 325, 1568.

Alia Veneta 1492 cum quinque Commentis exstat, cuius exemplum in bibliotheca Erlangensi Academica servari narrat Harles V. C. typographi nomine non memorato; Esse eandem cum edit. 1491 probabile facit Panzer. III, p. 307, 1415 et

p. 329, 1593, utraque repetita, quantum intelligo, ex Veneta 1489.

Editionem *Venetam* huius anni et alteram 1497 *in secundam Donati editionem* memorat Fabricius B. L. p. 208, sed in eo fallitur vir doctis., dum haec ad Virgilium refert: sunt enim Commentaria, quae sub Servii nomine feruntur, in secundam Donati Artem seu editionem, quae etiam in Putschii vett. Grammaticis habentur.

P. V. M. (et carmina minora) *cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini, impensis Antonii Koberger.* Noribergae . . . . f. 1492.

Satis frequens Editio, de qua v. Maitt. ib. p. 546. Orland. p. 141, et Eckard loco sup. laud. p. 158. Panzer. Annal. II, p. 210, 208 et in *Aelteste Buchdrucker geschichte Nürnbergs* p. 24. Servatur eadem in Biblioth. Acad. Gotting. Est mera repetitio Venetae 1489 cum Landini commento.

P. V. M. cum variorum commentariis Lipsiae f. 1492. Panzer. Annal. Vol. II, p. 478, 46.

P. V. M. Bucolica Daventriae . . . . . 4. 1492.
(Vid. sup. ad a. 1488) Orlandi p. 429. Maitt. T. I, p. 786, et Ind. App. p. 560. Panzer. I, p. 360, 64.

1493.

P. V. M. Opera cum Commentariis quinque — Venetiis *per Bartholomaeum de Zanis de Portesio* . . f. 1493.
V. laud. Panzer. Annal. Vol. III, p. 389, 1670, et Fossi p. 807—9. Est repetitio a. 1491.

1494.

P. V. M. cum Commentariis Servii, per Damianum de Mediolano. Venetiis . . . . f. 1494.
Maitt. Tom. I, p. 575. Orland. p. 54. Panzer. III, p. 361, 1843.

P. V. M. Opera cum commentariis P. Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati et Domitii, cum Catalectis. Ve-

netiis 1494 die ultimo Septembris (s. n. typogr.) f. 1494.

Laudatur a Burio *Biblioth. du duc de la Vallière* P. I, T. II, pag. 85, typographi nomine non apposito; alios v. in Panzer. Annal. III, p. 365, 1881.

Ab hac editione diversa est alia h. a. similis apparatus:

Virgilius cum Commentariis quinque — Catalecta c. Domitii Calderini comment. Venetiis *per Bartholomaeum de Zanis de Portesio sub a. domini MCCCCCXIIII,* (leg. XCIIII) *die octava Octobris* . . . . f. 1494.

Panzer. Annal. Vol. III, p. 355, 1803. Exstat in biblioth. Gotting. ex bibliotheca Daviana in eam illata. Est ed. rep. anni 1491 et 1492.

Parisinam in 4.° editionem huius anni laudat aliquoties Martinus ad Georgica III, 256, 435, IV, 391. Est ea sine dubio *Georgicorum* tantum; uti alia 1495 octonis (s. quaternis minoris formae) laudatur a Martino ad Ge. III, 468. *Bucolica cum Commento familiari* Paris. 1495 memorari video in bibl. Harleiana T. I, p. 177. Scilicet ab hoc inde tempore saepius repetita carmina Virgiliana modo seorsum, modo coniunctim, Parisiis; nullùm ad criticum usum.

P. V. M. Bucolica cum Comment. per Iacobum de Breda. Daventriae. . . . . f. 1494.

Orland. p. 150. Maitt. ibid. vide ad a. 1488. Commentum hoc *Herm. Torrentini* est; quod, quamvis ieiunum et ineptum, saepius ab hoc inde tempore repetitum per Arnoldum de Colonia et alios. Etiam *Georgica* c. Commentario *Hermanni Torrentini* paulo post prodiere *Daventriae* 1496, 4. Saepius repetitum utrumque opus. Nihil tamen valde fructuosum ex his edd. exspectare licet.

P. V. M. libri Georgicorum. Lipsiae per Arnoldum de Colonia . . . . 4. 1494.

Annal. Typogr. Lips. et iam Fabric. B. L. T. II, p. 234. Panzer. Annal. I, p. 481, 75. Est *Aeneis* ibid. eod. a. (Panzer. ibid. n. 76) et *Bucolica* 1495 (Panzer. ibid. p. 484, 100).

1495.

P. V. M. Opera cum Commentariis quinque, vid. Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii: impress. per Bartholomaeum de Zannis de Portesio. Venetiis . f. 1495.
Maitt. p. 595. Rossi p. 72. Panzer. Vol. III, p. 374, 1939. Bibl. Gott.

Est etiam huius anni Editio Pinciana: *Virgilius cum commentariis quinque: videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suis locis castigati.* Acc. Carmina minora. Venetiis *a Philippo Pineio Mantuano anno domini MCCCCXCV die octavo Augusti, cum privilegio ne quis audeat* imprimere usque ad annos decem sub poena in eo contenta . . . . . . f. 1495.
(B. A. G.) Sane et haec et illa prior Veneta repetitiones merae sunt duarum Venetarum 1491. Pinciana autem mox aliquoties repetita, 1499, 1505. (Panzer. III, p. 376, 1952).
Georgica Parisiis anno 1495 octonis expressa; unde Panzer. II, p. 310, 363. Alia ibid. Vol. IV, p. 287, 106, v. sup. ad 1494.

1496.

P. V. M. Georgica cum Commentario Hermanni Torrentini. Daventriae, per Richard. Pafraet . 4. 1496.
Panzer. Vol. I, 364, 106. v. ad. a. 1494: cf. Denis Suppl. p. 400.

1497.

Virgilius cum Comment. quinque, vid. Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. Venetiis *per Simonem Papiensem dictum Bevilaqua* 1497 die XX Febr. . f. 1497.
Denis Suppl. p. 436, et iam Maitt. p. 655. Panzer. III, p. 412, 2198.
De *Servii Commentariis iuxta secundam Donati editionem* Venet. ap. Simonem Papiam f. 1497 expressis, atque Fabricio

B. L. p. 208, et ex Maittairio T. I, p. 655 memoratis, supra ad a. 1492 diximus.

1498.

P. V. M. Opus per Paulum Malleolum *Anedlacensem iterata diligentia plane recognitum; per* Vdalric. Gering. *et* Berthold Rembolt *socios in vico Sorbon. quam tersissime impressum* 9. *Calend. Iulii.* Parisiis . . f. min. 1498.

Maitt. p. 662. Orland. p. 87. Panzer. Vol. II, p. 319, 447. Ex Paris. 1478 et 1489 expressum, sed emendatius. In Epistola praefixa P. Malleolus quum de aliis typographorum multorum fraudibus queritur, tum de nonnullis praevaricatoribus chalcographis — qui *ut numerum augerent interpretum, nec tamen plus assumerent papyri, Ant. Mancinellum in Bucolica Georgicaque adiicientes, et Servium et Donatum, et Landinum, probatissimos interpretes, per universum opus laceros, mancos et exanimes, reddiderunt* ap. Maitt. T. I, p. 60, 61. Haec quorsum pertineant, non facile est dicere; forte tamen ad Venetam 1495 referenda.

Georgica et Bucolica cum novo commento Hermanni Torrentini (Daventriae per Rich. Pafraet) 4. 1498, 1499.

Biblioth. Gott. Acad. v. Panzer. Annal. I, p. 365, 120, 121, IV, p. 288, 121 bis. v. ad a. 1488, 1494.

P. V. M. Georgica Lyptzk *per Baccalarium Wolfgangum Monacensem* . . . . f. 1498.

Denis suppl. p. 457. Panzer. Vol. I, p. 490, 166.

1499.

P. V. M. cum Commen. quinque Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suis locis annotati a Philippo Pincio Mantuano. Venetiis f. 1499.

Orland. pag. 50. Maitt. p. 688. Alii ap. Panzer. Vol. III, p. 457, 2500. Multi passim hanc edit. Pincianam memorant, et satis obvia ea est; ducta illa ex edit. Pincii 1495. Est eadem porro recusa 1505.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii, Donati et Chph. Landini. Venetiis *Iacobus Zacchius* . . . . f. 1499.

Tantum ex Maittairio p. 688 innotuit, nec aliam norat fidem Panzer. Vol. I, p. 556, 224.

P. V. M. aliquot opuscula. In Colonia 1499. Denis Suppl. p. 477. Panzer. Vol. I, p. 320, 328. v. ad a. 1501.

Ibid. *Bucolica et Georgica*: v. laudd.

1500.

V. cum Commentariis quinque. Venetiis *a Lucantonio Florentino anno domini MCCCCC die XXVII Augusti cum privilegio* . . . . f. 1500.

(Panzer. Vol. III, p. 478, 2654. Totus liber ad verbum, et cum ipso titulo, expressus ex Pinciana 1495. Servatur exemplum in re libraria Gymnasii Arnstadiensis, unde descriptionem diligentiorem mecum communicavit Lindnerus, vir doctiss. Gymnasii Rector. Lucantonius debet esse Lucas Antonius Iunta, a quo editiones cum variorum commentariis 1519 et seqq. annis aliquot Venetiis sunt excusae).

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Comment. Servii et Iod. Badii Ascensii. Lutetiae *Iohann. Petit* f. 1500. (Hinc Panzer. Vol. II, 335, 613).

P. V. M. Aeneis cum Servii Commentariis Phil. Beroaldi annotat. — Donati enodat. Iod. Badii Ascensii elucidatione atque ordinis contextu — a Thielmanno Kerver compressa. Venundantur Parisiis *a Ioanne Parvo* f. 1500.

Vid. Maitt. p. 813, ubi inscriptio libri verbosissima expressa est. Bucolicorum editionem non memorat, quam Aeneis sequuta est. Anno sequenti etiam *Culex cum reliquis poëmatiis* prelo eodem exiit, atque haec est *prima Ascensiana*, quam tot aliae sequutae sunt. *Vniversa Virgilii carmina huius anni cum Comment. Servii apud Io. Parvum et Io. de Confluentia*, Orlandus p. 96 memorat. (Panzer. Vol. II, p. 333, 595)

P. V. M. Opera Nic. Erythraei opera restituta additis eiusdem scholiis, 8, 1500 *per Franc. Rampazetum.* Memo-

ratur in Cat. Biblioth. R. Paris. n. 818. (1) Esset haec itaque *prima Erythraeana* saepius deinceps repetita, sed non nisi medio saec. XVI (1539, 1555 al.) Erythraei industria, etiam Henr. Stephano in praef. damnata, fere intra subtilitates grammaticas et rhetoricas substitit. Iudex nullo plane consilio ac iudicio confectus est.

Hoc anno *Herm. Torrentini Commentarium Coloniae* typis excusum fuisse, apud Fabricium B. L. T. I, p. 213 memorari video (in Bucolica et Georgica. Denis supplem. p. 477). cf. ad 1494, et *Georgica* cum eius Commentario Daventriae. v. sup. ad e. a. etiam Opuscula (Denis Supplem. ibid.).

Subiiciemus nonnullas edd. huius saeculi sine temporis aut loci notatione excusas: de quibus tamen non sine cautione pronuntiare licet; quandoquidem plerumque extrema pagina et indicibus destituta exemplaria in hunc censum veniunt.

P. V. M. Opera . . . . fol. s. l. et a.

Memorata et descripta secundum externam formam a *de Bure* in *Catalogue des Livres du Duc de la Vallière* P. I; T. II, p. 80, proposito quoque literarum specimine, quae neogothicae et barbarae sunt. Veniit Libris Gall. 756, 19 s. et est nunc ap. Com. de Spencer. Ad annum 1471 eam refert de Bure. Esse eandem excusam opera *Ioannis Schüssler*, Augustae Vindelicorum, intra a. 1470 et 1472 (nam intra hos annos ille officinam exercuit; v. Zapff *Augspurg. Buchdrucker - Geschichte* T. I, p. XI) deprehendisse nuper sibi visus erat, comparato Terentio sine a. et l. Dom. Mangerard (Journal encyclop. 1787 Decembr. p. 327). Terentii exemplar ser-

(1) Une méprise des rédacteurs du Catalogue de la Bibliothèque du Roi est cause que M. Heyne a placé sous cette année la première édition des Remarques de Nic. Erythrée sur Virgile.

Ces Remarques ont été publiées pour la première fois à Venise, en 1539; elles ont été réimprimées dans la même ville en 1565. Dans l'exemplaire de la Bibliothèque du Roi de cette réimpression, les chiffres 65 ont été effacés à l'aide d'un grattoir, de manière à faire lire 1500 au lieu de 1565. Les rédacteurs du Catalogue, trompés par cette opération frauduleuse, ont placé l'année 1500 au lieu de 1565. (Barb.)

vatur in bibliotheca nostra Academica. Mox tamen alius vir doctus, comparata versione latina homiliarum Io. Chrysostomi et libri IV Augustini de doctrina Christiana, librum vindicavit prelo *Mentelii* Argeotoratensis (ibid. a. 1788 Apr. p. 155 sq.) atque in hoc nunc acquiescunt Denis Supplem. p. 699 et Panzer. Annal. typograph. T. I. p. 73, 74, 407. Ceterum tanto libeotius hoc accepi ad liquidum perductom, quum antea de una tantum in Germania hoc saeculo excusa editione Virgilii constaret, Kobergeriana scilicet; nuoc est illa Argentina altera. Successit tertio loco Argeotioa 1502.

In Bibliotheca Smithiana pag. D Editio *Virgilianorum Operum* memoratur, *Eclogae*, *Georgica et Aeneis*, fol. s. l. a. et typographi nomine; esse tamen perpulcram et characteris literarum ad Vindelinianam accedentis.

P. V. M. cum comment. Servii, *Donati et Landini*. Ad calcem: *Impressum Venetiis per Ligam Boariam*, *X Kal. Iun.* . . . . f. s. s.

B. G. memoratur ad Orland. 62, 428. Maitt. T. I, P. II, p. 748. Ind. App. p. 560, et in Catal. Biblioth. Barberioae p. 529. Panzer. Vol. III, p. 498, 2813. Descriptionem eius dedit vir doctiss. Sam. Beni. Reichel, Prodirector Gymnasii Alteuburgeosis in Progr. 1774. Exstat quoque ounc eadem editio in Biblioth. Acad. Gottiog. quo tanto certius mihi nuoc constat, esse eam repetitionem, uon tam Veoctae; quam Florentinae 1483 vel 1485, adiectis quoque iode *carminibus minoribus*. Praefixum est, ex eadem utique editione, Chphori Laodini Florentini prooemium ad Petrum Medicem, Magni Laurentii filium. Memoratur in eo inter alia coniuratio in Mediceam familiam et Laurentii reditus in urbem: quo ipso patet non nisi post a. 1478 et 1479, et ante 1492 illud scriptum a Landino esse.

P. V. M. Opera una cum Servii Honorati Grammatici Commentariis Venetiis . . . . s. l. et a.

Maittaire p. 749 et Iod. App. p. 560, Biblioth. Harl. Tom. I, p. 176. Accurate descripsit Helmschrot *Drucke des Stiffts Fuessen*. II Th. p. 82 (181) cf. Meusel *hist. u. litter. Magazin* 7 Stück p. 154. Add. Panzer. Vol. III, p. 498, 2815.

Est haec eadem quam descripsit Fossi p. 803—5, unde etiam disco subiecta esse carmina minora.

P. V. M. Opera — lib. XIII Maphei Vegii — diversa carmina. Priapeia. Copa. Est et non est. Vir bonus. Rosae. Culex. Dirae. Aetna. Ciris. Catalecton.

s. l. et a. char. Rom. fol.

Maittaire p. 766. Braun. Biblioth. ad. SS. Vdalr. et Afram T. I, p. 108. Morellus in Biblioth. Pinell. II, p. 386, et Panzer. Vol. IV, p. 208, 1277.

P. V. M. Opera — adhaerent: Copa. Moretum. Dirae. Est et non est. Rosae. Culex. Priapeia. — char. lat. circa 1480 fol. forte Venetiis.

Gemeiner *Nachrichten v. Regensburg. Stadtbiblioth. p.* 65. Rossi p. 72 et Panzer. Vol. IV, p. 208, 1278.

Mauri Servii Honorati Commentarius in Virgili Opera. char. lat. . . . . fol.

Maittaire p. 752 de la Valliere, Helmschrot et Panzer. quem v. Vol. I, p. 76, 415 inter libros Argentoratenses.

P. V. M. Bucolica char. Goth. rudi . . . s. a. et l.

Ex Pinelli et Denis Panzer. Vol. IV, p. 208, 1279.

P. V. M. Eclogae. Brixiae *per Thomam Ferrandum* f. a. v. Panzer. Vol. IV, p. 263, 147.

Veterem *Londinensem* editionem Martinus aliquoties memorat: forte respexit *Bucolica s. a. per Rich. Pynsonum*, qui intra 1493 et 1528 typographiam *Londini* exercuit. Titulum libri v. apud Amesium *Old. English Printers* p. 130. At nunc video a viro doct. Lud. Guil. Brüggemann (in *View of the English Editions of the Greek and Latin Authors* p. 535 ex *Hebert's typographical antiquities*) laudari *P. V. M. Opera cum Commentar. Ferrandi* Londini *Rich. Pynson* . . . . 8. f. a.

Ex tanto editionum saeculo XV vulgatarum numero antea vix tres aut quatuor, nunc aliquanto plures, a viris doctis critica cum cura et subtilitate excussae sunt; unde fit, ut nec satis exploratum sit, sitne aliquid ex nonnullis earum utilitatis et fructus ad Virgilium exspectandum, utque nec accu-

rate definiri possit, quaenam ex iis inter principes at ex membranis descriptas habendae sint, aut quae aliarum familias duxerint. Etsi, si quidem ex iis licet iudicare, quas ipse inspexi, iusta ominandi causa subest, ut nunc habemus Virgilium ad codd. constitutum, parum aut nihil bonae frugis inde ad nos rediturum esse; quae ipsa res revocavit me, quo minus in iis, quae ad manum erant, excutiendis essem nimis sedulus. Quantum tamen adhuc curatiore opera ac studio perspicere potui, *a Venetis cum Servii commentario* exaratis primo Virgiliana lectio fuit constituta, ut per plures editiones continuaretur. Nam conveniunt fere inter se ad eandem lectionem propagandam Venetae cum Servii tum cum Landini aliorumque Commentariis vulgatae. Cum iisdem consentire visae sunt edd. *Kobergeriana* 1492, *Argentina* 1502, utraque inter meliores referenda. *Daventrienses* et *Parisienses* in scholarum usum paratae esse videntur. *Priorem Romanam* ex parum emendato codice profectam esse sūpra vidimus; *alteram* emendatam ex codice Pomponii, qui, ut probabile fit, idem erat cum Oblongo Pierii. Inde quae *cum Servio* prodiere, fieri non potuit, quin ex hoc ipso constituerentur aut interpolarentur. Ad *Mediceum* codicem emendavit poëtam Ceuninus Florentiae. Codices *Vaticanos* adhibitos esse in Mediolanensi Zarotti 1472 testatur subscriptio. Si tamen altera Mediolanensis 1474 inde fuit expressa, lectionem eius excerptam habemus in Var. lect. apparatu. *P. Malleolus* bis ad emendandum Maronem accesserat 1478 et 1498. Non tam in poëta, quam *in Servio* emaculando operam collocarant plerique, in his Io. Calphurnius in edit. Vicent. 1479. Prorsus inde a critica opera deflexum ad *interpretandi studium*. Primo video Domitium Calderinum enarrasse Opuscula 1483. Prodiit 1486 Pomponii Sabini Commentarius e Servio et Probo potissimum collectus. Inde Donati excerpta, et Landini Comment. 1487, 1489. Ant. Mancinelli 1490. Paulo post quinque Commentarii iunctim prodi coepere; inque hoc fere substitit virorum doctorum studium.

Dicendum nunc est de *Aldinis editionibus*, quas in prima editione nondum ad manus habebam. *Prima Aldina* 1501 mera est superioris alicuius editionis repetitio, etsi in praefatione promittitur Virgilius emendatus, atque etiam ad calcem orthographiae suae defensionem cum quinque locorum correctione subiicit Aldus (exigui profecto momenti illa correctio: *Lavinia* pro Laviniaque, Aen. I, 2; VI, 33, *protinus omnia* pro omnem. VI, 464, *aquai* pro aquae vis. VIII, 402, *potest electro* pro potestur electro. IX, 9, *petit Evandri* pro petivit E.). *Altera* est repetita ex priore. Successit *tertia* ex *A. Naugerii emendatione*, praeclara et inter praestantissimas facile editio: quam qui factum sit ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priores Aldinas redirent, non assequor. Pleraque enim, ab Heinsio e melioribus codd. constituta, leguntur iam in Ald. tertia. Habuere tamen eam in manibus viri docti, saltem Pierius, qui nihilominus priores sequitur. Heinsius et Burm. laudant Ald. et Iunt. in Var. lect., sed spectat hoc ad priores. Repetiere quidem editionem tertiam Aldinae 1527, 1540, 1545, nec tamen satis fideliter; in multis ad priorem rediere. *Paullus* autem *Manutius*, qui adnotationibus ad marginem appositis instruxit Virgilium, ad suum iudicium ex aliis edd. multa in textu novavit in edd. 1555, 1558, 1560. Ad *P. Bembi et A. Naugerii exemplarium* fidem emendationem factam praeferunt alia exempla, Venetum 1525, Iuntinum 1552; fluxere adeo illa ex Ald. tert. Aliae praeferunt eandem professionem tantum in Culice, ut Lugd. 1537, Paris. 1538. Multo tamen maior numerus est eorum editorum, qui tertiam deseruere, et ad priores Aldinas rediere, ut Gryphianae, Rob. Stephani al.

Novam recensionem adornasse videri voluit *Ioann. Bapt. Egnatius* in ed. Ven. 1507. Verum substitit eius opera maxime intra *Servium*, quem ex dimidiato integrum se fecisse profitetur; adiecit et *Probi* commentariolum, seu fragmenta. E codd. quos iactat pauca vidi mutata, bonam tamen interdum lectionem repositam; versus de Helena Aen. II, 567 sq. sustulit. In ratione scribendi multa se ad veteris consuetudinis normam direxisse ait; in plerisque antiquioribus potius auctoribus, quam recentibus grammaticis, adstipulatus.

Iuntina prima, a *Philippo Iunta* expressa, est a. 1510, postquam iam Eclogas, forte et alia, separatim prelo subiecerat, repetita 1529, quam diligenter inspexi. Est in his, saltem in altera, fundus editio Aldina prior, verum emendata illa est a *Nic. Angelio:* quod tamen non ita accipiendum, ac si novos codd. adhibuerit. Praefixae sunt *Benedicti* in Virgilium annotationes, a quo codices inspecti sunt; v. inf. ad an. 1520; hanc tamen editionem cum Egnatiana a viris doctis neglectam esse video, nisi quod 1534 ex Egnatio Basileensis Io. Walderi repetita est. Diversae ab his sunt edd. Lucae Ant. Iuntae, de quibus statim dicemus, quum de Ascensianis pauca monuerimus.

Prima Ascensiana, h. e. Iod. Badii Ascensii commentariis instructa, quantum quidem constat, 1500 prodiit. Nihil equidem de re non inspecta affirmare ausim; eam tamen cum reliquis editionibus Ascensianis a Venetis supra memoratis, uti 1495, 1499, a quibus vulgatam lectionem deductam suspicor, nil discedere vidi, ut adeo ipse Badius in textu nihil emendationis attulisse videatur. Criticae adeo opis ex iis omnibus nil est exspectandum. Sunt autem Ascensianae notabiliores Paris. f. 1505, 1507, 1512, 1514, 1515, Lugdun. f. 1517, 1528, 1529. Inter haec per familiare Commentum Herm. Torrentini, subinde repetitum, depressa est Virgili lectio ad puerile verborum et phrasium studium.

Mature Ascensianum commentum in *Venetas* edd. migravit, interdum ad verba diversi contexti; unde nec dubito lectionis varietatem et interpolationem ab eo tempore promiscue per vulgatas esse grassatam. Post editionem a. 1500 ex Pinciana ductam, *Lucas Ant. Iunta*, Ascensianarum edd. exemplo, onerare ac variorum commentariorum tanquam eluvie aliqua inducta, submergere poëtam coepit: f. 1519, 1533, 1537, 1542. Idem institutum tenuere alii librarii Veneti, et in edit. 1522. Harum editionum omnium nulla esse potest dignatio. Etiam Iuntinas modo dictas sequuntur aliae Venetae: ut ap. de Tortis 1541: ap. Hieron. Scotum 1544 et ap. Bonellum 1558 et ipsa Velutelli 1534.

Inter haec *Picrius* praestantissimis codicibus adhibitis (de quibus v. sup. p. CXI) castigavit Virgilium, et quidem

castigationibus seorsum editis 1521 : acceptae ac repositae sunt in edit. 1529 Paris. et 1532 Rob. Stephani. Vsus est Pierius Aldina prima et secunda; etsi tertiam semel memorat ad Aen. III, 43. Adoptavit et breviter excerpsit Pierii castigationes sub nomine *lectionum varietatis* appositae, *Alex. Velutellus* in Ven. 1534, 8. Item Hieron. *Scotus* Ven. 1544, quam excipit alia Veneta apud Io. Mar. *Bonellum* 1558, f. nitidissima editio, et, quod viri docti fidem faciunt, quum ipsi titulo libri forte fidem haberent, emendatissima. Sed typographica peccata ipsi animadvertimus, et indocto homini concinnandae editionis curam mandatam fuisse, ex eo suspicati sumus, quoniam varietas lectionis in margine omissa est.

Vnde factum sit, ut editio *Veneta* 1583, 8 e *MS. Carpensis*, h. Mediceo codice, expressa a posterioribus editoribus plane negligeretur, difficile est dicere. Ita nec *Commelinianae*, similiter e cod. *Palatino* expressae 8, 1603, ulla ab editoribus ratio est habita. Sed, quod saepe et alias vidimus, casu haec potius et fortuna, quam consilio, geruntur.

Iam a. 1500 Virgilius *Nic. Erythraei*, h. e. Io. Victorii Rossii (v. Anti-Baillet T. I, c. 8) (1) opera restitutus cum eiusscholiiset indice prodierat apud Franc. Rampazetum; hinc iterum per Sabium recusus 8, 1539 et 1555, unde transcriptae editiones Francof. 1583. Hanov. 1603, 1608, et castigata per Io. Obsopoeum et Fr. Sylburgium 1613, 8. Indicem Erythraei Ant. Mar. Bassus aliquis ad versuum et librorum numeros instruxerat Venet. 1586. Sed tota fere Erythraeana opera nec consilium neo fructum habet. Interea nulla est Virgilii editio, quae frequentius repetita a librariis fuerit.

Similem fortunam invidere licet editionibus cum *Ioannis a Meyen* scholiis Ven. apud Aldum, 1576, 1580, 1587 etc.

(1) Ainsi que je l'ai fait voir ci-devant, c'est par erreur que le Catalogue imprimé de la Bibliothèque du Roi de France a fait remonter à l'année 1500 la publication des Remarques de Nic. Erythrée sur Virgile. Ici, M. Heyne tombe dans une méprise, qui a bien lieu d'étonner de la part d'un savant aussi versé dans l'histoire littéraire: il confond Nicolas Erythrée avec Jean Vittorio Rossi, qui lui est postérieur de près d'un siècle, et il s'appuie mal-à-propos de l'autorité de Ménage dans son *Anti-Baillet*, T. I, ch. 8. Notre compatriote n'a pas fait la même faute. Barb.

Nihil enim illis est ieiunius. Repetita tamen illa a Francofurt. 1599, 1616, 1629, tum in Parisinis et in Venet. edd.

Vnde *Rob. Stephanus* editionem suam 1532 duxerit, curiose inquisivimus. Satis nunc nobis constat, Aldinam priorem seu Iuntinam ab eo fuisse expressam. Robertus ipse ex Servio laudis summam aucupatus esse videtur: eum enim, antiquorum exemplarium ope, inter quae unum Fr. Sylvii memorat, integritati restituisse gloriatur; de ipso Virgilio silet. Successere editioni Rob. Stephani maiori reliquae *minores*, in quibus Aldinae tertiae praefationem praemisit; attamen poëtae lectio ad alias, etiam Aldd. priores, edd. est mutata. Sunt eae 1533, 1537, 1540, 1549, iam a Maittairio in Hist. Stephanor. commemoratae; nec dubito *Henrici Stephani* tres editiones 1577, 1683 et 1599, 8 ex iisdem ductas esse.

Editio *Parisina* 1600 cum tota sua familia Genevensi, Servii commentariisa *P. Daniele* emendatis nonnullis in ipsum poëtam meritis commendatur.

Quae *P. H. Sussannaei* diligentia in Virgilio emendando, 1539, 1540, 1541 Parisiis fuerit, mihi non constat; nec tamen tam criticam, quam typographicam eam industriam fuisse suspicor.

De fonte editionum *Sim. Colinaei* 1526, 1531, 1540, 1542 forma minore, et *Gryphianarum* mihi hactenus liquet, quod edd. Aldinis prioribus, et Iuntinae inde ductae respondent. Iam inde ab a. 1538, 1545 Franc. Gryphius Parisiis Virgilium excudendum curaverat; tum e Franc. Goveani, clari ICti, et vel ex magni Cuiacii laude satis nobilis, castigatione, falso tamen iactata, eum vulgavit Lugduni Seb. Gryphius forma minore 1542, 1544, 1546, 1547, 1550, 1555, 1556, 1560.

Ab anno inde 1530 et hinc 1537, 1538 Virgilius *cum Phil. Melanchthonis scholiis* Parisiis vulgatus, et Lugduni 1537, deinceps autem Tiguri 1564, 1570, 1581, 1585, Basileae 1546 et al., Moguntiae 1554, Coloniae 1597 repetitus est. Habent neque hae editiones usum criticum: mirum tamen illud, qui factum sit, ut Parisiis primum Melanchthonis scholia frequentarentur. Etiam Melanchthonis praelectiones in Georgica, Basileae 1544 vulgatae, statim 1548 iterum fuere recusae.

Lipsiae ab initio inde saeculi XVI modo Bucolica, modo Georgica, etiam Aeneis, fuerant excusa; ista fere cum *Herm. Torrentini* Comment. Nec tamen ex iis edd. quicquam beneficii aut fructus in Virgilium exspectari posse videtur, ne ad interpretationem quidem. Est enim huius Torrentini familiaris, ut vocat, expositio, iam sub finem seculi XV vulgata, illis quidem temporibus condonanda, non tamen digna, quae toties Lipsiae, Argentorati, Daventriae, Londini et alibi repeteretur. Si tales edd. non plane negligimus, historiae typographicae forte prodest opera nostra, Virgilio nihil.

Postquam *Ge. Fabricius*, Chemniciensis, accuratioris doctrinae vir, quam nunc vulgo ad viri docti nomen consequendum in hoc literarum genere requiri solet, ex Italia Neapolitanum exemplar Commentariorum *Donati* in Aeneidem reportaverat, inque iis et *Servii* Commentariis emendandis operam per multos annos assiduam collocaverat: eius fructus in publicum produxit primum *editio Henricopetrina* f. 1551, repetita illa mox, et variorum interpretum Commentariis locupletata, seu onerata et obruta, f. 1561, 1575, 1586 et Lud. Lucii studio 1613. Quod exemplum Henricopetri operis librariis exprimendum tradiderit, nusquam memoratur. Mihi cum Iuntinis fere et aliis Venetis convenire ea editio visa est. Postquam Fabricius exemplar suum prelo paraverat, et, tametsi nullo codice usus esset, tamen illud operarum erroribus purgaverat: *Ioach. Camerarius* illud descriptum Lipsiam secum attulit. Hinc Virgilius excusus 1546, 1548, 1551, 1556. Tum Fabricius *lectionis varietatem* adiecit nescio an primum in edit. Argent. an. 1557. Hinc *ex Fabriciana recensione* saepius repetitus Virgilius 1568, 1591, 1598 et forte alias.

Interea Lipsiae prima *Greg. Bersmanni* 8, 1581 prodiit, bona editio, sed quae criticis usibus non admodum inserviat. Saepius ea sub prelum revocata est.

Taubmanniana editio Viteb. 1618, 4. Henr. Stephani editionem secundam sequitur, ut in praefat. diserte memoratur.

Cerdanae editiones in textus ratione vix quidquam immutarunt, nec multum praesidii ad eam rem in iis est. Tanto maior earum utilitas est ad interpretationem; modo quis lite-

ras, iudicium et usum afferat. Vnde tamen expressae sint, nondum assequi potui.

Antwerpienses ex officina *Plantiniana* editiones non unius sunt generis. Prima fuit e *Theod. Pulmanni* recensione et emendatione 8, 1546, repetita deinceps 1564, 1571, 1580, 1588, 1589, 1592, 1596, 1604, 1625, 1634. Doceri cuperem, de prioribus saltem, an inter se diversae sint; ipse in praefatione ed. 1564 ex collatione exemplarium cum manuscriptorum tum typis impressorum poëtam se restituisse profitetur. Idem Chph. Plantinus f. 1575 Virgilium nitide exprimendum curavit cum *Germani Valentis Guellii* Commentationibus pereruditis, quarum tamen tantum in interpretatione ratio haberi potest. Tandem etiam Aldinae editiones 1558 aut 1560 cum Paulli Manutii adnotationibus admarginalibus ab eodem Plantino sub prelum a. 1566 revocatae sunt.

Vulgares editiones, quarum ingens numerus commemorari posset, hic non curamus. Inde ab a. 1622 prodeunt *Elzevirianae* L. B. e doct. viror. castigatione. Acc. animadverss. liber. Ex eodem genere est illa, cui praefatus est *Dan. Heinsius*, 1636 *P. V. M. Opera nunc emendatiora*. Non tamen apparet, quidnam operae vir doctus adhibuerit. Est enim haec cum aliis hinc repetitis inquinatissima et sine lectionis dilectu. Ad tergum praefationis appictus est nummus cum Virgilii capite, quo sibi fraudem fieri passus est vir doctus.

Tandem *Nic. Heinsius*, divino quodam beneficio poëtis Romanis sospitator datus, ad Virgilium constituendum accessit; cuius editiones ap. Elzevirios 1664, 12, 1671, 1676, 1688 saepius repetitae et ab sequentibus editoribus fere omnibus, etiam a Ruaeo in edit. secunda, tamquam regula acceptae sunt, ad quam Virgiliana lectio exigeretur. Postquam tamen P. Burmannus scrinia Heinsiana recuperaverat, eius diligentia nova saltem variae lectionis silva, et critica in nonnulla loca strictura subnata est.

Inter haec commentandi et illustrandi ratio et ipsa inter varias vicissitudines fluctuavit. Post *quinque Commenta*, quae sub seculi XV exitum prodierant, saepius repetita in edd. seculi XVI, regnavit *Ascensiana elucidatio*, grammatica fere ac rhetorica, et ad Servii exemplum instituta. Ipse *Ser-*

vius non modo assidue legebatur, verum et commentatores suos erat nactus; ipse tamen vitiis coinquinatus, donec recentioribus virorum doctorum studiis emendaretur. *Probi* commentariolus 1507 ab Egnatio vulgatus, non magni usus esse poterat. *Donati* nonnisi fragmenta habebantur inde a 1489, donec plenior Donatus prodiret Neap. 1535, repetitus a Fabricio 1551 Basileae, poëtam ad rhetorica praecepta exigens. *Iulii Sabini* Commentarios 1486 editos minus frequentatos esse ex paucitate repetitorum exemplarium colligo. Servio accessit Philargyrius 1587 et 1600. In Scholiis *Torrentini* familiaris expositio ingenia puerorum corrupit, singulis fere annis inde a 1496 repetita. Substituta iis inde a 1539 *Erythraei* scholia cum indice sexcenties excusa; tum *van Meyen* scholia inde a 1576. Ex his triumviris plerumque doctrina scholastica pependit, e qua adeo divinae poëtices omnisque venustatis et pulcritudinis sensus et ex lectione voluptas sublata esse debuit. Ad puerilia depressa fuit *Rami* opera in *Buc. et Ge.* 1551, ad quae duo carmina omnino plus studii attulere homines, quia puerilis institutio in iis maxime occupata erat. Hinc subnatae *Philippi Melanchthonis* adnotatiunculae 1531; *Willichii* scholia 1535 et 1539; *Lucii Vivis* in Buc. interpretatio 1537, qui et allegoriis indulsit; *Camerarii* 1556, tum *Nicod. Frischlini* paraphrasis 1580, 1602. Serius ad *Aeneidem* perventum, primum in *Hartungi* Annotat. 1551, tum *Nannii* et *Hortensii* 1559 et *Nascimbaeni* 1596. Non carent illi docta subtilitate; verum iudicium et sensus elegantia ab illis abest. Cumulantur quoque partim vulgaria, partim rhetorica a genio et indole poëtices aliena. Grammatica ratio intra verba et formulas subsistens, melior tamen et castigatior, fuit in nonnullis ex his, tum in *Paulli Manutii* adnotationibus marginalibus 1558 (quae etiam in Plantinianis sunt receptae 1566, mox meliores ipsis substitutae ab Henr. Stephano 1577), et selectis virorum doctorum notis a *Ge. Fabricio* 1546, 1551, 1557, tum a *Bersmanno* 1581. Laudatur *Pontani* opera 1599. Ad *Graeca* revocaverat animum iam olim Eobanus Hessus 1529, et Theocriti Hesiodique loca comparaverat. Maiore cum apparatu hoc exsequutus est Fulvius Ursinus 1568, cuius vestigiis insistens 1575 Germanus Guellius Valens Virgilium

e Graecis illustravit; nimium saue, ut natura humana fert, in invento sibi indulgens, ut tameu erigeret animos ad meliora. Inde disertissimos, eruditissimos, et luculentissimos commentarios condidit *La Cerda* Madriti, primum in singula Carmina 1608, 1612, 1617, tum vero hoc ipso anno 1617 iunctim editos. Si subtilitatem et iudicium in delectu desideres: aetatis vitium forte illud est, non viri. Quod praevideri potuit, ut ex largissimo fluvio rivulos sibi aperirent alii, evenit, et exorti sunt plures, qui selectas ex superioribus interpretibus notas Virgilianis carminibus adderent: qui fere omnes peccarunt in hoc, quod non ipsi iudicium suum adverterunt, videruntque quae illustrationem sibi postularent, verum id unice sequuti sunt, ut ex aliorum iudiciis toti penderent, apponerentque ea, quae invenirent notata ab aliis, prouti casus, aut studium, aut stomachus offerret. Non vacat his vitiis *Taubmanni* commentarius 1618, multo minus *Farnabii* opera 1634 et *Minellii* 1674. Intellectum sane est a viris doctis, desiderari in Virgilio interpretando genus aliquod scholiorum seu commentationis perpetuae; nam, ut unum alterumve locum egregie illustratum videas, id ad perpetui carminis lectionem doctiorem non satisfacit; peccatum tamen est in eo, quod excerptis ac selectis aliorum notis id effici posse putarunt. *Schrevelii* opera inde a 1657 iu edd. grassata per notas selectas oscitantism et levitatem iudicii ubique prodit: nec magis probanda *Emmenessii* opera 1680. Interea studium excudendi auctores classicos cum integris virorum doctorum commentariis per *Batavos* revixerat; quo sane sublata est molesta illa ratio indiligenter et indocte excerpendi ac mutilandi aliorum diligentiam; altera tamen ex parte non minus ignaviae editorum consultum fuit in hoc, quod sine ullo animi iudicio et acumine cumularunt ea quae ab aliis erant prodita; itaque vulgaria quaeque bis terve enuntiata apposuere, relicta lectori molestia, ut, si quid vellet, id ipse erueret. Inter haec vulgata est *Burmanni* editio 1746, in qua vix intelligas, quodnam certum animi iudicium ille sibi proposuerit. Si Heinsiana in lucem edere et critica curare voluit; non videas, quorsum Serviana et alia interpretationi inservientia addiderit. Siu interpretationem consilii partem consti-

tuerat: tum nulla opera ieiunior et magis manca adhiberi potuit; Servius enim in paucissimis locis satis facit, admixta habet innumera aliena, falsa, indocta; quae vero ipse aut Heinsius affert, singularum interdum vocum illustrationes per congesta loca et exempla, possunt ea forte uni et alteri loco lucem afferre, ad summam lectionis et interpretationis parum inde proficias.

De summa carminis et de summa operae, quam illud postulat, acutius iudicarunt viri docti a Criticis improbati, *Ruaeus, Catroeus, Trappius, Martinus.* Viderunt hi, partim se in poëta versari, adeoque grammaticam operam nihil aliud quam fundum melioris interpretationis et veri e lectione fructus esse habendam, partim carmina esse opera singula, quorum cuique argumentum ingeniose descriptum et pertractatum subiectum est: non posse poëtam cum voluptate legi, si tantum in criticis haeseris, aut si philologicas observationes ad singulas voces et phrases cumulaveris: itaque de sententiis, de poëtica vi, de oratione poëtae solliciti fuere. Latus praebuere adversariorum ictibus in hoc, quod ipsi nec critica nec grammatica subtilitate imbuta satis ingenia habuerunt.

Et haec quidem hactenus. Iuvat nunc editionum annales subiungere, ut de iis, quae universe dicta sunt, ex singulatim facta enumeratione melius constet. *)

1501 — 1601.

1501.

Virgilius cum commentariis quinque, videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. Venetiis *sub anno domini* 1501, *die* 9 *Iunii.* Venetiis . . fol. 1501.

Vid. Goezii Memorabil. Biblioth. Dresd. T. II, n. 291. Sequitur autem sine dubio edd. Venetas 1495, 1499.

Virgilius. Venetiis *ex aedibus Aldi Romani. Mense Aprili MDI.* Venetiis . . . . 8, 1501.

*) Digesserunt haec in certas editionum aetates Bipontini: I. natales. II. a. 1500—1546 Ascensio-Aldino-Egnatiana. III 1546—1636 Pulmanno-Fabriciana. IV. 1636—1717 Heinsiana I. V. 1717—1784 Heinsiana II.

De hac iam ante dictum est. Typis minoribus, quos *Italicos*, *currentes*, et *Aldinos* vocant, primus omnium librorum expressus. Adiecta est ad calcem epistola de orthographiae ratione. Est etiam huius edit. repetitio sine anno.

P. V. M. aliquot opusculorum cum familiarissima elucidatione pro tyrunculorum in arte poëtices institutione insigni ut vides charactere in sancta Colonia *exaratorum opera atque impensis providi viri Henr. Quentell. anno post iubileum primo.* Coloniae . . . . . . 4, 1501.

Vix memoratu dignum iudicassem, nisi viderem in fraudem titulum inducere posse. Continentur: Vir bonus. Est et non. De y litera Pythagorea. De rosa. Elegia de obitu Maecenatis. Habemus opusculum in manu, et idem ipsum ex ed. priore, e Biblioth. Acad. Gotting., ubi post *Quentell.* subiicitur: *civis eiusdem. Faustus adest finis. In eius celebritate*, *qui deo dicatis coniugium interdixit Anno virginei partus ante iubileum centesimum.* Vnde hoc unum assequor, 1499 id esse exaratum. Idem esse videtur quod sine anni nota expressum memoratur in Biblioth. Schwarz P. II, n. 878. Est alia editio antiqua literis neogothicis s. a. et l. in 4to inscripta: *P. V. M. poëtarum Achillis minutiora opuscula seu mavis lusus et lectione et imitatione dignissimi.*

Interea ex Harlesio disco eod. a. apud eundem *Quentell* Coloniae expressa Bucolica et Georgica c. Comm. Herm. Torrentini esse. Vid. Panzer. Vol. VI, p. 348, 7, et ibid. p. 351, 28 et 38, iterum 1506, ibid. p. 359, 110, item 1510, ibid. p. 369, 198.

1502.

P. V. M. opera (et Carmina minora) *cum quinque Commentariis, expolitissimisque figuris atque imaginibus per Sebast. Brant superadditis. Impress. Argentor. ordinatione, elimatione ac relectione* Sebast. Brant, *operaque et impensa non mediocri Magistri Io. Grieninger. anno milles. quingentes. secundo, quinta Kal. Septembres die.* Argentorati f. 1502.

Commentarii sunt iidem, qui in Venetis edd. 1495, 1499,

1501, ut non dubitem, quin ipse poëta ex iis expressus sit. Ceterum ex hac Argentina figuras, quae Ascensianas fere, Iuntinas, et alias Venetas ornant dicam an ornatui officiunt, ductas esse apparet. Est haec editio in Biblioth. Acad. Gotting. ex penu Duviano.

P. V. M. Georgicorum liber cum novo commentario Hermanni Torrentini. Daventriae industria Iacobi de Breda 4, 1502.

De his Comment. v. ad 1494. Successere *Bucolica* 1503. *Georgica* rep. 1514.

1503.

P. V. M. Georgicorum liber, cum novo commentario Herm. Torrentini. Impressum Lyptzk per Melch. Lotter 4, 1503. Biblioth. Acad. Gotting.

P. V. M. Bucolica. Lipsiae per Martin. Herbipol. f. 1503. Eiusdem *divina Aeneis in XII libros discreta, quibus singulis hypothesis sive argumentum a Phil. Beroaldo, Rhapsodorum principe nostra aetate, conscriptum praemittitur.* per eundem fol. 1503. *Georgica acri cura emendata, cum argumentis Beroaldi ad singulos libros appositis.* per eundem. Ge. Schiltel curante. Lipsiae . . . . . . f. 1503.

Annal. Typograph. Lips. pag. 80. Beroaldi epistolam supra in edit. Paris. 1478 appositam esse vidimus. Per eundem Martinum Herbipolensem *Culex* separatim fuit excusus 4, s. a. vide ibid. p. 101.

1504.

Mediolanensem huius anni apud *Alex. Minutianum* impressam primi in notitiam adduxere Socii Bipontini e Biblioth. Heideggeri Reip. Turicensis tribuni. Aliamque per *Bartholomaeum de Zannis de Portesio* Venetiis repetitam nunc et 1507, 1510 ex 1495.

Eclogae Virgilii, Calphurnii, Nemesiani, Franc. Petrarchae, Io. Boccaccii, Io. Bapt. Mantuani, Pomponii Gaurici. Impressum hoc opus Florentiae opera et impensa Philippi de Giunta, bibliopola Florentini. Florent. 8, 1504.

Apud Maitt. Annal. Ind. p. 329, Tipograph. Iunt. II, p. 11.

1505.

P. V. M. omnia opera (cum Carminibus minoribus) *cum figuris nuper additis* (ex edit. Argentina) *et expositoribus Servio, Landino, Donato, Ant. Mancinello, Domitio. Annotationes item in Servium suis locis positae* (Philipp. Beroaldi) Venetiis a Phil. Pincio Mantuano . . f. 1505.

B. G. Ex Pinciana 1499 expressa, ut res ipsa testatur; habuimus enim utramque in manibus.

Virgilius. Venetiis. M. D. V. Mense Decembri (ex aedibus Aldi). . . . . 8. 1505.

Est repetitio prioris minus emendate facta. Accedunt tamen in hac edit. secunda Carmina minora. Apud Crevennam 150 flor. veniit: tam intelligentes habemus bibliophilos!

Ascensiana editio. Parisiis . . . . f. 1505.

Secundum ed. a. 1500 haud dubie. Memorat eam Masvic. praef. ad Virgil.

P. V. M. Opera iterum Augustini Camynadi *exactissima cura castigata argumentis et annotamentis paulo frequentioribus illustrata, ac Magistri Io. Philippi Alemanni, diligentissimi formulatoris impendio atque industria nuperrime nitidissimis excusa characteribus* Parrhisiis. 8, 1505.

(B. A. G.) Inscripta est Nic. Benserado.

P. V. M. Bucolicum decem aeglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum ab Herm. Torrentino familiariter expositum. Lipsiae per Melch. Lotter . . 4. 1505.

Biblioth. Acad. Gotting. vid. inf. 1508, 1516, et iam sup. ad 1500 et 1494.

P. V. M. Aeneis. Lipsiae per Iac. Thanner . 4. 1505.

1506.

P. V. M. Georgica per Iac. Thanner. Acc. Est et non est. Lipsiae . . . . 4. 1506.

Biblioth. Acad. Gotting. Saepius repetita sunt haec exemplaria in scholarum usum per Thanner et Melchiorem Lotter.

1507.

P. V. M. Opera cum comment. varior. ex offic. Ascensiana impendio Io. Parvi . . . . f. 1507.

Ap. Maittair. T. II, p. 184 et accuratius in Memorab. Biblioth. Dresd. T. II, p. 292. Expressa ex edit. 1505, unde praefatio Badii praefixa.

Buc. Ge. Aeneis cum Servii Commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quae deerant, sunt addita. Graecae dictiones et versus ubique restituti. Sequ. Probi, *celebris Grammatici, in Buc. et Ge. Commentariolus non antea impressus. Ad hos Donati fragmenta, Chph Landini et Ant. Mancinelli Commentarii.* Venetiis *Io. Bapt. Egnatius Venetus emendavit (cum figg.)* In fine: *Venetiis excusi M. D. VII die ultimo Iunii — Bernardinus Stagninus impensam fecit*, 4 (quaternis duplicatis) . . . . . 1507.

Nimis magnifice de hac editione senseram, antequam illa mihi inspecta esset; meliora apposui supra p. CLXI. Servatur in Biblioth. Gotting. Acad. e supellectili libraria Duvii. Fragmenta *Probi* hic primum prodeunt e codice vetustissimo Bobii quondam a Georgio Merula invento. Repetita est 1520. Add. 1527. Est quoque h. a. repetita editio Veneta per Bartholomaeum de Zannis fol. haud dubie ex edit. 1494 et 95.

1508.

P. V. M. Bucolica cum commentario Hermanni Torrentini. Argentinae per Io. Knoblauch . . . . . 4. 1508.

Sic quoque *Georgica* eod. a. Porro

1509.

P. V. M. Aeneis cum familiari expositione. Ioh. Knoblauch, civis Argentinensis impressit V. Kal. Aprilis anno salutis Christianae MDIX Argentinae . . . . 4. 1509.

Io. Schottus Argentinensis praefatur, quem adeo suspicor, ad Torrentini modum, de quo v. ad 1494, 1500 simili ieiuna commentatione Aeneidem interpretari voluisse. Eodem anno

1509 *Georgica* iterata prelo sunt, et hinc 1516. In nostro Aeneidis exemplari *Bucolica* a. 1512 et *Georgica* 1513 expressa praemissa sunt. *P. V. M. Opuscula cum familiari expositione* a. 1509 ab eodem Knoblauch excusa sunt. *Aeneis* autem iterum 1515, 1525 et Opera 1520. cf. Panzer. Vol. VI sub his annis.

1510.

Opera et Opuscula. Copa. Priapeia — praevio monito Mariani Tuccii *impensa Philippi de Giunta Florentini. MDX, VI. Kal. Decembris* (Florentiae) . . . . . 8. 1510.

Maitt. Annal. Ind. p. 327. Eam non inspexi; esse tamen eam ex Aldina prima vel secunda expressam non dubito. quum hoc idem mihi de altera, ex ea repetita 1520, constet: vid. inf. h. a. Et hoc ita se habere, didici ex Iunt. Typograph. Annal. II, p. 37.

Opera cum Comment. Servii etc. Impress. Venetiis per Bartolomaeum de Zaunis de Portesio MDX, die XX Iunii. Venetiis . . . . f. 1510.

Maittair. Annal. Ind. p. 328. Repetita sine dubio ex edit. 1495.

P. V. M. Opuscula cum familiari expositione. Porcae. 4. 1510.

In Biblioth. Hulsiana T. II, p. 501. Vide ad annum 1509.

Annotationes Phil. Beroaldi Bononiensis, *in Commentarios Servii.* Phorce sine typographo . . . . . 4. 1510.

Biblioth. Bunav. p. 305. Biblioth. Acad. Gotting. Vulgatae illae erant iam 1489, ut supra vidimus h. a.

1511.

P. V. M....., et minora: cum Servio, Probo, Sulpicii Verulani annotationibus in sex priores Aeneidis libros. Tum Phil. Beroaldi Servii, ut ipse inscripsit, errores, cum Domitii Calderini in iuvenilia huius poëtae commentariis. Mediolani *per Leonardum Vegium* M. D. XI, die XXV. Augusti . . . . f. min. 1511.

Innotuit mihi beneficio Martini, Rect. Lycei ad S. Nicol.

apud Lipsienses. Est repetita ex aliqua editione Veneta. « Vegii gratia *Alexander Minutianus*, socer, Probi Grammatici in Buc. et Ge. interpretamenta eruditissima addidit, apposuit quoque suis in locis *Sulpicii Verulani annotationes in sex priores Aeneidis libros.* » Primo itaque nunc illae editae? et « tres celeberrimos Grammaticos excussit, Priscianum, Nonium, Macrobium cum Gellio — »

P. V. M. Georgica c. Comment. Herm. Torrentini Antwerpiae . . . . 4. 1511.
E biblioth. Tott. Panzer. Vol. VI, p. 5, 13.

1512.

P. V. M. Opera. Ex officina *Ascensiana* prodiere hoc anno Venetiis fol. Exstat ea in Biblioth. Duc. Sax. Gothana. Memoratur in Biblioth. Schwarz. Est alia Ascensiana Parisiis: de qua olim dubitavi: nunc a viro docto, qui eam manu versavit, edoctus sum, eam prorsus convenire cum ceteris Ascensianis, esse quoque iisdem Commentariis instructam.

Bucolica cum commento familiari (Herm. Torrentini) Londini per Wynandum de Worde . . . . . 4. 1512.
Ames's *Old English Printers* p. 92, qui *Wynchen* appellat, Palmer's *Hist. of Printing* p. 346. Maittair. Annal. Ind. p. 330. Eadem editio repetita 1514, 1516, 1533.

Bucolica cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per Herm. Torrentinum *triviali stilo familiariter discussa. Impr.* Argentinae *per Io. Knoblauch* 4. 1512.
Vide ad a. 1509.

P. V. M. Aeneis. Lipsiae *per Io. Thanner* . 4. 1512.
Recusa ed. 1505. Annales tamen Typogr. Lips. de ea tacent. Alia impensis *Melch. Lotter* 1513, 4, adest in B. G.

1513.

P. V. M. Georgicorum liber cum novo absolutissimoque comm. Herm. Torrentini *multo accuratiori opera nuper recogniti. Argentinae per Io. Knoblauch, quo potuit, exactiori studio elaboratum. MDXIII.* Argentinae 4. 1513.
Vide ad a. 1509.

Bucolicum, sine nomine typogr. Viennae . . 4. 1513.
Denis *Nachtrag zu seiner Buchdruckergesch. Wiens p.* 39.

1514.

Virgilius. Venetiis in aedibus Aldi et Andreae soceri anno MDXIII Mense Octobri. Venetiis . . 8. 1514.

Est haec classica editio, ut suprà iam dictum p. CLXII post Aldd. priores 1501 et 1505 auxilio Naugerii emendata. Huius, ut et primae Aldinae, usum benevolentiae Kulenkampi Collegae debeo; (migravit ea inde in B. G. A.) ex ea de lectione Virgiliana multo melius mihi constitit quam antea divinare licuerat. Promittit Aldus in praefat. ad Bembum, «se lusus Virgilii, quos ille (Bembus) habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit.» Quod tamen ipse non praestitit morte praeventus; perfecit tamen Franc. Asulanus socer 1517. De Andrea Naugerio eiusque in Cicerone et Ovidio collocata opera leguntur nonnulla in eius vita a Vulpio praefixa editioni Operum 1718, de Virgilio nihil: tam ieiuna est illa narratio!

P. V. M. Opera omnia ornata figuris, cum Servii, Donati, Probi, Domitii, Landini et Ant. Mancinelli Comment. Venetiis . . . . f. 1514.
(vide Ven. 1507)

Bucolica cum Comm. familiari (Hermanni Torrentini) Londini per Wynandum de Worde . . . . . 4. 1514.

Herbert's *typograph. Antiqu.* et ex iis Bruggemann Wiew of the English Edd. of G. and R. Auth. p. 536. (vide supra a. 1512.)

Georgica cum Comm. Herm. Torrentini. Daventriae 4. 1514.

1515.

P. V. M. Opera quaecunque exstant, et in haec Annotationes Commentariaque complurium doctissimorum virorum. In Buc. et Ge. Servius, Donatus, Mancinellus, Beroaldus; In Aen. Servius, Domit. Calderinus, Aug. Dathus,

Beroaldus, *Ascensius*. Venetiis, in aedibus Alex. Paganini. f. 1515.

Biblioth. Bunav. T. I, p. 300. Ascensianis in auxilium vocatis, nunc Venetis anterioribus 1507 et 1514 nova classis editionum succedit, tantum commentariorum ratione habita.

Opera et Opuscula Virgiliana diligenter ab Ascensio *exposita et impressa* ad kal. Novembr. MDXV in Parrhisiorum Academia . . . . 8. 1515.

Maittair. Annal. Ind. p. 327.

Opera Vergiliana cum Comm. Servii, *Donati*, *Mancinelli*, *Probi*, *Aug. Dathi et Domitii Calderini*, *itemque Iodocii Badii Ascensii*. Parisiis per Franc. Regnault. f. 1515.

Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poëtes* n. 822. Ducta sine dubio ex edit. Ascens. 1507.

Georgicorum libri quatuor et Rosae. Argent. ex aedibus Schurerianis. . . . . 8. 1515.

Ex iisdem aedibus *Aeneis* eodem a. prodiit: v. Panzer. Vol. VI, p. 74, 398. ubi et de altero, p. 75, 406. Repetita *Aeneis* 1520.

Aeneis . . . . 4. 1515.

Maittair. T. II, p. 270 et disertius Panzer. Vol. VI, p. 70, 363.

1516.

Bucolica. repetita edit. Londin. per Wynandum de Worde 4. 1516.

Ex edit. 1512, 1514.

P. V. M. Mantuani Bucolicum decem aeglogarum opus tersum ac extrema opera castigatum: ab Herm. Torrentino familiariter expositum. Venundatur Lypsi. apud Melchiorem Lottherum in regione foeni . . . . 4, 1516.

Biblioth. Acad. Gotting. repetitum ex edit. 1505.

Georgica cum Comm. H. Torrentini. Argent. 4. 1516. v. ad 1508.

P. V. M. Aeneis cum aliis carminibus. Daventriae 4. 1516.

Beroaldi epistola praefixa. Esse tamen Aeneidos libros ex

Aldino exemplari castigatos et recognitos, Carmina autem minora ex antiquissimo exemplari multorum saeculorum recognita, ipsa praefatio docet inserta Maittair. Annal. T. II, p. 288. (Nec plura compererat Panzer. Vol. VI, p. 487, 33.) Iac. Faber aliquis recognitioni horum carminum praefuisse memoratur ibid. in Epistola ad Murmellium.

1517.

Opera Virgiliana a Servio, Donato, Mancinello et Probo; cum adnotat. Beroaldi, Aug. Dathi, Calderini, Badii. Opuscula ante Aeneidem—Excusit in officina sua litteraria Iac. Sacon; *impensas autem protulit Bibliopolarum optimus, Ciriacus Hochperg.* Lugduni, 2 Voll. f. 1517.

Duobus Tomis, cum expolitissimis figuris et imaginibus: ait Maittair. T. II, p. 303, quae nullae aliae sunt quam a Sebastiano Brant profectae ed. 1502. Est autem repetitio Ascensianae: id quod comparatione facta intellexi (Biblioth. Acad. Gotting.) Solet et Aeneis separatim circumferri.

Hoc anno 1517 *Venetam cum Commentariis fol.* memorari vidi, sed suspecta fide.

Diversorum veterum poëtarum in Priapum lusus. P. V. M. Catalecta. Copa. Rosae. Culex. Dirae. Moretum. Ciris. Aetna. Elegia in Maecenatis obitum et alia nonnulla, quae falso Virgilii creduntur. Argumenta in Virgilii libros et alia diversorum complura. Venetiis in aedib. Aldi et Andreae soceri. Mense Decembri . . . . 8. 1517.

Haec classica est editio minorum carminum, e P. Bembi codice constituta. vid. praef. ad Culicem et Cirin.

1519.

Opera, cum Comm. Badii Ascensii, Iulii Pomponii Sabini, Domitii Calderini. Venetiis apud Luc. Anton. Iuntam f. 1519.

Coepit nunc Iunta, Paganini exemplo 1515, Ascensianarum

edd. commentarios e Parisinis inferre: cf. sup. p. CLXIII. De Pomponio Sabino vide sup. p. CXXXIII.

Vulgata quoque hoc anno sunt minora carmina, ut ex Breitkopf. Catal. p. 388 intellexi.

1520.

Virgilius (cum minoribus Opusculis) Florentiae *per haeredes Philippi Iuntae nono Kal. Aug.* . . 8. 1520.

Curavit eam *Antonius Francinus Varchicensis* (est is *Antonio Francini il Vecchio*. v. Negri *Istoria....de' Fiorentini Scrittori* p. 60), usus iudicio *Nicolai Angelii Bucinensis* (de hoc v. ibid pag. 420 et Iuntin. Typogr. I pag. 50 sq.) Comparatione instituta, intellexi cum Aldina prima et secunda eam convenire; quum autem expressa sit ex edit. Iuntae Florent. 1510 (de qua v. supra h. a.) videtur exemplum huius ab Angelio emendatum, nec tamen in multis locis, esse librariis operis traditum. Praefixae porro sunt: *Benedicti philologi* (*Benedetto il filologo*, v. Negri ibid. pag. 92 et Iunt. Typogr. p. 60.) *viri peritissimi*, *in Virgilium annotationes*. Sunt eae paucae numero, grammaticae fere subtilitatis, sed pro illis temporibus non contemnendae, et a me singulis locis memoratae in Var. Lect. Respiciunt eas aliquoties viri docti, et receptas ex iis lectiones impugnant, ut Ecl. VIII, 77 *Necte*, *Amarylli*, *nodos*. Pervenit haec editio ad Biblioth. Acad. ex auct. Askewians. De Francino et Benedicto adde socios Bipontin. p. 356. Iunt. typogr. Annal. II, p. 154.

Opera, *cum Servii Comment. accuratissime emendatis* —*Probi commentariolus* etc.—Venetiis in aedibus Ge. de Rusconibus suis impensis excusi et per Bapt. Egnatium Venetum emendati . . . . 4. 1520.

Ex editione Venet. 1507, iisdem typis literarum et eodem foliorum numero. Memoratur etiam Maittairio T. II, pag. 600 (Biblioth. Acad. Gotting.)

Virgilius, typis Michaëlis Leschanger. Paris. . 4. 1520. Maitt. Ann. Typ. T. II, p. 599.

P. V. M. Opera, Opuscula et Priapeia. Argentinae in aedibus Io. Knoblauchii, aere communi Paulli Goez, mense Octobri MDXX . . . . 8. 1520.

Maitt. in Indice p. 327. Conf. a. 1509.

P. V. M. Aeneis. Ex aedibus Schurerianis. Argent. 4. 1520. (Biblioth. Acad. Gotting. e copiis Dunianis) vide supra 1515 Argentin.

1521.

Virgilius; in chalcographia Guilelmi Huyon Impressoris seduli. Lugduni . . . . 8. 1520.

Maitt. Ann. T. II, pag. 617.

P. V. M. Andini bucolicum decem aeglogarum Opus nulli non utile ab Herm. Torrentino scholiis illustratum, cui et Index vocum in fine accessit. Exc. Lipsiae in off. Melchioris Lottheri, 4. 1521. *Georgicorum liber cum Comment. Herm. Torrentini.* Lipsiae ap. eund. . . 4. 1521.

Biblioth. Acad. Gotting.

Castigationes et Varietates Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valerianum. Impressit Romae Ant. Bladus Asulanus. MDXXI, Mense Iunio . . . . f. 1521.

(B. A. G.) De Io. Pierio, praeclare de Virgilio merito, cf. Burmann. praef. Virgil. sub f. Habuit ante oculos lectionem Aldinae, et quidem secundae ex prima expressae: vid. ad Ecl. VIII, 34. cf. Aen. VI, 233. XI, 507. cf. sup. p. clxiv. Receptae hae castigationes in edd. inde a Paris. 1529.

1522.

Virgilius cum Comment. var. et figuris. Adiecta sunt Priapeia—Venetiis. Gregorius de Gregoriis . . f. 1522.

In Catal. Bibl. Reg. Paris. n. 823 memoratur; referenda sine dubio inter Venetas ex Ascensianis ductas.

Virgilius—ad exemplar Aldinum denuo recognitus a P. Vidovaeo . . . . 12. 1522.

Memoratur ab Harles. p. 238. cf. mox 1529.

1523.

Virgilius. Basileae apud Io. Bebelium. . . . 8. 1523.
E biblioth. Tott. Panzer. Vol. VI, p. 241, 510. Iterum 1528. Ibid. p. 265, 607.

Caesaris Delphini, *civis Parmensis, in carmina sexti Aeneidos libri digressio*. Venetiis. Bernardinus de Vianis de Laxona . . . . 4. 1523.

Foscarilegia, in quibus multa Virgilii loca emendantur a Nic. Scelsio Michaele Baroltano. Venetiis. Paullus Danza. 4. 1523.

Catal. Biblioth. Reg. Paris. *Poëtes* n. 909.

1525.

P. V. M. Opera ad veterum P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata. Venetiis . . . f. 1525.
Ex Aldina 1514. Eod. a. repetita Argentina ap. Knoblauch. v. sup. 1508.

1526.

Virgilius. per Sim. Colinaeum Paris. . . . . 8. 1526.
Prima, si bene memini, Colinaeana, ex Aldina aliqua priore expressa.

Virgiliana Quaestio per Franciscum Campanum Collemem. Bononiae in aedibus Io. Baptistae et Benedicti Hectoris de Faellis . . . . 4. 1526.
Ex *Clement* VI, *p.* 196. Panzer. Vol. VI, p. 335, 140. Dubito tamen an 1536 legendum sit. v. inf. ad a. 1540.

1527.

Virgilius. Venetiis *in aedibus Aldi et Andreae soceri anno MDXXVII Mense Iunio* . . . . 8. 1527.

Vide an. 1501. 1505. 1517. Est ex Aldd. pr. et tert. conflata lectio.

Virgilius per Bernardum Stagninum; Venetiis 12. 1527. In bibliotheca Huberi Basil. Expressa sine dubio ex 1507.

Bucolica cum Commento Paris. . . . . . . 4. 1527. Memoratur in Biblioth. Harlei. T. I, p. 177.

1528.

Opera Virgiliana cum decem Commentis docte et familiariter exposita. In fine: diligenti emendatione per Iacobum Mareschal al. Roland. Excusa Lugduni 1527 d. XIX Aug. c. figg. . . . . f. 1528.

Alter annus in fronte expressus. Nonnulla exemplaria annum 1529 prae se ferunt. Editio ad Ascensianas instructa, proxime tamen ad Lugdun. 1517. Minora carmina Vol. priore Georgicis adiecta sunt (Biblioth. Acad. Gotting.) Decem illa Commenta sunt Servius, Donatus, Mancinellus, Probus, Beroaldus, Augustinus Dathus, Domitius Calderinus, Iodocus Badius Ascensius, Pierius Valerianus. Acc. Landini Enarrationes.

Eod. a. rep. Bebeliana edit. Vide ad 1523.

1529.

P. V. M. Opera cum decem Commentis (Servii, Donati et aliorum) *docte et familiariter exposita—Addit.* (post Georgica) *praeter. opuscul. aliud in Priapi lusum, quod antea impress. minime reperit.* Lugduni in typographaria officina Io. Crespini, cum figg. . . . . f. 1529.

Apud Maitt. Annal. Ind. p. 329. Dubito an prior illa superioris anni ab hac diversa sit.

Buc. Ge. Aeneis cum Servii Comment. Add. Probi et Mancinelli Comment. et Donati—cum Pierii Castigat. et Iod. Badii Ascensii explanatione—Opuscula Virgilii (post Georgica) — Parisiis per Petrum Vidovaeum (*Gaudoul*) cum figg. . . . . f. 1529.

Biblioth. Bunav. T. I, p. 300; descripta ex Ascensiana 1515. (Biblioth. Acad. Gotting.) cf. modo 1522.

In P. V. M. Bucolica et Georgica adnotationes, ac loci omnes maxime Theocriti, tum etiam Hesiodi quidam, quibus usus est Virgilius, latine redditi per Eobanum Hessum. *E schola Norica.* Haganoae, per Io. Secerium 8. 1529.

Eobani adnotationes, saepe deinceps recusae, hic primum vulgatae esse videntur. Praefixa eius epistola ad Fridericum Norimb. apud D. Aegidii Abbatem data est Norimbergae mense Augusto 1528. (Biblioth. Acad. Gotting.).

1531.

P. V. M. Opera cum Philipp. Melanchthonis *adnotatiunculis. Et Virgilii alia opuscula cum Priapeiis.* Parisiis. 8. 1531.

Vid. Maittair. T. II, p. 759. Primo hic exarata esse video Philippi scholia; idque Parisiis factum miror. Cui otii tantum superest, causam facile expedire poterit, si ea, quae de eo viro scripta sunt, evolverit. Saepissime hinc scholia illa in edd. repetita.

P. V. M. Opera. per Sim. Colinaeum. Paris. 12. 1531.
Vid. ad 1526.

— Venetiis per Bern. Stagninum . . . . 12. 1531.
Non dubito, ductam eam esse ex altera 1507.

1532.

P. V. M. Opera. Mauri Servii Honorati in eadem Commentarii ex ant. exemplaribus integritati restituti. Castigationes et Varietates Virgilianae lectionis per Io. Pierium Valerianum. Ex off. Roberti Stephani. Parisiis . f. 1532.

De ea supra dictum p. CLXIV. (Bibl. Acad. Gotting.) Castigationes Pierianae (de quibus v. ad 1521) iam 1529 sunt excusae et alterum Tomum constituunt, quo exemplaria nonnulla destituuntur.

Iuntina huius anni 1532 est eadem cum ea, quae anno sequenti commemorabitur.

1533.

P. V. M. Opera (cum carminibus minoribus) *accuratissime castigata, et in pristinam formam restituta, cum acerrimi iudicii virorum commentariis, Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Domitii Calderini. Quibus add. adnotationes Chph. Landini, Aug. Dathi, Phil. Beroaldi. Acc. Castigationes —per Io. Pierium—nunc iterum ab eodem recognitae— Graeca in veram lectionem reformata.* In fine: Venetiis in aedibus Lucantonii Iuntae Florentini. A. D. MDXXXII mense Septembri (At in fronte 1533 mense Ianuario) cum figg. . . . . f. 1533.

Vide a. 1519. (Biblioth. Acad. Gotting.)

Virgilius cum Comment. Servii et expositionibus multorum virorum doctorum. Impress. Mediolani per Vincentium da Meda *ad instantiam D. Nicolai de Gorgonzola* anno MCCCCCXXXIII vigesimo Idus Iunii. Quint. XXXIII. Car. IIII. Mediolani . . . . f. 1533.

Memoratur a Maittaire Annal. Ind. p. 329. Ducta videtur ex Venetis.

P. V. M. Opera (cum minor. Opusc. ex 1517) ex off. Rob. Stephani. Parisiis . . . . 8. 1533.

Praefixam habet ex edit. Ald. tert. praefationem. Poëtae tamen verba passim ad alias edd., v. c. Ecl. X, 19 *bubulci*, mutata. (B. A. G.)

P. V. M. Bucolica cum Commento familiari. (Herm. Torrentini) Londini in aedibus Winandi de Worde 4. 1533.

Apud Maittair. T. II, p. 790. vide supra 1512, 1516.

Scholia ex Graecis et Latinis auctoribus in Bucolica.... Lycobatis Anemoecii (Wolfgang Windheim?) Aug. Vind. 8. 1533.

Laudantur ab Heusing. ad Offic. Cic. praef. p. 34. Nec plura docere potuit Panzer. Vol. VI.

1534.

P. V. M. Opera cum Servii Probique Comment. ac omnibus lectionum variationibus in ant. codd. repertis, cura et studio Alex. Vellutelli *emendata et propriis impensis in aedibus Petri de Nicolinis de Sabbio impressa, sub principe Andrea Gritti MDXXXIII, mense Septembri* 8. 1534.

Memorant hanc parum frequentem editionem Fabric. B. L. T. I, pag. 209. Maitt. Annal. Ind. pag. 328. Bure *Bibliogr. instruct.* n. 2676. B. A. G. Ea inspecta patuit, spem me olim de ea suscepisse vanam; nam sequitur ea Iuntinas; lectionum autem varietas est e Pierian. Castigat. excerpta.

P. V. M. Opera ex recensione I. B. Egnatii cum Servii Comment. Basileae per Io. Walder. P. I. II . . 4. 1534.

Maittair. T. II, p. 810 et ante eum Fabric. B. L. T. I, p. 208, ubi subiicitur: *qui* (Walder) *vetusto exemplari se usum esse ait.* Quod verebar, ne de Egnatio verba ista accipienda essent, ipsa res me docuit; est enim mera repetitio Egnatianae a. 1507. Add. Panzer. Vol. VI, p. 303, 991.

Repetita quoque *hoc anno* Catalectorum editio apud Aldum ex editione 1517. (Biblioth. Gotting. Acad.) cf. Burmann. Sec. praef. Anthol. Lat. pag. 58.

1535.

Virgilius Phil. Melanchthonis adnotatiunculis illustratus.. Parisiis apud Io. Parvum . . . . 12. 1535. (Vide 1531.)

Virgilius cum Scholiis Phil. Melanchthonis. Acc. *diversorum lusus in Priapum.* Basileae. . . . . . 8. 1535.

Biblioth. Huberi Basil. et B. Gott.

P. V. M. Bucolica. Tiguri. apud Chph. Froschhoverum 4. 1535.

Maittair. T. II, p. 829. cf. infra 1547, 1561.

Donati *in libros XII Aeneidos, quae antea desiderabatur, absoluta interpretatio.* Impr. Neapoli per Io. Sulzbachium et Matthiam Cancer, quarto Idus Novembres f. 1535.

Scipionis Capycii ICti, ad quem e Bibliotheca Ioviani Pontani pervenerant, studio, Paullo Flavio curante, primum hoc anno Commentarii, *Donati* nomine insigniti, excusi sunt; quorum antea tantum excerpta in edd. erant prolata: v. sup. ad 1487 et 1489. Vtriusque praefationes v. in Leonardi Nicodemi *Addiz. alla Biblioteca Neapolit. da Nic. Toppi* p. 127, 128. Donatum emendatiorem quatuordecim annis post in Germania vulgavit Ge. Fabricius.

Erudita Scholia in Bucolica Vergilii — per *Iodocum Willichium*. Argentinae apud Io. Albertum. In fine: M. Sept. MDXXXV *primum* nunc prodiere; saepe hinc aliis commentariis inserta. (B. A. G.)

1536.

P. V. M. Opera. cum Comment. Servii et Pierii. Brixiae apud Ludovicum Britannicum . . . . f. 1536.

Maittair. Annal. Ind. pag. 329. Videtur Stephanianam a. 1532 aut Venetas ex iis interpolatas sequi. cf. inf. a. 1546.

P. V. M. Opera cum undecim Commentariis; Chph. Landini, Ant. Mancinelli, Io. Badii Ascensii, Servii, Donati, Probi, Dathi, Iulii Pomponii Sabini, Beroaldi, Domitii Calderini. Venetiis apud Luc. Ant. Iuntam. II Voll. c. fig. . . . . f. 1536 et 1537.

Maittair. T. III, p. 273. Iunt. Typogr. Annal. p. 16. Vide 1519, 1533. Recusae hoc anno Eobani Hessi annotationes ex 1529. Coloniae. (B. A. G.) et a. 1525 ap. Panzer. Vol. VI, p. 433, 785.

1537.

P. V. M. apud Rob. Stephanum . . . . 12. 1537.

Vide 1533.

P. V. M. cum Scholiis Melanchthonis et Culice ex P. Bembi recognitione. Lugduni . . . . 8. 1537.

Fabric. B. L. T. I, p. 212. Recognitionem, Culicis puta, ad P. Bembi librum petiit ex Aldd. Diversor. vet. poëtar. lus. 1517 vel ex Dialogo Bembi de Culice 1530.

Lud. Vivis *in Bucolica Virgilii interpretatio.* Basil. 8. 1537.

1538.

Buc. Ge. et Aeneis. Parisiis apud Franc. Gryphium 4. 1538.
Bucolica quidem 1538, at Georgica 1535, et Aeneis 1537. vid. Maittair. Annal. Ind. p. 326. Videtur operis proposita fuisse editio Lugdunensis superioris anni. Est autem haec prima, quae Gryphianum nomen prae se fert. Quae quidem inspexi Gryphiana exemplaria, conveniunt cum Ald. pr.

P. V. M. Opera, Phil. Melanchthonis illustrata scholiis. Eiusdem Opuscula, Culex insuper, a P. Bembo recognita. Parisiis excudebat Io. Ludovicus . . . . . . 8. 1538.
Maittair. Annal. Ind. p. 329. Vide modo Lugd. 1537.

Paraphrasis in XVI orationes Vergilii, quae quidem primo Aeneidos libro continentur. Per Gasparem Heldelinum, Ludimagistrum Lindaviensem. Argentorati ap. Cratonem Mylium . . . . · 8. 1538.
(B. A. G.)

1539.

P. V. M. Opera nunc demum Nic. Erythraei opera in pristinam lectionem restituta, additis eiusdem scholiis, nec non observatione diligenti cum licentiae omnis, tum diligentiae Maronianae in metris, et indice copiosissimo. Venetiis per Io. Ant. Sabium, II Voll. . . . 8. 1538, 1539.
Inani iactatione, quam Henr. Stephanus quoque subsannat in praef. suae edit., in lucem edit Sabius ineptam Erythraei opellam; de qua iam vidimus a. 1500. Memorant eam Maittaire T. III, p. 306. Catal. Bibl. R. Paris. n. 226. Bure n. 2678.

P. V. M. Opera omnia diligentia P. H. Susannaei *quam emendatissime excusa.* Parisiis apud Io. Macaeum 4. 1539, 1540.
Maittaire T. III, p. 306. Catal. B. R. Paris. n. 829.

P. V. M. Bucolica, cum Io. Vivis Valentini in easdem allegoriis. Mediolani. per Minicium Calvum . . 8. 1539.

Maittaire T. III, p. 306. vide modo a. 1537; hinc saepe et alias Bucolica cum Vivis inutili commentario sunt repetita, ut Antwerpiae 1544, 8, et al.

P. V. M. Eclogae decem, Calphurnii septem, Nemesiani quatuor, Sannasarii quinque. Francof. apud Christ. Egenolfum. . . . . 8. 1539.

Maitt. T. III, p. 306. cf. supra a. 1504.

Repetita quoque Georgica c. Willichii illustratione Basil. 8.

1540.

P. V. Maro. Ex off. Rob. Stephani; Paris. . . 8. 1540.
Vide sup. 1533, 1537.

—per Sim. Colinaeum. Paris. . . . . 12. 1540.
Vide 1526, 1531.

P. V. Maro. apud Franc. Gryphium. Excudebat Io. Lodoicus Filetanus. Paris. . . . . 4. 1540.

Maitt. Annal. Ind. p. 326, 330. Bucolica quidem annum exhibent 1542, Georgica et Aeneis 1541, sex tamen posteriores Aeneidos libri 1543.

Virgilius. apud Aldi filios. Venetiis . . . . 8. 1540.

Memorab. Bibl. Dresd. T. II, n. 309. Est, puto, eadem cum edit. 1541.

Franc. Campani *Quaestio Virgiliana s. Elucidationes in aliquot Virgilii loca.* Mediolani. Calvus . . . 4. 1540.

Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poet.* n. 910. Eundem libellum in manibus habemus inscriptum: *Franc. Campani Quaestio Virgiliana, per quam diligentissimus poëta negligentiae, quam Tucca et Varus ac ceteri hactenus obiecerunt, absolvitur, et sine qua multa in divina Aeneide ad hunc diem obscurissima loca, sed in secundo praesertim et sexto, intelligi non possum* etc. Parisiis apud Io. Foucher. 1541, 8. Totus libellus versatur circa XXII illos versus, quos Tucca ac Varus Aen. II sustulisse feruntur. Praefixa Campani epi-

stola data X Kal. Mart. 1536 satis docere videtur, iam ante Bononiae eundem libellum prodiisse. v. sup. ad 1526.

In Bucolica Helii Eobani Hessi et Leonardi Kulmanni annotationes. Argent. . . . . 8. 1540.

1541.

Virgilius. Venetiis apud Aldi filios 1541. M. Iannario, 4. 1541.

Repetita ex superioribus Aldd.

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis curis P. H. Sussannaei emendata. Parisiis apud Mich. Fezendat . . . 8. 1541.

Maitt. T. III, p. 329. Alia exemplaria nomen *Oudini Parvi gerunt.* Adde Burium n. 2679. Ducta ex Edit. 1539.

P. V. M. universum poëma, una cum emendatissimis Comment. Servii et Donati multo quam antea castigatissimum (et Carmina minora.) *Addita sunt praeterea, quae in hoc ab Ascensio, viro non illiterato, scripta sunt.* Venetiis apud Aloysium de Tortis . . . . f. 1541.

Secundum Iuntinas expressa, ut supra observatum est. (Biblioth. Acad. Gotting.)

Bucolica, Georgica, Aeneis. Venetiis in offic. Erasmiana. 16. 1541.

1542.

P. V. M. Opera cum Servii, Donati et Ascensii Comment. Venetiis apud Iuntas . . . . f. 1542.

Pleniora dant Iunt. Typogr. Annal. II, p. 271. (Vide 1519.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis. apud Seb. Colinaeum Paris. 12. 1542.

Maitt. T. III. p. 340 (vide 1540).

Apud eundem *in Virgilii Moretum scholia* Io. Ruellii *per* Hub. Sussannaeum *collecta* Paris. 12. 1542 prodierunt, Maittairio memorante T. III, p. 340. Ind. p. 331. Catal. B. R. Paris. n. 901, et eodem auctore, in Ind. p. 330.

Virgilii Tityrus, Ecloga, allegorica interpretatione il-

lustrata per Io. Bellofilium 8. 1543 excusus est, quo equidem aequo animo careo.

P. V. M. Buc. Ge. Aeneis. Parisiis apud Petrum Gromorsum . . . . 1542.

Bucolica quidem cum Georgicis 1542, Aeneis autem 1545. vid. Maittair. Ind. p. 326. Videntur recusa esse ex editione per P. H. Sussannaeum emendata 1540 et 1541.

P. V. M. Opera ex castigatione Ant. Goveani. Lugduni ap. Seb. Gryphium . . . . 8. 1542.

Etiam a. 1541 nonnulla exempla exhibent. Habet praefixam Goveani epistolam: iactat tamen falso doctissimi viri castigationem. *Foedissimorum mendorum sentinam* appellat eam Henr. Stephanus in praef. suae edit.

Ad Virgilii opera Loci aliquot — a Ge. Leonberger. Ingolstadt . . . . 8. 1542.

Opera pro illo tempore non indocta, et cuius adhuc usus esse potest. Enotata sunt loca, quum veterum, Gellii, Macrobii, et Grammaticorum, tum philologorum, in quibus aliquid in Virgilium est observatum (B. A. G.)

1543.

P. V. M. per Iuntas Florentiae . . . . . . 8. 1543.

Vid. Iunt. Typogr. Annal. p. 236.

Bucolica cum scholiis Phil. Melanchthonis, Willichii, Eobani Hessi, Leon. Kulmanni. Antwerpiae ap. Io. Loe 8. 1543.

Maitt. Ind. p. 330. Etiam a Martino eam laudari memini. Eobani Hessi et Kulmanni annotat. vide a. 1540.

1544.

P. V. M. universum poëma, exactissime castigatum. Servii integra expositio: Probi — Ioannisque Vivis Allegoriae, Iodoci Willichii super Ge. expl. etc. — etiam varietates lectionum quum a Io. Pierio tum ab aliis doctiss.

viris hactenus observatae. Venetiis apud Hieron. Scotum f. 1544.

Expressa iuxta Ven. 1541 et 1542. In nostro exemplari Aeneis non desideratur. Subiecta sunt Carmina minora. Repetita 1558, 1562, 1585.

P. V. M. Opera cum opusculis. — omnia accuratius emendata. Lugduni. Seb. Gryphius . . . . 16. 1544.

Editionem *Basileensem* a. 1544 cum Servii et alior. Commentariis Io. Bapt. Egnatii cura recensitis memorat Burmannus Sec. in praef. ad Virgil. Similem esse video editioni 1534. Basileae per Hieronym. Curionem exaratam e Sociis Bipontinis didici.

Scholia in Georgicorum P. V. M. libros IIII. doctissima, D. Phil. Melanchthonis, *nunc primum in lucem edita. Adi. Eobani Hessi Adnotationes: ad haec brevis explicatio vocabulorum de agricolarum instrumentis per* Iodoc. Willichium *Resellianum.* Basileae apud Bartholom. Westhemerum. annno MDXLIIII. mense Augusto . . . . . . 8. 1544.

(B. A. G.) v. Harles. notitia Script. Lat. T. II; pag. 282. 3. Non sunt haec confundenda cum Scholiis Philippi in edd. Paris. Io. Gastius Brisacensis, qui praefatur, esse ea ex Melanchthonis ore ab auditore quodam excepta, diserte narrat. De Willichio v. 1535.

Iulii Pomponii Sabini, *Grammatici, in omnia Virgilii opera commentarii.* Basileae. Io. Oporin. . . . 8. 1544.
Vide sup. ad a. 1486.

Adriani Barlandi *Annotationes in IV priores Aeneidos libros.* Antwerp. . . . . 1544.

1545.

P. V. M. Poëmata. Parisiis apud Fr. Gryphium. 8. 1545.
Vide 1538.

Virgilius. Venet. apud Aldi filios . . . . . 8. 1545.
Vide 1540.

Virgilius Philippi Melanchthonis scholiis illustratus. Co-

loniae . : . : . . . . 8. 1545.
De his v. 1531.

1546.

P. V. M. Opera cum Maphei Suppl. et *Phil. Melanchthonis annotat.* Basileae per Nic. Brylinger . . . 12. 1546.
Alia exemplaria a. 1545 prae se ferre videntur.

P. V. M. Opera cum comment. Servii et annotat. ex Doleti Comment. LL. apud Lodovicum Britanuicum. Brixiae f. 1546.

Maittair. Annal. Ind. pag. 329. Similem edit. v. sup. a. 1536.

P. V. M. Partheniae Mantuani Opera, post omnes omnium edd. nunc demum revisa et emaculatiora reddita. Aelii Antonii Nebrissensis — ecplrases admodum familiares— Apud Inclytam Granatam . . . . . . 4. 1546.

Vide specimen Biblioth. Maians. p. 37. De fonte (*)editionis mihi non liquet.

P. V. M. Opera Theod. Pulmanni Annotat. illustrata. Antwerpiae per Plantinum . . . . 16. 1546.

Memoratnr tum aliis, tum Burio *biblioth. instr.* n. 2680. Probabile tamen mihi est, per errorem eam laudari: anno male exarato pro 1564, ad quem a. vide.

P. V. M. Opera cum Opusculis — Lugd. per Seb. Gryphinm . . . . 16. 1546.

Biblioth. Smith. p. D. Repetitur edit. 1542.

P. V. M. Buc. Ge. et *Aeneis cum adnotationibus.* Lipsiae per Valentinum Papam . . . . 8. 1546.

A *Phil. Becchio*, tum adolescente, posthaec Professore Basileensi, conscriptae sunt adnotationes hae, quae fere *sub Ge. Fabricii nomine* venire solent. vid. Gesneri Biblioth. per Frisium p. 689. Easdem commendat Ioach. Camerarins in Epistola ad Ge. Fabricium, VII. Kal. Octobr. sed nullo anno adscripto data, et huic ipsi, si recte auguramur, editioni primum, deinceps et aliis, praefixa. In eadem epistola Camerarius profitetur, se descriptum ex Fabricii Mspto Virgilium

(*) Perperam novissimus Editor Paris. coniecit *fronte*. T.

Lipsiam asportasse, et excudendum curasse. Quod Msptum nullum aliud potuit esse, quam exemplar, quod Fabricius prelo subiiciendum paraverat; nam scriptos codices Fabricius habuit nullos. Haec ad nubem Schrebero in Vita Ge. Fabricii p. 205 obiectam dispellendam valebunt.

1547.

P. V. M. Phil. Melanchthonis adnotationibus illustratus. Tiguri per Froschhover . . . . 4. 1547.
Vide 1531.

P. V. M. Opera cum Opusculis. Lugduni. Seb. Gryphius 12. 1547.

Erant nonnulla, quibus olim adducebar, ut *Basileensem primam* et ad hunc annum a nonnullis referri solitam hoc anno excusam (vide 1551) putarem. Sed suspicionem hanc idoneis argumentis destitui nunc video.

1548.

P. V. M. Opera notis et argumentis et scholiis illustrata. Lugduni apud Seb. Gryphium . . . . 8. 1548.
Crevenna Tom. III, pag. 193.

Huius anni editionem laudari vidimus Lipsiensem 8. 1548 inscriptam: *P. V. Opera indubitata cum reliquis et dubiis*, quo titulo edd. fere et Ge. Fabricii recensione insignitae sunt. Forte tamen annus male laudatur, pro a. 1568.

A P. Burmanno in Admonit. de Edit. Masvic. editio Brixiensis 1548 cum Pierii castigationibus narratur: quae adeo ex edit. 1546 repetita est.

P. V. M. Georgicorum libri IIII. Phil. Melanchthonis scholiis illustrati. Parisiis per Th. Richardum . 4. 1548.

Maittaire T. III, p. 410. Exscriptus liber ex ed. Bas. 1544. Hoc eodem anno 1548 et 1549 Richardus *Aeneidem* et a. 1550 Bucolica excudenda curaverat. Vnde fit, ut edd. Virgilii Parisinas horum annorum passim laudari videas. vid. Maitt. Annal. Ind. p. 330.

Repetita hoc anno *Bucolica cum Torrentini Commento* Antwerp. 8. *Willichii scholia posteriora* in P. V. Basileae 12. Etiam *Io. Lud. Vivis in Virgilii Bucolica interpretationem potissimum allegoricam* 4. 1548 Parisiis Richardus vulgaverat.

1549.

P. V. M. Ex off. Rob. Stephani . . . . . 12. 1549.
(B. A. G.) Vide 1533, 1537, 1540.
Etiam Basileensis h. a.

1550.

P. V. M. Opera cum Opusculis — Lugduni apud Seb. Gryphium . . . . 8. 1550.
(B. A. G.) Vide 1547.
De editione Paris. apud Th. Richardum . . 4. 1550.
Vide ad a. 1548.

1551.

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis (et Carmina minora cum Commentariis). *nunc cum veris Commentariis* Tib. Donati *et* Servii Honorati *summa cura editis et diligenter emendatis* (per Ge. Fabricium). *Acc. his Io. Hartungi Annotationes in libros Maronis Aeneidos ab ipso auctore diligenti cura collectae; item Bonfinis super locum Aeneid. IV.* — Basileae. Henricopetri . . . . f. 1551.

Si *Donatum* et *Servium* curae habueris, hactenus inter classicas editiones erit referenda. *Donatum* Neapoli secum attulerat Ge. Fabricius, h. e. editionem ibi vulgatam a. 1535. In ipso poëta nihil operae tum quidem collocasse videtur, certe nullos MSS. consuluisse. Epistola ad Valent. Gravium praefixa iam a. 1547 data est, ut adeo per quatuor annos sub prelo sudasse Virgilium necesse sit. (B. A. G.)

Alia est *Editio Lipsiensis* huius anni per Valentinum Papam curata 8. 1551 (cum Carmin. minor.) Sed ex ed. Lips. 1546 expressa. vid. Gesneri Biblioth. per Frisium p. 268 b., unde intelligere mihi videor, Virgilio a Ge. Fabricio emendato tum primum lectionis varietatem eiusdem viri accurate docti industria accessisse. Quod etiam Gc. Fabricii Epistola ad Ioach. Camerarium VIII Kal. Februar. 1551 scripta confirmat, quae in edd. Lips. ante Culicem praefigi solet.

P. V. M. Bucolica cum Comm. Herm. Torrentini. Antwerpiae. Exc. Io. Verwithhagen . . . . . . 8. 1551.

Vide apud Maittaire T. III, pag. 605.

Dialysis quatuor librorum in Ge. Virgilii : auct. D. Iodoco Will. (Willichio) Rusellisno. *Signorum prognosticorum de tempestatibus aëris physica explanatio eod. auct.* — Francofurti ad Viadr. in off. Io. Eichhorn . . . 8. 1551.

De consilio et scopo Aeneidos — cod. auct. ibid. 8. 1551.

De Willichio vide ad 1535. (B. A. G.)

1552.

P. V. M. Opera ad vet. P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata, cum Servii, Donati, et aliorum Comment. Venetiis Iuntae . . . . f. 1552.

Vide ed. 1525. Catal. B. R. Paris. *Poët.* n. 837.

1554.

P. V. M. Opera c. n. Melanchthonis *et* Hegedorphini. Moguntiae . . . . 8. 1554.

Vide Paris. 1531 et al. Tigur. 1547 etc.

P. V. M. Bucolica cum Commentario Rich. Gorraei *Parisiensis.* Lugduni apud Gul. Rovillium . . . . 8. 1554.

Maitt. T. III, p. 648. Museum Britannic.

P. V. M. Opera (una cum opusculis) *novis argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem exemplarium quam diligentissime restituta.* cum figg. Lugduni apud Seb. Gryphium . . . . 8. 1554.

(B. A. G.) Vide 1550, 1552. Praedicat in praefat. (nescio an ea iam superioribus edd. praefixa sit) Gryphius castigandi interpungendique diligentiam; nova argumenta apposita et scholia, quibus loca, in primis ex Graecis poëtis, adscripsit, quae Virgilius imitatus est.

1555.

P. V. M. Opera cum Nic. Erythraei scholiis et indice. Venetiis apud Io. Ant. Sabium . . . . 8. 1555.

Repetita editio Ven. 1539, 1540. Alia per Hieronymum *Scotum* repetita hoc anno. Biblioth. Schwarz. n. 1009.

P. V. M. Bucolica, P. Rami *praelectionibus exposita.* Paris. per And. Wechelum 8. 1555 et *Georgica* 1556, saepius deinde recusa; ut 1564, tertium 1572, 8, quintum Francof. 1590. Sed ne pueris quidem in manus daremus has praelectiones.

P. V. Maro. Aldus. Corrigente Paullo Manutio Aldi filio. Venetiis . . . . 8. 1555.

Virgilii poëma emendatum a se etiam in praefatiuncula pronuntiat. Ita v. c. XII, 221 primus induxit *tabentesque genas.* Annotationes noudum in hac edit. apparent. Confer a. 1558. (B. A. G.)

Seb. Corradi *Commentarius, in quo P. V. M. liber primus Aeneidos explicatur.* Florentiae excudebat Laurent. Torrentinus. . . . . 8. 1555.

Apud Maitt. T. II, p. 669. (B. A. G.)

1556.

P. V. M. Opera, *cum supplem. Maphei et Opusculis, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatiss. exemplarium quam diligentissime restituta.* Lugduni per Seb. Gryphium . . . . 8. 1556.

Maittair. Annal. Tom. III, pag. 684. Vide modo de edit. Gryph. 1555.

P. V. M. Opera una cum Opusculis, quae eius nomine

circumferuntur, *omnibus*. Antwerpiae. Exc. Mart. Nutius 12. 1556.

(Biblioth. Acad. Gotting.) Hoc etiam anno *Editionem Fabricianam* Lipsiensem post 1546 et 1551 *Lipsiae* esse repetitam invenio, qui tradant.

P. V. M. Bucolicorum textus — Lugduni apud Theobaldum Paganum . . . . 8. 1556.

Vide apud Maittaire Tom. III, pag. 685.

P. V. Bucolicorum explicatio perscripta de commentatione Camerarii: cum indicatione et interpretatione locorum Theocriti Eobani Hessi : Io. Sturmii in priores tres eclogas commentariolus. Argentorati per Blasium Fabricium 8. 1556. (B. A. G.)

Martini Crusii *scholia in I. II. et III. Virgilii eclogam.* ibid. eod.

1557.

P. V. M. Operum maiorum Tomus I. minorum : Culex etc. Tomus II. ex recognitione Ge. Fabricii, *cuius Observationes Virgilianae lectionis accessere.* Argent. apud Rihelium . . . . 8. 1557.

Vide paulo ante ad a. 1546, 1551, 1556. Haec est illa editio, de qua Ge. Fabricii epistola in Vita per Schreberum conscripta p. 206 est accipienda, Fabricianarum quodammodo princeps.

P. V. M. Opera una cum Opusculis—Lugduni ap. Theob. Paganum . . . . 8. 1557.

Confer a. 1556.

1558.

P. V. M. universum poëma (et Carmina minora) *cum Servii et Iod. Badii Ascensii interpretatione ; Probi Ioannisque Vivis Allegoriae*— Venetiis apud Io. Mariam Bonellum . . . . f. 1558.

Ad edit. Ven. 1544 excusa, ut supra diximus, et vulgo pro accuratissima habita. (B. A. G.)

P. V. Maro Paulli Manutii *adnotationibus in libri margine adscriptis illustratus.* Venetiis ap. P. Manutium, Aldi f. 8. 1558.

Pleraque e Servio bausta. Alia admixta non magni momenti, etiam a seqq. editoribus. Sugillat haec scholia Henr. Stephanus in praef. suae edit.

P. V. M. Opera cum scholiis Phil. Melanchthonis. Parisiis ap. Richardum . . . . 4. 1558.

Vide supra a. 1548.

1559.

Eadem Francof. rep. . . . . 8. 1559.

P. Nannii, *Alcmariani, in P. V. commentaria, nunc primum edita.* Basileae per Io. Oporinum . . 12. (1559.)
(Biblioth. Acad. Gotting.)

Lamb. Hortensii *Montfortii Enarrationes in sex priores libros Aeneidos et adnotationes in sex posteriores cum textu.* Basil. . . . . f. 1559.

(Conf. 1570, 1577, 1596.) B. A. G. Sunt utique satis copiosae; verum pro more istorum temporum congesta sunt plurima ad singulas voces, sententias et loca, quae ad poëtam nihil faciunt; quae monitu opus erat, frustra quaeras; v. c. statim I Aen. 8. *quo numine laeso*; interpres ne odoratur quidem difficultatem in verbis.

1560.

P. V. M. Opera P. Manutii Annotationes, et Homeri loca magis insignia, quae Virgilius imitatus est, in margine notata. Venetiis apud P. Manut. Aldi f. . . 8. 1560.

Vide modo a. 1558.

P. V. M. Opera una cum Opusculis —Lugduni apud her. Seb. Gryphii . . . . 12. 1560.

Vide paulo ante 1556. Verum, quod Bipontini Socii docuere, nova haec est recensio Ant. Gryphii, filii, qui, *undique conquirendis multis exemplaribus, quae calamo et stylo*

exarata ipsa vetustate probarentur ipsi, neque sumtibus neque labori pepercisse se profitetur. In primis praedicat D. L. Fabricium I. V. C. Mediolanensem, qui e codice suo vetustissimo suppleverit versum Aen. VI, 775 *Laude pudicitiae*: sed in hoc pro thesauro carbones. vid. ad e. l.

1561.

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis cum veris Donati *et* Servii *et* Probi *Commentariis a Ge. Fabricio emendatis: notis item recent. Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, L. Hartungi. Iod. Willichii, Ge. Fabricii, Bonfinis, Vivis, Caelii Rhodigini, Barlandi, Scopae, Constantii Campani, Crucii et al.* Basileae ap. Henricop. . . . . . f. 1561.

Eius fundus editio 1551.

Editionem *Venetam cum Comment. Servii et Variorum* a. 1561 f. memorari vidi: quam nullam aliam esse arbitror, quam mox memorandam Ven. 1562.

P. V. M. poëmata, quae exstant omnia, Phil. Melanchthonis annotatiunculis illustrata, adiectis figuris ligno incisis et doctiss. virorum scholiis et annotationibus.. Tiguri Chph. Frosch . . . . 8. 1561.

Cat. B. R. Paris. n. 841. Sequitur sine dubio edd. 1547. cf. 1564, 1567, 1570. Edita curante *Io. Frisio* Tigurino, qui contextum ipsum collatis optimarum editionum exemplaribus quam diligentissime correctum et emendatum in Epistola ad Chr. Froschhoverum affirmat. Idem annotationes breves in Buc. et Ge. ex variis interpretibus, in primis P. Rami praelect., item difficilium vocabulorum interpretationem Germanicam adiecit. Acc. *Chph. Hegedorphini* in Ge. annotatiunculae. Ex *Steph. Doleti* de LL. Commentariis in Aen. decerptae annotationes. Repetita a. 1567.

P. V. M. Opera Theod. Pulmanni studio correcta, cum Maphei Vegii Aeneid. libro XIII. Antwerp. . 8. 1561.

Dubito an annus recte adscriptus sit. Vide a. 1564.

1562.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii et Variorum. Venetiis apud Io. Mariam Bonellum . . . . . . f. 1562.

Nitida editio: c. fig. Est repet. 1558. Accesserunt Lud. Caelii Rhodigini, Io. Scoppae, Iac. Constantini Fanensis, Franc. Campani, Iac. Crucei — lucubrationes. Subi. Maphaei Aen. XIII et Carmina minora. (B. A. G.)

P. V. M. Bucolica cum verborum contextu, per Herm. Torrentinum triviali stylo familiariter discussa. Antwerpiae per Io. Latium . . . . 8. 1562.

1563.

Repetita *Manutiana* anni 1560, 8. Crevenna T. III, p. 194 (B. A. G.) Basileensis ap. Nic. Bryling. 8. ad Gryphianam 1554 exacta, ut docent Bipont. Sodales. *Reguli* explicationes vide ad a. 1565.

1564.

P. V. M. Opera cum Phil. Melanchthonis et variorum notis. Tiguri . . . . 8. 1564.

Vide paulo ante 1561.

P. V. M. Opera, Theod. Pulmanni *studio correcta. Paulli Manutii annotationes. Homeri loca, quae Virgilius imitatus est. Ge. Fabricii observationes.* Antwerp. . 12. 1564.

Typis nitidis eleganter expressus liber. Princeps, quantum assequor, edd. Pulmanniarum. Pulmannus in epistola ad Casp. Schetum Gorvinum V. Id. Octobr. 1563 data, exemplaria quum manuscripta, tum typis impressa se comparasse profitetur. conf. sup. pag. CLXVII. Nam in illa memorat «ea, quae ex collatione exemplarium quum manuscriptorum, tum typis impressorum restituta emittit.» Repetita ea editio singulis fere annis.

P. Bembi de Virgilii Culice et Terentii fabulis libellum

Florent. 4. 1564 prodiisse legi; nec tamen tum primum vulgatum. vid. Ald. 1517.

1565.

P. V. M. Opera ad Nic. Erythraei recensionem Venetiis apud Franc. Rampazetum, expensis Melch. Sessae 1565.

Memoratur a Sylburg praef. edit. Francofurt. 1583, s. 1582.

P. V. M. Georgica brevibus P. Manutii et aliorum annotationibus illustrata. Antwerpiae per Chph. Plantinum 8. 1565.

Eodem modo *Bucolica* separatim esse excusa, nec non *Opuscula minora*, ex praefat. edit. 1566 intelligitur.

Varia Lectio in Virgilium a P. Gabiano *collecta*. Brixiae 1565.

E Cod. Mediceo, ut supra monuimus: p. cxi.

Seb. Reguli *in I. Aen. librum ex Aristotelis de Arte poët. et rhet. praeceptis explicationes.* Partes duae. Bononiae per Io. Rubeum . . . . 4. 1563 et 1565.

(Biblioth. Acad. Gotting.) Ad Aristotelis praecepta, quo quidem modo illa tum accipi solebant, Aeneis exigitur; propositum esse poëtae, tolerantissimi et fortissimi principis et perfecti viri simulacrum effictum ostendere; et sic alia a rerum veritate aliena. Reliqua ad subtilitates rhetoricas sunt exacta a poëtices indole alienas.

1566.

P. V. M. Opera ad Nic. Erythraei recensionem. Venetiis ex offic. Franc. Laurentini 1566 memorantur Fr. Sylburgio in praefat. edit. Francofurt. 1583.

P. V. M. Opera (cum Opusc. minor.). *Paulli Manutii annotationes in margine descriptae: Homeri loca insignia, quae Virgilius imitatus est; Ge. Fabricii Chemn. Observationes Virgilianae lectionis.* Antwerp. ex offic. Plant. 8. 1566.

Nihil alind egit Plantinus, quam ut Manutianas editiones 1555, 1558, 1560 repeteret. Ipse in praef. se exemplar Venetum, et, quod ex Veneto deinde editum sit, Lugdunense (Gryphiannm?) rectitudine et veritate superasse profitetur. (B. A. G.)

Bucolicorum Virgilii simplex et dilucida metaphrasis —Auctore M. Mentone Gogrevio. Vitebergae per hered. Ge. Rau . . . . 12. 1566.

1567.

P. V. M. e Nic. Erythraei recensione. Lugduni, Vol. II 8. 1567.

Nec dubito, iam aliam similem Lugdunensem superioribus annis praecessisse.

(1) L'examen du titre détaillé de cette édition confirmera l'idée que M. Heyne s'était faite de l'existence d'une édition lyonnaise semblable à celle-ci, et qui lui serait antérieure. Voici ce titre.

Publ. Vergilii Maronis opera; convenientibus argumentis et scholiis, salva integritate illustrata, cum Nicolai Erythraei Veneti interpretationibus et operosissimo verborum ac sententiarum in Vergilio observandarum indice recens adposito. Lugduni, apud Seb. Honoratum, 1567, in-8° de 582 pages pour les pièces liminaires et les oeuvres de Virgile. L'*Index* a 152 pages non chiffrées. On trouve enfin sur une 153e page douze vers latins de Ioannes Merulanus en l'honneur de l'imprimeur Thomas Bertellus.

Les trois premières pages contiennent un avis au lecteur, dans lequel l'imprimeur détaille le soin qu'il a pris pour donner un texte pur de Virgile, en l'accompagnant des explications de Nicolas Érythrée. Il déclare qu'il a été obligé, pour ne pas déranger le placement des vers da Virgile, de reporter dans l'Index une partie des explications d'Érythrée. Cet Index est un abrégé de celui du professeur vénitien. L'Imprimeur s'est plus attaché à reproduire ses explications que les mots dont Virgile s'est servi.

Cette édition est imprimée en caractères italiques qui ont peu de netteté. Elle ne paraît pas avoir reçu des gens de lettres un favorable accueil; c'est là, sans doute, ce qui en a rendu les exemplaires très-rares.

J'avais lieu d'être surpris de lire au bas du frontispice le nom de l'imprimeur *Sebast. Honoratus*, tandis qu'à la dernière page on lit: *Lugduni, apud Thomam Berthellum.* Il existe, en effet, des exemplaires portant le nom de Berthellus au bas du frontispice, avec la date de 1554, qui paraît être la véritable époque de la publication de cette édition. Ainsi le frontispice de 1567 n'est qu'un frontispice renouvelé. La conjecture de M. Heyne était donc bien fondée, et il est étonnant que cette édition lyonnaise de 1554 ne soit indiquée dans aucune notice des éditions de Virgile. (B.)

P. V. M. poëmata quae exstant omnia, adiectis figg. — et doctiss. viror. scholiis ac annotatt. Francof. ad Moen. apud Ge. Corvinum Feyerabend et her. Wigandi Galli 8. 1567.
B. G. A. Est repetitio Tigurinae 1561.

1568.

P. V. M. e Ge. Fabricii recensione. Lipsiae per heredes Valentini Papae . . . . 8. 1568.
Repetita etiam est hoc anno *Antwerpiensis Plantini* anni 1566.
Virgilius collatione scriptorum graecorum illustratus, opera Fulvii Vrsini. Antwerp. Chph. Plantinus . 8. 1568.
Est hic libellus Leovardiae 1747 recusus cum nonnullis Valkenari opusculis. Doctrinam facile agnoscas; iudicii subtilitatem in multis, quae comparata sunt, desideres.

1569.

Eclogae cum argumentis sive rhetoricis dispositionibus Phil. Melanchthonis, et Paraphrasi ac scholiis Steph. Riccii. Gorlichii. Exc. Abr. Fritsch 8. 1569

1570.

Virgilius Londini, per Henr. Bynneman : . 8. 1570.
Apud Ames. Old English Printings. et Herbert's typogr. Antiqu. unde Brüggemann l. c. p. 536.
P. V. M. c. n. Melanchthonis et alior. Tiguri 8. 1570. 1573.
(Vide 1564.)
P. V. M. — c. n. Paulli Manutii et Ge. Fabricii h. a. quae rep. Londini 1617, 8.
In P. Virgilii Bucolica Commentarii Mich. Barth. Lipsiae apud Io. Rhamba . . . . 8. 1570.
(B. A. G.) An 1575 repetiti sint, non dicam.

1571.

P. V. M. Opera indubitata — Magdeburgi per Matthaeum Giseken . . . . 8. 1571.
(B. A. G.)

Adiecta tamen minora carmina c. praef. Camerarii 1551 ex edd. Lips. Tum Varietas lectionis, et Annotationes in Buc. Ge. Aen.

Antwerpiensem a. 1571 et *Theod. Pulmanni Virgilianas Lectiones* a Fogginio praef. ad Virgilium Mediceum p. IV memorari video. Certe *Antwerpiensem* a. 1572 ex 1566 repetitam in manibus habeo. (B. A. G.) Etiam Ascensiana Veneta, et editio Parisina h. a. memoratur apud Sodales Bipontin., verum incerta fide.

1573.

P. V. Appendix — *Acc.* Ios. Scaligeri *in eandem commentarii et castigationes.* Lugduni per Gul. Rovillium 8. 1572 et 1573.

Vide inf. 1575, 1595, 1617. Catalecta Virgilii iam prodierant Vincent. 1476. Venet. 1480 et 1484, et Brix. 1485, Ald. 1517 et 1534, hinc ad calcem Edd. Iunt. et aliar.

Tigurina rep. h. a. vid. 1570, 1564, 1561.

1574.

P. V. M. Opera cum Comment. Servii et Var. Venet. f. 1574.

(Conf. 1562.) Forte eadem quam 1571 ab aliis memorari vidimus.

Commentarii docti, breves ac succincti in P. V. M. quatuor libros Georgicorum, clariss. viri et poëtae celeberrimi Io. Stigelii *studiosae iuventutis gratia in lucem editi* 1574 (per Henr. Thilonem Mag. Ecclesiae Schmollensis Pastorem vulgati) Mulhusii. Exc. Ge. Hantzsch . . . . 8. 1574.
(B. A. G.)

1575.

Editio *Henricopetrina* (repetita post 1551, 1561) ex offic. Henricopetrina . . . . f. 1575. (B. A. G.)

Virgilius et in eum Commentationes et Paralipomena Germani Valentis Guellii. Eiusd. Virgilii *Appendix cum Ios. Scaligeri Comment. et castigat.* Antwerp. ex offic. Chph. Plantini . . . . f. 1575.

Commentarii Valentis, non infimae notae, novum editionum genus constituunt, at in textu poëtae nihil operae posuit. (B. A. G.)

1576.

Buc. Ge. Aen. P. V. M. Mantuani doctiss. virorum notationibus illustrata opera et industria Io. a Meyen *Bergizomii Belgae.* Venet. apud Aldum (iuniorem) . 8. 1576.

Saepius repetita, quia scholarum usibus inserviit; at in criticarum editionum censum non venire potest. Expressa est ex edit. Manut. 1558. (B. A. G.)

Inclyta Aeneis — in regiam Tragicomoediam, servatis ubique heroicis versibus non minori industria quam labore concinne redacta: a Io. Lucienburgio Iuris Candidato. Francofordiae Moeni . . . . 4. 1576.

In decem actus deductam vides Aeneidem. Quantumvis absurdum hominis consilium oculis tamen subiicere potest, quantopere *dramatica narratio* regnet in carmine epico, quam multa ex dramaticis natura ei insint, et quam facile primi tragici in id incidere debuerint, ut in Iliade plurium tragoediarum argumenta inesse intelligerent.

1577.

P. V. M. Opera. Londini per I. Kingston . . . . 1577. Apud Ames. I. I. Herbert. Bruggemann. l. c.

P. V. M. Poëmata (Buc. Ge. Aen.) *novis scholiis illu-*

strata, *quae* Henr. Stephanus *partim domi nata*, *partim e virorum doctorum libris excerpta dedit*; Eiusdem H. Stephani schediasma *de dilectu in diversis apud Virgilium lectionibus adhibendo.* typis Henr. Stephan. . . 8. (1577.)

Est prima Stephaniana scholiis marginalibus instructa post Manutium, maxime ex Servio. Plura in Maronem meditabatur vir doctus; vid. praefat. Multa bona complectitur schediasma, nec tamen nova.

Virgilius. Frf. ex offic. hered. Chr. Egenolphi. 8. 1577. Schreberi Vita Ge. Fabricii pag. 203, 204.

Lamb. Hortensii *Monfortii Enarrationes doctiss. atque utiliss. in XII libros P. V. M. Aeneidos. His acc.* Nascimbaeni Nascimbaenii *in priorem P. V. Epopoeae partem — explanatio* etc. Basileae ex offic. Henricopetrina . f. 1577. (Vide 1559.)

1578.

P. V. M. Poëmata, *quae exstant*, omnia, *adiectis figuris egregie depictis et doctiss. viror. scholiis ac annotat.*, *partim antehac*, *partim nunc primum publicatis.* Francof. apud Ge. Corvinum, impensis Io. Feyerabend . 8. 1578.

Vide Memorab. Biblioth. Dresd. T. II, n. 319. Sequitur a. 1567.

1580.

P. V. M. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta. Acc. Paulli Manutii etc. (ut in ed. 1566) Antw. Chr. Plantinus 8. 1580.

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. Venet. ap. Aldum Paulli fil. . . . . 8. 1580. Vide a. 1576. (B. A. G.)

P. V. M. Bucolica et Georgica paraphrasi exposita. Auctore Nicod. Frischlino *Alemanno.* Tubingae apud Alex. Hockium . . . . 8. 1580.

(B. A. G.) Quam rationem sequi voluerit in interpretando,

expositum ab eo est in Epistola ad Ge. Burckhardum in *Philolog. Epistol. Centuria e bibliotheca Goldasti* (Frf. 1600, 8.) p. 279 sq.

1581.

P. V. M. Opera cum schol. Phil. Melanchthonis et alior. Tiguri . . . . 8. 1581.
(Vide 1564, 1570.)

P. V. M. cum notis Ge. Bersmanni (etiam Catalecta). Lipsiae . . . . 8. 1581.
Saepius deinceps repetita editio, etiam cum varietate lectionis ex Fabricianis. Sunt scholia in margine apposita, ex aliorum annotatt. collecta. Veteri MS. usum se esse ait a Ioach. Camerario accepto.

P. V. M. cum notis marginalibus. Lugduni . 12. 1581.

1582.

P. V. M. ad N. Erythraei recensionem. Venet. ap. Rampazeti et Sessae heredes (repetita secundum superiores 1565, 1566) . . . . 1582.
Vide Sylburgii praefat. ad edit. Frf. 1583.

1583.

P. V. M. poëmata novis scholiis illustrata. Editio Henr. Stephani altera. Conf. Maitt. T. III, p. 787. (v. 1577) 8. 1583.

P. V. M. e Ms. Carpensi (cod. Mediceo v. sup. inter Codd.) *c. n. Paulli Manutii* (vide 1566) Venetiis 8. 1583.

Buc. Ge. Aen. Nic. Erythraei opera in pristinam lectionem restituta, additis eiusdem scholiis et indice — cum duplici epistola Fr. Sylburgii. Francof. ap. hered. A. Wechelii 8. 1583.

Sylburgius in praef. se cum Io. Opsopoco Erythraei Virgilium cum Indice ab innumeris naevis librariorum seu typo-

graphorum negligentia illatis repurgasse ait, quae in primis edd. Venetas 1565, 1566, 1582 foedaverant. Igitur ad edit. 1539 omnia recensuisse videtur. Mirari tamen licet, virum doctum operam Erythraei nugatoriam curis suis dignam habuisse. (B. A: G.)

P. V. M. Pollio Ecloga quarta graecis versibus expressa ab Eusebio Pamph. — Lutetiae ap. Fed. Morellum 4. 1583. Biblioth. Acad. Gotting. Vide Argum. Eclogae quartae.

1585.

P. V. M. — Venetiis ap. Io. Gryphium . . . f. 1585. Novissima, quantum assequor, editionum Venetarum huius generis; repetitio enim est ed. Ven. ap. Scotum 1544. et ap. Bonellum 1558.

P. V. M. cum figg. notis varior. et praefat. Phil. Melanchthonis. Coloniae . . . . 8. 1585.

Conf. 1578. Alia Lugdunensis memoratur c. annotatt. Paulli Manutii et Ge. Fabricii. Similea alias iam ante vidimus.

P. V. M. Georgicorum libri IV — germanice redditi et editi a M. Stephano Riccio seniore. Erphordiae. 8. 1585.

1586.

P. V. M. cum Comment. Tib. Donati et Servii a Ge. Fabricio collectis et c. n. Var. Basil. Henricop. . f. 1586. (Vide 1561, 1575.)

P. V. M. e Theod. Pulmanni recensione . . 16. 1586.

P. V. M. cum Erythraei Indice ad numerum versuum accommodato ab Ant. Mar. Basso Cremonensi. Venetiis per Damianum Zenarium . . . . 8. 1586. Titulum integrum v. in Catal. B. R. Paris. n. 845.

P. V. M. Georgicorum post omnes omnium Commentationes non contemnenda enarratio — edita studio Ge Bersmanni *Annaebergensis.* Servestae. Exc. Bonav. Faber 8. 1586.

Est ea enarratio Poëtae in Academia Lipsiensi publicis le-

ctionibus facta. Bersmannus tum Gymnasio Servestano illustri praeerat, quum hanc ederet partem primam in lib. Ge. I et II. (B. A. G.)

1587.

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. apud Aldum 8. 1587.

Iunius Philargyrius *in Buc. et Georgica Virgilii*, primum prodiit adiunctus *Fulvii Vrsini notis ad Catonem, Varronem et Columellam.* Romae . . . . . 8. 1587.

Notat in praefat. ipse Vrsinus, id quod res docet, non esse integrum Iunii Philargyrii commentarium, sed excerpta tantum quaedam ex eo, quae quum legisset ille inserta fragmento vetustissimo Serviano (quod olim ipsi literis Longobardicis exaratum dono dederat Paullus Manutius favente Aldo filio) nullius autem interposito auctoris nomine discreta, sed a Servianis expositionibus tantum his notis seiuncta, *Et aliter*, reperit deinde in margine codicis Virgiliani exscripta manu Angeli Politiani, et quidem diserte sub Iunii Philargyrii nomine; eodemque nomine ab Angelo in Miscellaneis laudata. Adiunctae pag. 281 eiusdem Vrsini Notae ad Servium in Buc. et Ge. secundum Socios Bipontin. p. 356 iam 1543 a Busdrago Lugdun. excusae esse debent. Diversae sunt notae Vrsini in Collat. Gr. scriptor. c. Virgil. 1568. Ex utrisque excerpta inseruit Commentariis suis Burmannus.

1588.

P. V. M. e Th. Pulmanni emendatione—(repetita 1580) Antwerp. Plant. . . . . 8. 1588.

Eiusd. a Bersmann. rep. ex 1581.

1589.

P. V. M. Opera olim a Pierio Valeriano MSS. ope restituta, nunc denuo vetustissimo cum exemplari collata.

Acc. antiquarum lectionum liber, Fabii Planciadis Fulgentii liber de allegoria Virg. et alia nonnulla. (Iulius Philargyrius. Vrsini notae ad Servium. Velius Longus de Orthographia et Cassiodorus de Orthographia) in Officin. Sanctandreana . . . . 8. 1589.

Catal. Bibl. R. Paris. *Poetes* n. 847. Burmann. de Edit. Virgilii Masvic. p. XLIX. Vrsini notas modo vidimus cum Philargyrio a. 1587. De Pierio vide 1521, 1532.

Eodem anno, nisi forte iam 1587, Commelinus ex codice Palatino Virgilium ediderat, repetitum mox 1599, ad quem a. vide; cui adiunxit *Fulgentii Expositiones Virgilianae continentiae, Philargyrii Commentariolum, Fulvii Vrsini Notas in Servium, Velium Longum de Orthographia, Cassiodorum de Orthographia,* Heidelbergae, 8. In titulo subiicit: « Ex his Fulgentius nunc primum editus est » et in praef. duobus exemplaribus se usum esse ait, quorum alterum Petrus Veckmanus, alterum F. Modius ex bibliotheca Fuldensi descriptum communicaverat. Videtur adeo eodem anno Commelinianam operam repetiisse officina Sanctandreana.

P. V. M. Opera a Th. Pulmanno emendata. Antw. ex off. Plant. . . . . 8. 1589.

Paulo ante 1588.

Bucolica et Georgica cum paraphrasi Nicodemi Frischlini Francof. 1589, 8. (B. A. G.) *Nathanaelis Chythraei in Virgilium Prolegomena. Et in eiusdem Eclogam primam Collectanea.* Rostochii. Exc. Steph. Myliander, 1589, 8. (B. A. G.)

1590.

Ciris et Elegia ad Messalam. Parisiis . . . 8. 1590.

1591.

P. V. M. e castigatione Ge. Fabricii. Lipsiae 8. 1591.

Fabric. B. L. T. I, p. 214 repetita ex superioribus 1546, 1551 et al.

P. V. M. Opera omnia (etiam Carmina minora) *adiectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis, annotationibus ac novis argumentis ex variis interpretibus congestis* — Coloniae ap. P. Horst . . . . . . 8. 1591.

(B. G. A.) In marg. sunt breves annotationes et Var. Lect. Adi. Annot. Io. Frisii et ex Doleto in Aeneidem. Videtur Tigurina aliqua expressa esse. v. 1561.

P. V. M. Londini per Francis Coldock . . . 4. 1591.
Vide Ames. pag. 315

P. V. M. Bucolica serio emendata cum scholiis Franc. Sanctii *Brocensis* — Salmanticae apud Didacum a Cussio 8. 1591.

Vide Specimen Biblioth. Maians. pag. 96. Repetita in Sanctii Opp. Tom. II, pag. 151.

Nic. Grimoaldi, *viri doctiss. in P. V. Maronis quatuor libros Georgicorum in oratione soluta Paraphrasis elegantissima. Oxonii in aede Christi, anno Sereniss. regis Edouardi sexti secundo confecta.* Londini. Excud. Ge. Bishop et Radulph. Newbery . . . . 8. 1591.

(B. A. G.) Est profecto elegantissima Paraphrasis. Libelli neminem adhuc praeter Martinum mentionem facere vidi. De *Grimoaldo* v. Wood Athenae Oxon. Vol. I, p. 178. Add. nunc Brüggeman View of English Edd. of Gr. and Lat. Auth. p. 536.

1592.

P. V. M. Opera a Theod. Pulmanno emendata. Lugd. Bat. ex offic. Plant. . . . . 12. vel 8. 1592.
Vide 1589 et 1566.

Est quoque Gryphiana h. a. rep. e Manutio 1555. Insunt carmina minora. (B. A. G.)

1595.

P. Virgilii appendix — Acc. Ios. Scaligeri castigationes et commentarii aucti, *curante* Frid. Lindenbruch, *cuius et*

notae additae. L. B. ap. Rapheleng. . . . . 8. 1595.

P. V. M. Opera e Theod. Pulmanni emend. L. B. ex offic. Plantin. apud Rapheleng. . . . . 8. 1595.

Cum Appendice a. 1596 (vid. edit. 1592). Plures Raphelengianae hinc prodiere.

1596.

P. V. M. Opera ex edit. Ge. Bersmanni Lips. 8. 1596.

Sed talium editionum repetitas evulgationes plures recensere piget.

P. V. M. Opera indubitata (inest tamen Culex ex alia) *e recens. Ge. Fabricii Chemn.* (repetita ex superioribus) Lipsiae impensis V. Voegelini. Imprimebat Mich. Lantzenberger . . . . 8. 1596.

(B. A. G.)

Wecheliana 1583 repetita Frf. Wechel . . . 8. 1596.

(B. A. G.)

— *Hortensii* enarrationes in Aeneidem repetita editio ex 1577 per Seb. Henricp. . . . . f. 1596.

et Nascimbaenii explanationes in Aeneidis libros V priores. Basileae fol. 1596.

1597.

P. V. M. cum figg. not. var. et praef. Phil. Melanchthonis (suppresso eius nomine) Coloniae per Croswinum Culenium (ex 15.) . . . . 8. 1597.

— *Opera Chr. Seganolphi* Francof. . . . . 8. 1597.

1598.

P. V. M. Georgicorum libri IV enarrationibus, quae commentarii in loco esse possunt, illustrati a Federico Ceruto *Veronensi.* Veronae per Ang. Tamum . . 8. 1598.

Rob. Titii *ad Georgica Virg. praelectiones quatuor.* Bononiae per heredes Io. Rossii . . . . 4. 1598.

1599.

P. V. M. Opera ex vetustissimo eoque accuratissimo Bibliothecae Palat. MS. exemplari nitori pristino restituta; cum Indice Erythraei— Addita Fulgentii Planciadis Virgiliana continentia cum aliis nonnullis ad huius poëtae intelligentiam necessariis. E bibliopolio Commeliniano 8. 1599.

Repetita est editio ex alia, quae praecesserat, 1589 et curata a Iuda Bonutio Hier. Commelini sororio et inscripta Paullo Melisso. De cod. Palatino vide sup. inter codd. Verum Fulgentius et reliqua vix iterum recusa sunt, sed exemplaria prioris editionis subiuncta. Saltem in nostro exemplari (B. A. G.) Fulgentius a. 1589 praefert. Repetita est haec editio 1603.

P. V. M. Poëmata Henr. Stephani *scholiis illustrata* (editio tertia, secundae (1583) per omnia consimilis); Excudebat Paullus Stephanus . . . . 8. 1599. (B. G. A.)

P. V. M. Opera doctiss. viror. notationibus illustrata opera Io. a Meyen. Francof. ex offic. Io. Saurii . 8. 1599.

Alia aut eadem forte a. 1597 laudatur.

Symbolarum libri XVII. quibus P. V. M. Buc. Ge. et Aen. ex probatiss. auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per Iac. Pontanum *S. I.* Aug. Vind. ex offic. Io. Praetorii . . . . f. 1599.

Eas valde probari audio; est quoque adiecta paraphrasis lib. I, II, III et X, XI, XII Aeneidis. (B. A. G.) Ingens libri moles me deterruit, quo minus eo uterer.

1600.

P. V. M. Opera et in ea Mauri Servii Honorati Commentarii ex antiquiss. exemplaribus longe meliores et auctiores. Ex bibliotheca P. Danielis *I. C. Acc.* Fabii Planciadis Fulgentii *liber de continentia Virgiliana auctior e MS. cod. et* Iunii Philargyrii *Comment. in Buc. et Georgica.* Paris. Seb. Nivelle . . . . f. 1600.

(B. A. G.) Nobilissima editio propter Servii commentarios, quos sequentes fere edd. hinc expressere, sed alia aliis vitiosius. Historiam *Codd. P. Danielis v. in Voyage litt. de deux Bénédict. Tom. I*, pag. 65.

EDITIONES HVIVS SAECVLI S. A. SVNT:

Manuale Vergilianum — Iodoci Badii Ascensii sententiarum dilucidatione inornata . . . . obl. 8. s. l. et a.

(B. A. G.) Totus titulus libelli expressus iam in Catal. B. R. Paris. Poet. n. 821. Praefatus Ludov. Hohenwang. Elchingensis. Character literarum est neogothicus et ingratus.

Editio Colinaeana s. a. in Biblioth. Reg. Paris. n. 828 et in Biblioth. Smith. pag. DI, quam a Maittairio in Hist. Typograph. Paris. notatam non video; at in Annal. T. III, p. 318, T. II, p. 401 de ea agit.

Editio Henr. Stephani prima s. a. sed ad 1577 referenda.

P. V. M. Bucolica et Georgica cum Commento familiari. (Herm. Torrentini) Paris. impressa per Felicem Balligault s. a. 4.

Biblioth. Bunav. T. I, p. 302. Etiam in Biblioth. Hulsiana et aliis laudari videas.

Editionem s. l. et a. cum Aldi Manutii epistola, Italico charactere; viderat Maittairius Annal. Typograph. T. II, pag. 149, quam a Barth. Trot, Lugdunensi typographo, excusam esse putabat. Habui eam posthaec in manibus, vidique ex Ald. pr. expressam ac repetitam esse nec pro eadem habendam: ita v. c. p. I, lin. extr. *Mulus ego* exaratum. (B. A. G.)

Aeneidos libri VI sine titulo, 4. memorantur Maittairio in Indice Annal. p. 331.

Culex cum aliis s. a. 8 mai.

Georgii Alexandrini (Merulae) *Emendationes in Plinium et Virgilium:* subiectae eius in Librum de Homine Galeoti Oper. 4. s. a. in Goezii Bibliotheca Dresd. T. II, p. 207.

P. V. M. Opera cum Erythraei indice. Commelin. 8. 1601.

(ex Venetis, omissis tamen Erythraei Obss.) Est etiam h. a. Genevensis c. n. Paulli Manutii et Ge. Fabricii.

Operum Cl. V. Nicodemi Frischlini — Pars paraphrastica, qua cont. P. V. M. Bucolica ex Plauto et Terentio, Georgica ex Catone, Varrone, Columella et Plinio, Aeneidos libri duo priores ex Livio, Caesare et Cicerone etc. Frf. ad M. typis et sumt. Io. Spiessii et heredum Rom. Beati 8. 1602.

Idem libellus iam 1580 expressus, praeter paraphrasin in lib. I et II Aeneidis, quae nunc primum accessit.

P. V. M. Opera ex Cod. Palat. antiquissimo. Commelin. 8. 1603.

De ea vide ad 1589, 1599.

Alberici Gentilis, *I. C. Professoris regii, Lectionis Virgilianae variae liber ad Robertum filium. Nunc primum in lucem editus.* Hannoviae apud Guil. Antonium 8. 1603.

(B. A. G.) Sunt scriptae ad filium octennem, criticae tamen ac philologicae cum multa exspatiatione in Ius Romanum. Nec tamen ultra Bucolica procedunt.

P. V. M. Opera cum scholiis N. Erythraei et indice. Hanov. typis Wechel. 8. 1603.

Ex ed. 1601, 1596 et al. ducta.

Hoc anno excusus quoque in Corp. Poët. Lat. Genev. et iterum 1611 et 1627.

P. V. M. ex offic. Plant. Rapheleng. . . . . . 1604.

Symbolarum libri XVII quibus Virgilii Buc. Ge. et Aen. ex probatis auctoribus declarantur, illustrantur per Iac. Pontanum. Lugduni. Io. Pillehotte . . . . . f. 1604.

(Vide 1599.) Catal. Biblioth. R. Paris. n. 849 A.

Edit. *Commelin.* 1601 recusa. Commelin. . . 8. 1608. et Wecheliana ex edit. Fr. Sylburgii 1583 recusa Lugduni.

P. V. M. cum scholiis Io. a Meyen. Francof. 8. 1608.

P. V. M. Bucolica et Georgica argumentis, explicationibus et notis illustrata a Io. Lud. de la Cerda Toletano. Madriti . . . . f. 1608.

(Vide 1612, 1617, 1628, 1642.) Omnis viri docti opera in commentando versatur; lectionis cura nulla; saepe ea interpolata.

P. V. M. Ciris. In eam Commentariolus Casp. Barthii Ambergae ex typograph. Schoenfeldiano . . . 8. 1608.

P. V. M. cum Servii commentariis. Parisiis . f. 1609. *Catalogue of the Libraries of Squires* 1767, p. 8.

P. V. M. Culex. a Fr. Taubmanno. Vitebergae 8. 1609. Vtraque in B. A. G.

P. V. M. cum Servio P. Danielis. Col. Allobr. 4. 1610. Ex edit. 1600.

P. V. poëmata — c. libro Suppl. Maphaei Vegii, Epigrammata etc. *cum annotationibus brevibus ex variis interpretibus collectis et difficilium vocabulorum interpretatione germanica opera Io. Frisii Tigurini.* Francof. Nic. Hofmann. 8. 1610.

Catal. B. R. Paris. n. 850. Est repetitio ed. Francof. 1567.

Excusus etiam Poëta in Corp. Poët. Lat. Genev. 4. 1611 et in ceteris Corporibus Poët. vett., sed haec monere supersedemus.

Commentarii Io. Lud. de la Cerda in VI priores libros Aen. Madriti . . . . f. 1612.

(Vide 1608.)

P. V. M. cum comment. Donati et Servii Acc. Probi Grammatici, Pomp. Sabini etc. *adnotationes* (etiam Carmina minora cum Commentariis) *studio Lud. Lucii Basil. Acad. Prof.* (post Ge. Fabricii recens.) Basil. per Seb. Henricpetr. . . . . f. 1613.

Servii recensio in hac edit. admodum probatur Burmanno praef. ad Virgil. Est tamen totus liber expressus ex edit. 1551. Fabricii notae ab iis, quae in reliquis edd. sunt excusae, diversae esse feruntur; sunt scilicet pleniores. (B. A. G.)

P. V. M. Opera cum N. Erythraei schol. et ind. castigata per Io. Obsopoeum et Fr. Sylburgium. Francof. 8. 1613.

(ex 1603) post tot alias Erythraeanas.

Selecta quaedam veterum poëtarum opera — cum Scholiis Franc. Sanctii. Salmanticae . . . . 8. 1613.

In his Eclogae Virgilii. (B. A. G.)

Introductiones oeconomicae simul et politicae — sive Virgilii bucolica et georgica paraphrasi perpetua illustrata a Nicod. Frischlino. Francof. per Is. Porsium . 8. 1614.
(Vide 1602.)

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. Francof. ap. Nic. Hofmannum . . . . 8. 1616.
Repetita forte ex 1610.
Est etiam huius anni Bersmanniana, et e Pulmanni correctione Paris. 24

Catalecta Virgilii et alior. Poëtar. Latinor. vet. Poëmatia cum Comment. Ios. Scaligeri (item, notis Frid. Lindenbruch) L. B. Rapheleng . . . . 8. 1617.
(Rec. titulo 1595.)

Io. Lud. de la Cerda Comment. in VI posteriores Aen. libros. Madriti . . . . f. 1617.
(Vide 1608, 1612.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneidos libri argumentis, explicationibus, notis illustrati a Io. Lud. de la Cerda S. I. Lugduni sumtibus Horatii Cardon. III. Vol. . . f. 1617.
Nunc demum iunctim editi in Virgiliana carmina diligentissimi commentarii. (B. A. G.)

P. V. M. Opera omnia B. G. et A. Ciris et Culex cum comment. Fr. Taubmanni, *curante et edente Christiano Taubmanno Frid. f.* (Witteb.) Zach. Schurer . 4. 1618.
Editio Henr. Stephani semper fere pro regula fuit; sub finem praefat. — « Ciris *textum ex Scaligeri, Barthii, et parentis lectionibus restitui.* Culicem *duorum exemplarium* (noli de Mss. cogitare) *a parente emendatorum auxilio correctiorem reddidi.* »

Pulmanniana. Amstelod. . . . . 24. 1619.

P. V. M. cum Servio Danielis. Genev. . . . . 4. 1620.
(ex 1600) vitiosissima, iudice P. Burmanno ad Ecl. VIII, 92.

Tarqu. Gallutii Sabini e S. I. Virgilianae Vindicationes et Commentarii tres de Tragoedia, Comoedia, Elegia. Romae per Alex. Zanettum . . . . 4. 1621.

(B. A. G.) Si otio abundarem, percurrendum mihi hunc librum putarem, accessio enim, ut nunc intelligo, magna fieri posset ad Excurs. extr. libri XII, et inesse video acumen haud contemnendum in locis Virgilianis seu vindicandis seu reprehendendis; etsi iudicii subtilitatem et sensus elegantiam in iis, quae legi, desiderabam.

Est anni 1622 Elzeviriana editio Lugduni Bat. 12. (B. A. G.)

Paulli Benii Eugubini in P. V. M. Aeneidem Commentarii (operosi sed parum subtiles. Venetiis apud Io. Guerilium f. 1623.

(B. A. G.)

P. V. M. Opera Ge. Bersmanni Editio sexta ab eodem correcta et figuris ornata. Lipsiae . . . . . . 8. 1624. (Vide 1581.)

P. V. M. Opera studio Theod. Pulmanni correcta. Amst. 8. 1625.

P. V. M. Opera indubitata omnia — ad Iac. Pontani castigationes (vid. 1599) *accuratissime excusa c. indice eius locupl.* Coloniae. Exc. Heur. Krafft . . . . 1625.

P. V. M. Opera ad Iac. Pontani castigationes. Sedani typis Io. Iannoni . . . . 24. s. 32. 1625.

Editio literarum formis minoribus nobilis; quae ab ea nomen Sedanensium accepere. De Bure *Bibliogr. instruct.* n. 2683. Alia fertur esse 1628. De hac Pontani opera vide ad 1599 et 1604.

P. V. M. cum Cerdae Comment. Coloniae . . f. 1628. Vide Lugd. 1617.

Aeneae peregrinationes h. c. libri sex priores Aeneidos analysi simplicissima enodati a Melch. Steinbruck. Coburg. 16. 1628.

P. V. M. Opera cum scholiis Io. a Meyen. Francofurtana 1616 recusa Frf. . . . . 8. 1629.

Memoratur quoque Coloniensis huius anni forte ex 1591 ducta.

P. V. M. Opera clariss. virorum annotationibus illustrata: opera Ioan. a Meyen. Paris. Io. Libert . . . 8. 1630

(Ex Ven. 1580.) Catal. B. R. Paris. n. 854.

P. V. M. Opera. In gratiam iuventutis poëtices studiosae. Hispali apud Franciscum de Lyra . . . . 12. 1630.
(B. A. G.)

P. V. M. Aeneis c. comment. N. Abrami. Mussiponti 8. 1632.

(B. A. G.) Eadem Rothomagi 8. 1633. tum *Bucolica et Georgica* Mussiponti 1635. 8. (B. A. G.) tandem opera omnia Tolosae 1644. (B. A. G.) iterum Rothomagi 1637 et 1648.

P. V. M. Opera notis admarginalibus illustr. a Th. Farnabio. Londini. Felix Kingston . . . . . . 8. 1634.
Saepius repetita. Singulas notare, operae pretium non est.

P. V. M. Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. Amsterdami . . . . 12. 1634.
Repetita ex 1625.

Virgilius Dan. Heinsio recensente nunc emendatior. Ad calcem animadversionum libellus e doctor. viror. observationibus (iam in edd. Fabric. obvius) L. B. ex offic. Elzevir. 12. et 16. 1636.

Quum huius editionis faciem plures aliae mentiantur subdititiae, ad pagg. 1 et 91 respiciendum esse, ubi paucae literae characteribus miniatis expressae esse debent, non atris, de Bure *Bibliogr. instruct.* n. 2684 docet: Tam parvae res sunt, in quibus hi bibliographi deliciantur. Referatur sane illa, si ita placet, inter rariores Elzevirianas; interioris tamen indolis bona habet nulla.

P. V. M. cum Comm. Servii P. Danielis. Genev. 4. 1636.
(Vide 1600, 1610, 1620.)

P. V. M. Opera. Parisiis e typogr. Regia . . f. 1641.
Splendidum Volumen: unum ex IV poëtis Latinis excusis prelo Luparensi. (Reliqui sunt Terentius, Horatius, Iuvenalis et Persius.) (B. A. G.)

Virgilius e recens. Dan. Heinsii. (repetitus Elzevir. 1636) 1641.

P. V. M. Opera cum Comment. Cerdae (recusa ex edit. 1628). Colon. Agripp. III Voll. . . . . f. 1642 et 1647.

P. V. Copa, *cum commentariolo* Io. Weitzii *et Spicilegio in Moretum Septimii Sereni.* Francof. . . . 12. 1642,

P. Virgilius cum veterum omnium Commentariis et selectis recent. notis. Nova Editio inscripta Georgio Valkenier. Ex offic. Abr. Commelini. Amst. . . . . 4. 1646.

Servius ex exemplari editionis P. Danielis (1600) a *Cl. Salmasio* multis locis emendato expressus. Vsus etiam est *Commelinus exemplari Nic. Heinsii*, qui varias e Mss. lectiones annotarat. Notas viror. doctor. excerpsit *Corn. Schrevelius.* Conf. praefat. (B. A. G.) Post meliores Heinsii editiones huius quidem non magnus usus est.

P. V. M. Opera nunc emendatiora. Amst. per Lud. Elzevirum . . . . 16. 1649.

Virgilius Dan. Heinsii 1636 repetitus ex offic. Elz. 1652.

Alia c. n. Farnabii, et varior. a Schrevelio curata; saepe hinc repetita.

P. V. M. Aeneidos liber primus. Parisiis apud Seb. et Gabr. Cramoisy . . . . 4. 1653.

P. V. M. Aeneidos liber duodecimus ibid. eod. Maitt. Annal. Ind. p. 329.

P. V. M. Opera, c. n. selectiss. variorum, opera Corn. Schrevelii. apud Franc. Hackium . . . . . 8. 1657.

Curata haec ad exemplum reliquarum in Batavis cum not. Var. exaratarum; sine iudicio, delectu et diligentia. Notae adscriptae non quas res postulabat, sed quae calamo se offerebant.

Clavis anterioris Aeneidos, itinera Aeneae notis et tabulis reserans, opera M. Ios. Seizii. Halae Suevor. per Io. Reinhard . . . . 4. 1657.

Subiicitur *Analysis libri secundi Aeneidis — Troiam — delineans. Analysis libri tertii, Exilium Aeneae ab Oriente — libri quarti, Didoni — ortam— αυτοχειριαν libri quinti Ludos Aeneae* — Tum Tandem: *Centrum — Virgilianae Aeneidos, sive Analysis libri sexti descensum Aeneae ad inferos — delineans.* Halae 1656. Inesse possunt in ineptis his subtilitatibus grammaticis et rhetoricis nonnulla, quae ingenium forte acuant, si quis otio abundet. (B. A. G.)

P. V. M. per Io. Ogilvium edita et sculpturis aeneis adornata. Londini typis Th. Roycroft . f. 1658 et 1663.

Cum 120 tabb. et cum charta geogr. lumen magna impensa, et quantum illa aetas ferebat, non sine arte, curatum. Delineandis et incidendis figuris operam dedere clari artifices *W. Hollar*, *W. Faithhorne*, *P. Lombard*, et alii. Idem Ogilvius anglicis versibus redditum excudi fecerat Londini 8. 1650. (B. A. G.)

P. Sebast. de Matienzo, Burgensis, S. I. commentationes selectae ethicae et politicae in Virgilii Aeneidem. Lugduni per Horat. Boissat et Ge. Remens. . . . . 4. 1662.

Sunt argutationes fere ad Donati exemplum effusae, deterioris tamen venae. (B. A. G.)

P. V. M. accurante Nic. Heinsio. Elzev. . . . 12. 1664.

Nobilis editio, e qua melior demum Virgilio lux affulsit. (B. A. G.)

P. V. M. — Maceratae . . . . 8. 1668.

P. V. M. c. n. Nic. Abrami *S. I. et* Farnabii. Paris. Io. Henault . . . . 12. 1669.

Iuncta nunc primum opera duorum horum virorum.

Vide 1633 et 1634.

P. V. M. Opera (Adi. Culex et Ciris) *accurante Nic. Heinsio.* Ex offic. Hackiana . . . . 16. 1671.

(B. A. G.) Vide 1664.

P. V. M. c. scholiis Io. Minellii. Roterod. . . 8. 1674.

Saepius abhinc recusa 1694, 1697, 1700, 1703 etc.

P. V. M. Opera. interpretatione et notis illustravit Carolus Ruaeus, *in usum Delphini.* Parisiis . . . 4. 1675.

Iure suo Ruaeus inter meliores Virgilii interpretes refertur, idemque inter ceteros, qui in Delphini usum commentati sunt, cum Huetio inter meliores.

P. V. M. Opera: editio noviss. summa cura recognita et multis mendis purgata, adiecta sunt Tan. Fabri *et nonnullorum aliorum notulae et emendationes.* Salmuri. Is. et H. Desbordes . . . . 12. 1675.

Adiectae sunt Notulae ex eius adversariis collectae; tum

Animadversionum libellus, qui et in Fabriciania edd. occurrit. (B. A. G.)

P. V. M. accurante Nic. Heinsio Dan. fil. Amst. ex offic. Elzevir. . . . . 8. et 12. 1676

Similis ed. 1671, sed acc. animadversionum libellus modo memoratus. E vulgari fama habetur pro emendatissima editione. (B. A. G.)

P. V. M. Opera in tres Tomos divisa. c. n. integris Servii, Philargyrii, nec non I. Pierii Var. lect. et selectiss. plerisque Comment. Donati, Probi, Nannii, Sabini, Germani, Cerdae, Taubmanni et alior. Quibus acc. observat. Iac. Emmenessii *cum Indice Erythraei.* L. B. et Amst. ex offic. Hack. 3 Voll. . . . . 8. 1680.

Absoluta a Masvicio, in pretio et dignitate habita ab indoctis bibliographis. Expressus contextus ex Elzevir. Nic. Heinsii 1676. (B. A. G.)

P. V. M. Ruaei editio altera. (emendata ex fide N. Heinsii) Parisiis . . . . 4. 1682.

Saepe hinc repetita editio Paris. et Londini.

P. V. M. Opera Nic. Heinsius Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Lugdun. Bat. typis Iac. Hackii . . . . 12. 1684.

Est iam ex edd. Heinsii perfectioris operae. (B. A. G.) Memorantur aliae 1685, 1688, rec. Lond. 1695.

Virgilii Opera ab ipso primum edita, scil. Epigrammata, Poëmatia, fragmenta — cum Comm. et Obss. cumque paraphrasi Italico metro concinnata ab Octavio Scarlatino. Bononiae. P. Maria de Montibus . . . . f. 1697.

Virgilii Opera. Io. Henr. Boeclerus quondam ex MS. Biblioth. Argent. recensuit et annott. in quibus Servii Commentarii illustrantur, suppeditavit. Vlmae. Io. Wolfg. Beverlin . . . . 8. 1698.

Digna mihi visa erat editio, quae accuratius inspiceretur. Nunc compertum habeo, nil nisi vulgaria vitia, lapsus et variationes reperiri. Habui collationem Ecl. X, Ge. I, Aen. VI, in quibus ne una quidem lectio bona varians paulo memorabilior occurrebat: nisi quod Aen. VI, 188 *numero* le-

gitur. Memoratam videram in Catal. B. R. Paris. *Poëtes* n. 872. cf. Harles p. 241.

Supplementum ad Aeneida, seu Aeneidos liber XIII. authore C. S. Villanova. Paris. per Aubovyn 8. vel 12. 1698.

1700.

P. V. M. Buc. Ge. Aen. ad optimorum exemplarium fidem recensita per H. Laughton Cantabrigiae. Impensis Tonson. 4. mai. 1701. Eadem 8. 1702, rep. 1707, 1711.

Ex Emmenessiana expressa.

P. V. M. c. n. Chr. Iuncheri. Lips. . . . . 8. 1703.

Similes alias edd. praetermittimus.

P. V. M. Opera Nic. Heinsius e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Vltraiecti apud Guil. van de Water . . . . 12. 1704.

Ex Heinsiana 1676 religiose expressa, curante *P. Burmanno*, nisi quod lectionum nonnullarum, quas e cod. Mediceo Norisius in Cenotaph. Pis. adnotaverat ab Heinsio praetermissas, ratio habita est. (B. A. G.)

P. V. M. Opera ad meliorum codd. fidem emendata, cum argumentis lucidissimis, Vindocini (Vendome) Henr. Hyp. . . . . 12. 1706.

P. Virgilius Maro. Parisiis apud Musierium 12. 1707.

P. V. M. Opera c. n. selectis Abrami, Farnabii, Iuvencii et aliorum, et omnium verborum indice. Rothomagi apud Lallemantinum . . . . 1711.

(Vide Paris. 1666.)

P. V. M. ad exemplar, quod ex antiquiss. recensuit membranis Nic. Heinsius, c. n. Th. Farnabii. Amst. apud Ianssonio-Waesbergios . . . . 12. 1712.

P. V. M. Operum Editio nova ceteris omnibus emendatior. Parisiis apud Io. Barbou. . . . 4. et 12. 1714 (1).

(1) En indiquant une édition de Virgile, avec l'interprétation et les notes du P. de La Rue, publiée en 1712, à Paris, dans le format in-4°, M. Heyne a partagé l'erreur commise par les éditeurs de Deux-Ponts, de Strasbourg et de Londres. On ne connait en effet qu'une édition en quatre vol. in-12, publiée dans le cours de l'année 1714; voici son titre: *P. Virgilii Maronis*

P. V. M. Londini ex offic. Iac. Tonson et Io. Watts 12. mai. 1715.

Per *Mich. Maittaire*, a quo Var. Lect. ex edd. Ven. per Leon. Achatem 1472 et Mediol. 1474 praemissae sunt. Noli tamen putare magnam Maroni lucem ex binis his edd. affulsisse. (B. A. G.)

P. V. M. per Guil. Binaldum cum accentibus. Dublin et Amst. . . . . 12. 1716.

Editio *Catroeana*. 6 Voll. Paris. . . . . . . 12. 1716.

P. V. M. Opera cum integris Comm. Servii, Philargyrii, Pierii. Acc. Scaligeri et Lindenbrogii Notae ad Culicem, Cirin, Catalecta. Ad Cod. MS. Regium Parisiensem recensuit Pancratius Masvicius II Tomis Leovardiae. Exc. Franc. Halma . . . . 4. 1717.

Satis obvia editio, ad Heinsianam expressa, et *P. Burmanni* conviciis proscissa, cuius *admonitio* editioni Virgilii est praemissa, qua ad Emmenessii vel Schrevelii edd. excusam esse Masvicianam contendit. Variae lectiones notabiliores post

Opera; interpretatione et notis illustravit Carolus Ruaeus, soc. Iesu. Iussu Christianissimi Regis ad usum Delphini, editio novissima, auctior et emendatior, cui accessit index accuratissimus, omnibus numeris et concordantiis absolutus.

L'*Index* n'était pas annoncé sur le frontispice de l' édition très-estimée de 1682, seulement on lit à la fin du volume ces mots: *Index vocabulorum omnium quae in Eclogis, Georgicis et Aeneide Virgilii leguntur.*

J'ai dû chercher la cause de la différence des deux énoncés L'abbé Lezeau l'a fait connaître dans la préface qu'il a mise en tête de sa traduction du premier livre des *Fastes* d'Ovide, publiée en 1714 chez le même libraire: il prévient le public qu'il est sur le point de mettre au jour un *Index* de Virgile, qui lui a coûté beaucoup de soins; l'avis au lecteur, qui précède l'*Index* du Virgile de 1714, n'est pour ainsi dire que la traduction du passage de la préface citée ici. L'abbé Lezeau se fait donc reconnaître comme l'auteur de cet *Index*, si augmenté et si amélioré.

Le P. de La Rue avait alors environ soixante et onze ans; et au mois de juin de l'année 1713, il avait cédé au libraire Barbou son privilége, pour l'impression de ses notes sur Virgile. Celui-ci a donc pu choisir l'abbé Lezeau pour perfectionner l' *Index* publié en 1682 par le P. de La Rue.

La quatrième édition du Virgile du P. de La Rue, imprimée en 1722, contient l'*Index* de 1714; et on le trouve aussi dans les réimpressions de Hollande. Le libraire Barbou vendait séparément cet *Index*: les curieux le recherchent encore aujourd'hui (B.)

Erythraei indicem ex Cod. Parisiensi (Regio) et Markiano (Parrhasiano) subiectae sunt.

Benedicti Averanii dissertationes in Virgilium XLV. in eius Opp. Florentiae 1717 fol. To. I vulgaria intolerabili prolixitate recoqnit. Subsistit ad Aen. I, 49.

P. V. M. c. n. Var. Rothomagi . . . . . 8. 1723.

Commentarii in P. V. M. nunc primum iuxta ordinem verborum, post tamen uberioribus notis locupletandi. Tomus I, II, III. Scribebat D. *Gaspar Pinto Correa* Theologus Lusitanus, Garaialensis Barcellorum Collegiata Canonicus Poenitentiarius. Vlyssipone occidentali . . . . 4. 1726.

In puerorum usum scripti. (B. A. G.)

Catroeana. nova edit. Paris. *chez les Frères Barbou.* 4 Voll. . . . . 8. 1729.

The Works of Virgil translated into English blank Verse, with large explanatory Notes and critical Observations by Ioseph Trapp DD. 3 Voll. London. for I. Brotherton etc. . . . . 8. 1731.

Aeneis iam 1718 et 1729 II Voll. excusa fuerat. Bonus Trappius iudicii acumine et elegantia parum se commendat, peccatque forte copia rerum ac verbositate, si viris, non ephebis, scripsit. Sunt tamen in eo plura utiliter monita, quam in multis valde doctis notis.

P. V. M. cum annotat. Minellii a Ios. Ant. de Sylva. Vlyssipone occidentali . . . . 8. 1735. (B. A. G.)

Masviciana repetita Venet. per Io. Bapt. Paschalium 2 Voll. . . . . 4. 1736.

P. V. M. e recens. N. Heinsii. Patavii per Ios. Cominum 8. 1738.

Iuxta Heinsii Elzev., ratione tamen habita Amstelodamensis 1704.

Antiquissimi Virgiliani Codicis fragmenta et picturae ex Bibl. Vaticana etc. Romae . . . . f. 1741.

Vide sup. inter Codd.

P. Virgilii Maronis Codex antiquissimus — Mediceus editore P. Franc. Fogginio. Florentiae . . . 4. 1741.

Vide sup. inter Codices.

P. V. studio et opera T. Cooke. Londini . . 8. 1741. (B. A. G.) Ruaei Operam emendandam sibi sumsit. In magna aequalium existimatione librum habitum esse video.

P. V. M. Georgicorum libri IV. The Georgics of Virgil with an English Translation and Notes by Iohn Martyn, *Prof. of Botany in the Vniversity of Cambridge.* London for the Editor by R. Reily . . . . 4. 1741.

Splendida editio. Martinus VII codices comparasse se memorat, de quibus v. sup. Praecipua dos, qua se commendat Martini opera, est, quod rei rusticae et botanicae intelligentior ille fuit ceteris commentatoribus. *Altera* editio curata est 1746. 8, et *tertia* 1756. 8.

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. Ex recens. Alex. Cuninghami *Scoti, cuius emendationes subiiciuntur.* Edimburgi apud G. Hamilton et I. Balfour . . . . 12. 1743.

Ex schedis eius et iis, quae ad marginem edit. Elzev. 1676 alleverat, post eius mortem vulgata. Variantes Lectiones ab aliis e Codd. notatas, et edd. vett. 1470, 1472, 1474 et 1476 excusserat, e quibus pauca excerpta hic subiecta sunt una cum eius coniecturis, quae importune satis in contextum saepe receptae sunt. (1) (B. A. G.)

P. V. M. Opera ad fidem optimorum librorum accurate recensita. Gotting. ex offic. Acad. A. van den Hoek. 12. 1743.

P. V. Maro ex editione Nic. Heinsii et P. Burmanni. (praefatur P. Burmannus iunior) Amst. apud Iac. Wetstenium 12. 1744.

P. V. M. Opera. Londini typis I. Brindley 12. 1744. (B. A. G.) *alia* 1753. 2. Vol. 8. (B. A. G.) ad Masvicii editionem castigata.

P. V. editio ab Hawkins curata. Dublini . . 8. 1745.

(1) *An Essay on Virgil's celebrated Gates of Sleep... by Theodore De la Faye.* Lond. 8. 1743; verbosissima disputatio, qua tamen quid effectum sit non statim assequi licet: *portam eburneam* videtur referre ad somnia matutina, quo tempore mox evigilant et ad vitam quasi redeunt homines; *falsa insomnia* esse visa ludentia, etsi veriora sint alioqui venientia mane somnia; *corneam*, qua descensus fit animarum ad inferos: at quis hunc *exitum* dixerit?

P. V. Parisiis *apud Coustelier* 3 *Voll. cum figg. Cochin.* eod. a.

P. V. M. P. Burmanni. 4 Voll. Amstel. . . 4. 1746.
De iis, quae in hanc editionem congesta sunt, vide praef. Burmanni Sec.

P. V. collatione Scriptorum Graecorum illustratus opera et industria Fulvii Vraini. *revisa ex Plantin.* 1568 *cum tribus opusc.* Lud. Casp. Valkenaeri. Leovardiae ex offic. Gul. Coulon . . . . 8. 1747.

Poterat sane fructuosior esse haec opera, si ad ipsum Vrainum emendandum vel ornandum aliquid conferre maluisset vir doctissimus.

P. V. M. Opera cum notis brevioribus. Ad usum scholarum. Parisiis. Apud Desaint et Saillant (B. A. G.) 12. mai. 1748.

P. V. M. Bucolicorum Eclogae decem. The Bucoliks of Virgil, with an English Translation and Notes by I. Martyn. Lond. printed. by R. Reily for T. Osborne 4. mai. 1749.

Et eod. a. Edit. sec. 8, tertia 1750. 8. Expectabatur ab eodem viro docto Aeneia. Nec tamen vidimus praeterquam: *Dissertacions and critical Remarks upon the Aeneid of V by the late Iohn Martyn.* Lond. 1770, 8. (B. A. G.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. illustrata, ornata, et accuratissime impressa. (cum figuris ex ant. monumentis expressis) T. I, II. Londini impensis I. et P. Knapton et Gul. Sandby 8. mai, et in 12. 1750.

(B. A. G.)

The Works of Virgil in Latin and English. The original Text correctly printed. The Aeneis translated by Chp. Pitt, *the Eclogues and Georgics with Notes by* Ios. Warton. *with several new Observations by Mr.* Holdsworth, Spence *ant others.* 4. Voll. London. Printed for R. Dodsley 8. 1753.

Elegantium hominum conatus. Ab Holdswortho alia plura in Maronem ab amicis expectabantur. Eo autem morte erepto prodiere: *Remarks and Dissertations on Virgil, with some*

other classical Observations. By the late Mr. Holdsworth. *Published with several Notes and additional Remarks by Mr.* Spence. London 4. 1768. Etsi pauca sunt doctrinae alicuius exquisitae; inest tamen orationi color aliquis urbani et liberalis ingenii. (B. A. G.) Recusa est haec editio 1778.

P. V. M. Opera Argumentis et chrestomathia illustravit Io. Pet. Miller. Berolini . . . . 8. 1753.

P. V. M. Opera ex antiquis Monumentis illustrata, cura, studio et sumtibus Henrici Iustice. 4 Voll., quibus pro *quinto* Vol. Monumentorum docta explanatio Saxii, Viri Cl., studio accessit . . . . 8. 1753-1765.

Potest sane voluptas honesta quaeri e splendore et ex figuris scita ac molli manu factis. (B. A. G.)

P. V. M. Opera. T. I — III *curis et studio* Stephani Andreae Philippe. Lutetiae Paris. typis Iosephi Barbou 8. min. 1754.

(B. A. G.) Ex Bipontinor. Sociorum Notitiis intelligo, iam 1745 factam editionem praecessisse. Codicem Mediceum sequutus esse videri vult Philippus; etiam varietatem lectionis a viris doctis notatam et editiones diversas conquisivisse. Nec tamen ultra Ruaeum, Emmenessium ac Masvicium eius studium processisse videtur. Ex hoc quidem variae lectiones, quas subiecit, plerumque descriptae sunt. Est alia typis Barbou 1767.

P. V. M. Buc. Ge. et Aen. Ad optimor. exemplarium fidem recensita. Edinburgi apud G. Hamilton et I. Balfour. 2 Voll. . . . . 8. 1755.

Nitide expressa. (B. A. G.)

P. V. M. Bucolica, Ge. et Aeneis. Birminghamiae. Typis Io. Baskerville . . . . 4. mai. 1757.

Splendidissimum opus et characterum peculiari nitore commendatissimum in charta laevigata. Fuit ea inter exempla prima luxus huius litterarii: quo ab animo et ingenio voluptas ad oculos traducta est. (B. A. G.) Alia 1766, 8. (B. A. G.)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis ex Cod. Mediceo-Laurentiano descripta, ab Ant. Ambrogi *Florentino, S. I. italico versu reddita, adnotationibus atque var. lect. et antiquis-*

sini Cod. Vaticani figuris pluribusque aliis veterum monumentis aere incisis et Cl. Virorum dissertationibus illustrata III Tomis. Romae. Exc. Io. Zempel, Venantii Monaldini sumtibus . . . . f. 1763, 1764 et 1765.

Ambrogius Virgilii poëmata italicis versibus expressa iam 1758—1762 Romae 4 Voll. vulgaverat, et hic forte subsistere debuerat; rei enim criticae parum peritus magnis sumtibus valde inutilem splendidae editionis molem emisit.

P. V. M. Opera varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrata a C. G. Heyne. Lipsiae sumt. Casp. Fritschii. 4 Voll. . . . . 8 mai. 1767, 1775.

Critical Observations on the sixth Book of the Aeneid. Lond. . . . . 8. 1770.

Vide Excurs. extr. ad Aen. VI

Géographie de Virgile—Par Mr. Helliez. Paris 8. 1771. Non absurdi ingenii consilium!

P. V. M. Opera tabulis aeneis olim a Io. Pine, *sculptore regio defuncto, illustrata. Opus paternum in lucem profert Robertus Edge Pine. Londini* 2 *Voll.* . . 8. mai. 1774.

Sane multa ex antiquitate ingeniose ad Virgilium accommodata; pleraque longius petita, communia omnibus poëtarum locis eandem rem verbo attingentibus, et vulgaria. Ad poëtam usus inde promitti potest aut nullus aut exiguus. Ad delectationem tamen facere possunt figurae plurimum; modo delineatoris peritioris opera et caeli usus subactior accessisset.

P. V. M. Opera. Parmae e regio typographeo. 8. 1779. (B. A. G.)

P. V. M. Opera in tironum gratiam perpetua adnotatione novis curis illustrata a C. G. Heyne. Tom. I, II. Lipsiae sumt. Casp. Fritschii . . . . . 8. 1779. 1780.

P. V. M. Opera perpetua adnotatione illustrata in usum scholarum Daniae et Norvegiae. Edidit *M. Iac. Baden* in Vnivers. Haun. Prof. Eloq. P. O. Hauniae Tom. I, II. (opera nostra a viro docto suis consiliis attemperata) . . 8. 1780.

P. V. M. Opera. Acc. *M. Manilii Astronomicon. cum notitia litteraria studiis societatis Bipontinae.* Biponti 2 Voll. . . . . 8. 1783.

Nitore suo simplicique elegantia commendata editio. Notitia litteraria docte ac diligenter elaborata distributa est in aetates quinque, quas supra sub initium annorum adscripsi. (1)

P. V. M. Buc. Ge. et Aeneis. Ad optimorum codicum fidem recensuit Rich. Franc. Phil. Brunck. Argentorati sumtib. bibliopolii Academici . . . . . 8. mai. 1785.

Nitore typographico et cura in vera lectione reddenda commendanda editio; de qua supra actum. Audimus quoque nec sine voluptate, aliam editionem eamque multo splendidiorem a viro doctissimo parari.

Georgicorum P. V. M. libri IV graeco carmine heroico expressi, notisque perpetuis illustrati studio et labore Eugenii de Bulgaris — Petropoli . . . . f. 1786.

Vide *Götting. Gel. Anz.* 1787, p. 1263. Conatus similes graece vertendi Bucolica habebamus iam olim Alsworthii et aliorum; v. ap. Socios Bipont.

Sunt aliae editiones, quae non nisi seu nitore seu splendore se commendant, ut Glasguensis 1778. f. . . . . .

Successerat his editio nostra *altera emendatior et auctior* sumtibus Casp. Fritschii 1788. 8. mai. Voll. IV ornamentis aere sculptis insignita. Quum librarii Londinenses id agerent, ut, nec appellato redemtore, ipsi eam editionem typis iterarent, vix in viri optimi gratiam a B. et I. White obtinui, ut exemplaria prioris editionis pretio de quo convenerat, redimerent; tum ipsi novis literarum formis Virgilium recuderunt 1793, IV Voll. . . . .

Sub idem tempus ad praescriptum Equitis d'Azara Parmae typis excusa Bodonianis prodiere *P. V. M. Opera. In aedibus Palatinis* 1793. f. imp. Splendidissimum typographicae artis monumentum; ante oculos habita in poëta recensendo editio Lipsiensis. (2) . . . .

(1) Dans une nouvelle édition, imprimée à Strasbourg en 1808, deux vol. in-8°, sans la Manilius, la *Notice littéraire* a été très-augmentée; dans la première édition, elle se trouvait à la fin du deuxième volume. Le rédacteur de la nouvelle édition l'a placée au tome premier, immédiatement après la vie de l'auteur. (B.)

(2) Cette belle édition a été tirée à deux cents exemplaires, dont vingt-cinq

Etiam Oxoniae e prelo Clarendonio 1795 exiere *P. V. M. Opera locis parallelis ex scriptoribus et Annotationum delectu illustrata in usum iuventutis:* acc. *tabulae geographicae et index Maittairianus* 2 Voll. 8. mai. Expressa est editio Lipsiensis.

Ex aliis commemorabo editionem criticam: *P. V. M. Opera; emendabat et notulis illustrabat Gilbertus Wakefield A. B. Coll. Ies. Cant.* nuper socius Vol. I, II. Londini impensis Kearsley 1796. 8. Plaudimus ingenio viri doctissimi, et ex iis, quae seu acute perspexit seu fidenter coniecit, utiliora aut veriora passim in hac novissima editione enotavimus. Praecesserat 1788 Georgicorum editio simili modo adornata.

Me in recentioribus editionibus non pari diligentia quam in antiquioribus esse versatum, facile lector potuit animadvertere. Non enim consilii mei rationibus hoc conveniebat. Repetitiones edd. omisi. De his adeat qui volet Bipontinos.

Ita quoque de ceteris, quae sive ad literariam rem, sive ad varios philologorum et criticorum libellos spectant, ad Bibliothecam Fabricio-Ernestinam et ad Harlesii diligentiam remitto eos, quorum interest ea cognoscere.

ADDITIONS

À LA PRÉCÉDENTE NOTICE

PAR M. BARBIER.

Il reste bien peu de chose à faire, pour compléter les recherches de M. Heyne sur les principales éditions de Virgile. Les éditions suivantes m'ont paru mériter d'être mentionnées.

en papier superfin, et autant en papier vélin. Il y a trois exemplaires sur vélin.

M. Didot a remarqué dans ce livre environ trente fautes. Cela atteste, dit M. Brunet, dans son excellent *Manuel du Libraire*, que ce n'est pas sans raison que les éditions de Bodoni sont décriées. Il paraît cependant que ces fautes ont été corrigées dans une partie des exemplaires, pour lesquels on aura probablement réimprimé les feuilles qui contenaient les *errata* signalés. (B.)

P. V. M. Opera, *ex edit. Rich.-Fr.-Phil. Brunck. Argentorati*, 1789, gr. in-4°, pap. vél. Édition fort correcte.

P. V. M. Opera (edente Ioanne Augustino Capperonnier): Paris, Barbou, 1790, 2 vol. in-12.

Cette édition est remarquable par un *indiculus editionum Virgilii*, où le rédacteur a lutté contre les éditeurs des Auteurs classiques, imprimés à Deux-Ponts, comme les éditeurs de Deux-Ponts avaient cherché à surpasser le Catalogue chronologique des éditions de Salluste, fait en 1763, par Aug. Martin Lottin pour la traduction de Salluste par le P. Dotteville.

P. V. M. Bucolica Georgica etc. Parisiis, *Petr. Didot natu maior*, 1791, petit in-fol. pap. vélin, tirée à cent exemplaires. Il y a cinq exemplaires sur vélin.

P. V. M. Opera. Excudebat P. Didot natu maior, Parisiis, 1798 : grand in-fol. pap. vélin, avec fig. d'après Gérard et Girodet, magnifique édition, tirée a deux-cent-cinquante exemplaires. Un exemplaire sur vélin avec les dessins originaux est maintenant en Angleterre

P. V. M. Opera, *Londini*, *Dulau, typis Bensley*, 1800, 2 vol. gr. in-8°, fig.

Les figures de cette édition sont copiées sur celles de MM. Gérard et Girodet.

Parmi les additions, dont la notice rédigée par M. Heyne est susceptible, je ne dois point omettre les nouvelles éditions de son excellent commentaire sur Virgile.

L'édition imprimée à Leipsic en 1800, 6 vol. in-8°, se distingue par sa belle exécution typographique, ainsi que par les deux cent-quatre jolies vignettes, dont elle est décorée. Les exemplaires tirés sur papier vélin sont devenus très-rares.

On fait aussi beaucoup de cas de la réimpression faite dans la même ville en 1803, 4 vol. in-8°.

Le libraire de Londres, Richard Priestley, vient d'en publier une belle édition, en 4 vol. in-8° (1821).

Les papiers publics nous ont appris que l'on se proposait en 1813 de faire paraître, dans les États-Unis d'Amérique,

une nouvelle édition du Virgile de M. Heyne; j'ignore si ce noble projet a eu son exécution.

Je n'ai pu également m'assurer de l'existence d'une nouvelle édition de Virgile avec des notes par M. Charles Fea, avocat romain, avantageusement connu par l'édition d'Horace, qu'il a publiée à Rome, en 1811, en 2 vol. in-8°.

P. V. M. Opera omnia, ex editione Heyniana, cum notis et interpretatione in usum Delphini, variis lectionibus, notis variorum, excursibus Heynianis, recensu editionum et codicum, et Indice locupletissimo, accurate recensita. Londini: curante et imprimente A. J. VALPY, *A. M.* 1819, 8, vol. in-8°.

DE ANTIQVIS VIRGILII INTERPRETIBVS.

HEYNIO AVCTORE.

De antiquis Virgilii Interpretibus diligentius agere quum constituissem, fregit impetum, quod audieram, viros doctissimos inter Belgas quum maxime cum lapidem volvere. Ne prorsus expectationem destituam, nomina saltem, quae mihi se obtulere, apponam.

Quum de temporum, quibus vixere Grammatici, rationibus parum aut nihil constet, ad alphabeticum ordinem eos memorabimus; omnino illud praefati, si diligentius inquiras, paucissimos esse, quos data opera in Virgilium commentatos esse constet. Plerique in libellis suis grammaticis verba ex Virgilio laudarant et illustraverant, male propter haec in numerum Commentatorum relati. Praeiverat in plerisque Ge. Fabricius in Auctorum a Servio laudatorum Catalogo Servianis praefixo. Add. Burmann. Sec. praef. (p. 39) et Harles Notit. litt. Rom. p. 233.

Parum subtili iudicio inter Grammaticos referuntur *Tucca* et *Varius*, amici poëtae, quibus negotium ab Augusto datum esse fertur, ut Aeneidem emendarent. v. Vit. Virg. sub f. Donatus V. V. s. 52 sq.

Adamantius Martyrius: quo iure inter Virgilii commentatores habeatur, ignoro; nam, quae de Orthographia apud Cassiodorum ex eo excerpta sunt, nihil eiusmodi produnt.

Aemilius: apud Pompon. Sab. ad Aen. XI, 696, ubi v. verba in V. L. Nihil de eo aliunde constat.

Alexander: in Servianis ad VIII, 330, ubi Servius ipse eum sequi dicitur; quod et ap. Pompon. Sab. p. 399 extr. affirmatur de VI, 100. Add. ap. eund. p. 393 extr. p. 400, 401, 402, 404. Male de Alexandro Polyhistore cogitant viri docti. Probabilius est, fuisse eum, quem Maro puerum amasse et grammaticum dimisisse narratur in Donati Vita V. r. 20, 21.

L. Annaeus Cornutus. Aliquoties memoratur apud Serv. ad Aen. I, 45, 150, 488, IX, 348 et 675, et ad Ge. I, 277, ubi recte ille vetat, contra Probum, aspirationem in *Orcus* addi, ut sit Orchus. Apud Gell. II, 6, ubi de loco Ecl. VI, 73: *Nonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt.* Ne tamen proprie hoc dictum putes, alter locus eiusdem vetare videri potest: IX, 8: *sed Annaeus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus neque imprudens, in secundo tamen librorum, quos de figuris sententiarum composuit, egregiam totius istius verecundiae laudem (Coniugis infusus gr.* Aen. VIII, 404 sq.) *insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit. Nam* — membra *tamen*, *inquit*, *paulo incautius posuit.* Potuere igitur et reliqua in hoc vel simili opere apposita esse. Add. Macrob. Sat. V, 19. Verum tamen Charis. Instit. gr. I. Putsch. pag. 100, 37 Civitatium. *Annaeus Cornutus ad Italicum de Virgilio lib. X.* — et p. 102, 25 *L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis Aeneidis X.* — Conf. Burmann. praef. (p. 40), ubi Scalig. ad Euseb. p. 197 laudatur.

Apronianus (de quo v. sup. de Virgil. Codd. s. IV) inter Grammaticos, qui in Virgilium commentati sint, pluribus locis refertur a Pomponio Sabino; quo iure, non assequor.

Arusianus Messius: nobilis Grammaticus seu verius rhe-

tor, saec. V; cf. Saxii Onomast. T. I, p. 511, ubi v. qui laudantur; inpr. Burm. praef. in Virg. (p. 41). Sunt eius *Elocutionum exempla* ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone, per literas digesta.

Asconius Pedianus, qui sub Claudio et sequentibus annis vixit, an Commentarium in Virgilium scripserit, valde dubito. Fuit eius libellus contra obtrectatores Virgilii, teste Donato in V. V. s. 64, e quo petita esse videntur, quae in Servio et Philargyrio habentur ad Ecl. III, 105, IV, 11, et in Vita Virg. s. 21, 64, 65.

Asper: saepius ille in partes vocatus a Servio, etiam a Philargyrio. Ad Aen. VII, 648, *Contemtor divum*. Eum laudat Macrob. III, 5. Est *alius* antiquior, a Charisio, Prisciano, et aliis laudatus, *alius* iunior. De neutro quidquam ad liquidum perductum. Pomponius Sab. p. 153 in Aen. I, 88, *Eripiunt subito nubes caelumque diemque:* « Aemilius Asper in hoc loco ait: Haec membra uatura sic solet iungere. » Alius apud eundem locus est p. 400 ad Aen. VI, 114; item p. 401 et 419. Forte utroque loco leg. *Velius Asper*, idem qui Velius Longus. Benedictini Auctores Artis Diplom. Tom. III, p. 153, fragmenta Aspri in codice rescripto detexerant, et quidem siglis scripta; ex iis, quae inde apposuere, vix magnum fieri potest desiderium amissi operis. Posuerat grammatica et poëtica observata vel praecepta, subiectis pro exemplo Virgilianis verbis vel phrasibus.

Avienus. In Servio ad X, 272 « Avienus — qui iam bis scripsit Virgilii fabulas » et ad v. 388 « Avienus, qui totum Virgilium et Livium iambis scripsit » nullum fundum facit, cui aliquid superstruas. Ingeniose Wernsdorf. ad Poët. min. Tom. IV, p. 555 sqq. coniicit, Aeneidem contractam in breve carmen fuisse; alio autem loco, To. V, p. 673 ad Themata Virgiliana Avieni operam revocat. Non magis dixeris, quo libro illa de Cometis tradiderit, quae ibid. ad v. 272 memorantur. Avienus est inter eos, quos Macrobius Saturnalibus suis interesse voluit; diversus utique ab altero: vide Cannegiet. Diss. de Aviano c. 2.

Avitus. Donat. Vit. Virg. s. 63 « Sunt et Q. Octavii Aviti

Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit. »

Baebius Macer: laudatur a Servio ad Ecl. IX, 47, et Aen. V, 556. Ex neutro tamen loco commentatorem Maronis agnoscas.

Calvus vide *Titianus*.

Caper laudatur a Servio ad Aen. VI, 545, IX, 709, X, 788, XII, 121; quo ultimo loco veram lectionem prodit *Velati limo*. Nullus tamen locus probat, Caprum singularem in Virgilium librum scripsisse. Est autem Flavius Caper, cuius libellos grammaticos in Putschiano corpore habemus; alii periere.

Carminius. Eum in Virgilium scripsisse, loca ap. Servium ad Aen. VI, 638, 862, VIII, 406 vix probant; potuerunt omnia illa in libro *de elocutione* apposita esse, quem idem Servius memorat ad Aen. V, 233. At *Carminius de Italia libro secundo, curiosissimus et doctus scriptor*, ap. Macrob. V, 19, videtur Granius esse, quod Meursius coniectavit.

Carvilius Pictor: cuius liber fuit *Aeneidomastix*. Donat. Vit. Virg. s. 62.

Casuus Sacerdos: Eius *Paraphrasis super sex Virgilii libris*, item, *Trium Eclogarum V enarrationes*, cum aliis libris grammaticis fuere reperti in Cod. Bobiensi; testante Raph. Volaterr. Comment. Vrb. IV sub f., unde haec prodidit Fabric. B. L. Vol. III, p. 744. Forte Cassius Sacerdos verum nomen fuit.

Celsus, s. *Aruntius Celsus*, inter veteres grammaticos est, quorum excerpta in Auctorib. LL. exstant. Idem Plautum, Terentium, Virgilium, scholiis illustrasse fertur. Quae sub nomine Celsi laudantur, quum ad Georgica spectent omnia, in Cornelii Celsi libro *de re rustica* locum habere potuisse, ut nec neges, ita nec affirmes cum Bianconio Epp. de Celso, Ep. VII. Quae in Charisio occurrunt, p. 180 et 191, potuere in aliis libellis grammaticis occurrere.

Declamationes in Virgilium: Serv. in Aen. X, 532.

Ti. Claudius Donatus, recentior Aelio Donato, qui S. Hieronymi praeceptor fuit, Prisciano tamen et Servio, qui

cum laudant, antiquior, Grammaticus: de quo vid. apud Saxium. *Vita Virgilii*, quae ad eum refertur, si modo eum auctorem habet, foedissime a monachis est interpolata. *Commentarius in Aeneidem*, ad Ti. Claudium Maximum Donatum, filium, scriptus, partim et ipse interpolatus est, partim argutiis rhetoricis ad fastidium est refertus; quo factum adeo, ut pro supposititio habitus sit: cf. Burm. praef. (p. 37). Ferebantur in antiquioribus edd. fragmenta ex eo pauca, iam inde ab edit. Ven. 1489. Pleniorem e bibliotheca Ioviani Pontani eum vulgavit Scipio Capycius Neap. 1535, unde, vix magno cum fructu ad inventutem, recudi eum curavit Ge. Fabricius Basil. 1551, rep. 1561, 1575, 1586, 1613. Multo pleniora exemplaria in bibliothecis servari, a viris doctis affirmatur. vid. Burmann. praef. (pag. 38 sq.).

Eros librarius et libertus Virgilii. Donatus in Vit. Virg. s. 49.

Fabius Planciades Fulgentius de *allegoria libror. Virgilii ad Chalcidium Grammaticum*; sive de *expositione Virgilianae continentiae*. Primum ed. a Commelin. 1589, iterum a P. Daniele 1600, auctior e Cod. MS. et recusus a Munckero et van Staveren in auctoribus Mythographis Latinis. Vix ullum ex eo ad Virgilium fructum speret aliquis, quum insulsissime detorqueat nominum et sententiarum rationes ad virtutis morumque occultas interpretationes grammaticus ineptissimus. Quando vixerit, parum constat, nec expedire potuit Muncker. in praef. ad eum, nisi quod Afer fuit, et Vandalis Africam tenentibus saeculo forte sexto vixit.

Glossariolum Virgilianum prisco Maronis codici subiectum tractaverat Casp. Barthius, unde in Advers. XXXVII, 5 specimen proposuit. Comparando poterunt forte firmari nonnulla iam aliunde nota; alia sunt depravata et interpolata.

Gnifo. M. Antonium Gniphonem, de quo Sueton. ill. Gr. 7 memorat, in Georgica scripsisse, a Charisio proditum esse (Grammat. Putsch. p. 184, 3) aiunt; nec tamen ille locus necessario hoc infert. Omnino eundem esse negat Burmann. praef. (p. 40) cf. Heins. ad Claudian. pag. 180, ubi Schol. ad Ge. II, 119 MS. Leid. excitat.

« *Grilius* ad Virgilium de accentibus scribens » apud Priscian. Putsch. p. 560, 26.

Hebrus. Serv. ad Aen. VII, 6 *Quierunt :* « Hebrus *quierant* legit. » Ad e. l. Burm. « Parrhas. Quaesit. per Epist. IV, 5 legit : Acron Helenius. » Parum tamen probabile.

Herennius : vitia Virgilii contraxerat. Donat. Vita Virg. s. 62.

Hyginus. Iulius Hyginus : inter Commentatores Virgilii vulgo refertur. Forte idem eius liber fuit, qui *de agricultura* laudatur. Gell. I, 21 de loco Ge. II, 246, 247, *Hyginus, non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quae in Virgilium fecit,* — (invenerat *amaror*) et XVI, 6 *Hyginus Iulius — in quarto librorum, quos de Virgilio fecit.* Exscripsit Macrob. VI, 9, ubi *in quinto librorum* legitur. Est etiam locus in Aen. VII, 187, quem ille reprehenderat, Gellio teste V, 8; fieri tamen hoc potuit aliis in libellis, ut *de Vrbibus Italicis*, *de Familiis Troianis*, quos Servius nec minus laudat. Ex priore utique libro petitum, quod in Servio habetur ad Aen. I, 277 et 530, VII, 47. Nescio unde petitum sit, quod in Servio legitur ad XII, 120 et ap. Iul. Sabin. ad VI, 616, pag. 401.

Iunii Philargyrii, vel *Philargyri*, Scholia in Bucolica et Georgica ad Valentinianum; unde colligere licet, si modo Valentinianus Augustus is est, Valentiniani Imp. aevo eum vixisse. « Illud certe constare putabat Vrsinus, eum non longe a Servii aetate abfuisse, et Virgilii chirographo usum esse, ut ex eius commentario apparet, in quo multa proferuntur ex iis scriptoribus, qui temporibus non nisi antiquissimis exstabant. » Sunt multa quae adversus haec disputari possint; rem tamen in medio relinquimus. Exstant ex eo excerpta fragmento vetusto Serviano inserta et ab Vrsino exscripta. vide sup. Edd. 1587, 1589. Inde in ed. P. Danielis 1600 et a P. Burmanno repetita. Notata in eum sunt nonnulla a Iano Broukhusio Tom. I edit. Burmann. add. eiusd. praefat. (pag. 34) et ante eum Ianum Rutgers. Var. Lect. VI, 15.

Iulius Pomponius Sabinus. De hoc satis multa dicta sunt sup. ad Edd. 1486, unde rep. 1519, 1544, 1561 et al. Basil.

Martius Salutaris a Charisio Putsch. p. 181, 18, 203, 46 ad verba Virgiliana excitatur. Sed potuit hoc in opere grammatico diversi argumenti fieri.

Melissus. Fuit utique hoc nomine grammaticus: de quo v. Sueton. ill. Gr. 21. An vero in Virgilium commentatus sit, alia quaestio est. Quod apud Donatum Vit. Virg. s. 27 ille tradidit, Virgilium sermone tardissimum fuisse, in libris *Ineptiarum* scriptum esse potuit. Ad Aen. VII, 66 in Servio est: Melissus « qui de apibus scripsit » hoc ab indocto interpolatore insertum esse arbitror.

Modicius a Pontano et Cerda passim ad Aeneidem laudatur; noli tamen inter veteres Grammaticos eum referre. Est Gulielm. Modicius saec. XVI excuntis poëta et grammaticus, qui *Virgilium a calumniis vindicatum* scripsit.

Nigidium Servius laudat; non vero tanquam grammaticum, qui in Virgilium commentatus sit. Eius *Commentarius grammaticalis* indefinite memoratur ap. Serv. ad I Ge. 102.

Nisus grammaticus passim laudatur in Opere Putsch. Quod inter Virgilii commentatores refertur, petitum est ex Vita Virg. Pseudodonati s. 60.

Perilius Faustinus furta Virgilii collegerat. Donat. Vita Virg. s. 62.

Pollio. In Servianis ad Aen. VI, 554, ubi de aura ac vento in locis inferis agitur (conf. ad Ge. IV, 484) « De illo enim loco multi quaerunt: *quis tantus plangor ad auras?* Sed Pollio dicit Aeneae et Sibyllae, quas illi secum traxerant; quum constet etiam illic esse auras. » Iul. Sabinus ad VI, 134 *Bis Stygios*. « Pollio admiratur, quum Aeneas esset futurus deus, cur dicat *bis*. Solvitur hoc, quia apud Homerum Vlysses vidit umbram Herculis apud inferos. » Similes itaque ineptias in Maronem contulerant, qualea Porphyrii aliorumque fuere in Homerum.

Probus. *Valerius Probus* Grammaticus; qui sit inter varios Proboa, disputantem vid. Burmann. Sec. praef. (p. 35) et Tom. I Anthol. pag. 739. Probum illum veterem ex Neronis temporibus bene novimus ex Suetonii Ill. Gr. cap. 24; alter fuit saeculi Adrianei. Laudatur a Gellio IX, 9 eius iu-

dicium de verss. Aen. I, 500 sq., aliud XIII, 20, ubi Georgicorum ms. autographum Virgilii habuisse narratur. Saepe Servio in Aeneidem, semel in Georgica, memoratur; etiam Donato in Comm. in Terent. et Macrob. V, 22. Commentarius eius in Bucolica et Georgica circumfertur, sed nomine tantum; sunt enim, uno vel altero loco forte excepto, tenuia et ieiuna excerpta, eaque interpolata, quae primus in lucem protulit Io. Bapt. Egnatius in edit. 1507 « quemadmodum illa ex codice vetustissimo ms. Bobii quondam a Georgio Merula invento adnotaverat. Repetitus inde est a multis, et Servii, Donati, aliorumque commentariis fere adiectus.

Servius Maurus Honoratus saec. V grammaticus. De eo vid. Burmann. praef. (p. 20 sq.). Alios, de eo qui egerint, vid. apud Saxium Onomast. Tom. I, pag. 471 add. Masvic. praef. De interpolationibus cf. Iusti Specim. Obss. crit. p. 35. Commentarium in Aeneidem prius exaraverat, tum in Eclogas, ultimo loco in Georgica; conf. Burmann. praef. (p. 22) et ad Ge. I, 208. Ex trinis his Commentariis habemus farraginem, bonis malisque, seriis ac nugis, adeo commixtam, ut, quid ad Servii auctoritatem referre malis, interdum vix in promptu habeas. Vsus saltem eius ad interpretandum poëtam esse potest exiguus aut nullus nisi accesseris ad poëtam ita iam literarum peritia et usu instructus, ut, quae tollenda an relinquenda sint, perspectum habeas. Sane multa inesse ex antiquioribus Interpretibus servata, dubitare vix licet; nec minus tamen innumera a serioribus attexta. Habuit enim idem fatum Servius, quod Graeci grammatici, ut essent, modo qui antiqua contraherent vel omitterent, modo qui excerptis alia, plerumque deteriora, admiscerent aut e margine insererent. Mirum hominis est studium revocandi pleraque ad veteres Romanas religiones, Pontificias et Flaminias; nec multum abest, quin Aeneam Flaminis munere fungentem exhibeat. Nullus est codex, qui omnia, quae sub eius nomine habemus, complectatur. Quid? quod narrant adeo codices nondum inspectos exstare ampliores iis, qui expressi sunt: v. Burmann. praef. (p. 27); adde *de Brosses Sallusto*

Tom. III, p. 393. Primae editiones Servii valde erant contaminatae; itaque per superiores aetates virorum doctorum incredibile fuit studium in congerendis undique et amplificandis laciniis Servianis. De editionibus quidem diligenter actum est in edd. Virgilii recensu. Primo statim impetu a. 1471 prodiere edd. quinque. Emendarunt Servium Phil. Beroaldus, Lud. Carbo, P. Cenninus, Io. Calpurnius, Io. Bapt. Egnatius, Rob. Stephanus, Ge. Fabricius, Fulv. Vrsinus, P. Daniel, Masvicius, Burmannus.

Terentius Scaurus, clarissimus Grammaticus, quo iure inter Commentatores Virgilii referatur, non reperio.

Titianus. «Et Titianus et Calvus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt et conformaverunt ad dicendi usum» rhetores: Serv. ad Aen. X, 18. Idem ad Aen. IV, 42 eius *Chorographiam* laudat. Conf. de eo Cannegieter ad Avian. p. 278 et Wernsdorf. P. L. M. Tom. V, p. 666 sq.

Trogus. Servius ad Aen. VI, 783 *animos aequabit Olympo.* — «De hoc autem loco Trogus et Probus quaerunt.» vid. ibid. Var. Lect. Laudatur Reines. Epp. ad Hofmann. pag. 660; nihil tamen ibi reperies praeterquam libertum Trogum ex marmore.

Velius Longus, nobilis grammaticus. Macrob. Sat. III, 6. «*saxo vetusto* Aen. III, 84. Velius Longus: immutatio est, inquit, epitheti; vult enim dicere vetustatem templi: hunc multi alii commentatores sequuti sunt.» Charis. lib. II in Putsch. p. 153, 17 «*dixere* pro dixerunt — quam figuram alii duplicem existimant, de qua etiam Velius Longus in secundum Aeneidos satis commentatus est: *Conticuere omnes intentique ora tenebant.*» In Servianis ad Aen. X, 245: «Longus ait: deest *venerit*, unde et ipse *spectabis* legit.»

Victorinus. Vnus Servii locus ad Aen. V, 373 *In mare purpureum.* — «Vnde apparet Victorinum hoc loco errasse, qui *purpureum mare* rubrum esse dixit, quod est iuxta Indiam.» Est is forte Fabius Marius Victorinus saec. IV rhetor, cuius libelli in Grammat. vet. habentur.

Virgiliomastix: apud Serv. ad Ecl. II, 22 et Aen. V, 521:

Vrbanus. Ad decem sunt loca in Ge. et Aen. ap. Servium; unde vix licet dubitare, eum iu Virgilium commentarios scripsisse.

TRADUCTIONS
DES
OEUVRES DE VIRGILE
EN DIVERSES LANGUES.

PAR M. BARBIER.

TRADUCTIONS FRANÇAISES.

Traductions complétes de Virgile en vers français

1529. *Paris, Nicolas Couteau pour Galiot du Pré, in-fol.*
Les Oeuvres de Virgile translatées du latin en (vers) français, (les Bucoliques et les Géorgiques, par *Guillaume Michel*, dit *de Tours*, et l'Énéide par *Octavian de Sainct-Gelais*).

Cette traduction a été réimprimée chez *Le Messier*, en 1532, et chez *Jean Longis*, en 1540, in-fol.

C'est mal-à-propos qu'on lit *Le Messie*, au lieu de *Le Messier*, dans les notices de Deux-Ponts, de Strasbourg et de Londres.

1578, 1580 ou 1588. *Paris, chez Claude Micart, petit in-12.*
Les Oeuvres de Virgile, traduites de latin en (vers) français. Les Bucoliques et les Géorgiques, par *Clément Marot et Richard Le Blanc*; les douze livres des Énéides par *Loys des Mazures*, et de nouveau a été ajouté un treizième livre par Mapheus, ensemble les épigrammes sélectes de Virgile, traduites de latin en français par *Pierre de Mouchault.*

Cette édition a été réimprimée à *Anvers, chez Humbert*, en 1582, in-18, et en 1616, à *Cologny près de Genève*, in-16.

1582. *Paris*, *Thomas Perier*, *in-4°*.

Oeuvres de Virgile Maron translatées en vers français, par *Antoine et Robert le chevalier d'Agneaux*, frères, de Vire en Normandie.

Cette traduction a été réimprimee avec le texte latin en marge, à *Paris*, *chez G. Auvray*, 1583, in-8°, et *chez David Le Clerc*, 1607, in-8°.

Les notices de Strasbourg et de Londres, d'après le Catalogue de la Bibliothèque du Roi, *Belles-Lettres*, T. I, p. 294, n° 922, citent une édition imaginaire de cette traduction, sous la date de 1529. Les frères d'Agneaux n'ont commencé à se faire connaître que sous le règne de Henri III.

1673. *Paris*, *chez Jacques et Emmanuel Langlois*, *in-4°*.

Toutes les Oeuvres de Virgile, traduites en vers français, par l'abbé *de Marolles*, divisées en deux parties, dédiées au Roi. Première partie, contenant les Bucoliques et les Géorgiques, et plusieurs autres poëmes (en particulier tous ceux qui ont été supposés à Virgile) avec des remarques, des jugements (sur ceux qui ont traduit Virgile avant Marolles, et sur lui-même); seconde partie contenant les douze livres de l'Énéide, avec des remarques et des tables.

1810. *Paris*, *Maradan*, *quatre volumes in-8°*.

Le Génie de Virgile, ouvrage Posthume de *Malfilâtre*, publié d'après les manuscrits autographes, avec des notes et des additions par *S. A. M. Miger*.

Quoique cet ouvrage porte le nom seul de *Malfilâtre*, on y trouve plusieurs morceaux de Virgile traduits en vers par différents auteurs, savoir: les Bucoliques, par MM. *Dorange* et *Tissot*; l'Énéide, par MM. *Delille*, *Gaston*, *Fayolle*, *Lombard* et *Becquey*. On y retrouve aussi des observations importantes, et des extraits remarquables du Cours de poésie latine de N. E. Lemaire.

Bucoliques traduites en vers.

1516. *Paris*, *de La Garde*, *in-4°*.

Les Bucoliques de Virgile Maron, avec cinq autres livres par lui composés; c'est a savoir, Virgile du Vergier et de la lettre Pythagoras y graecum, de l'invention des Muses, du chant des Sirènes et de la Roze, tous

par rime, translatés du latin en français, par *Guillaume Michel*, dit *de Tours*, avec l'exposition en prose.

1555. *Paris*, *Charles l'Angelier*, *in*-8°.

Les Églogues de Virgile, traduites en vers français, par *Clément Marot*, et *Richard le Blanc.*

1580. *Genève*, *Baptiste Pignereul*, *in*-8°.

Les Bucoliques et les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français, avec la vie du poëte, etc., par *Pierre Trehedan.*

1621. *Paris*, *Antoine Estienne*, *in*-4°.

Les Bucoliques de Virgile, traduites en (vers) français, par *Pierre de Marcassus.*

1689. *Paris*, *Barbin in*-12.

Les Bucoliques de Virgile en vers français, par le sieur P*** (*Porry*).

1701. *Beziers*, *in*-12.

Traduction des Églogues de Virgile en vers (par *le Pul*),

1717. *Rouen*, *in*-12.

Les Églogues de Virgile, traduites en vers français, avec le latin à côté, par *Henri Richer*, avocat.

Cette traduction a été réimprimée à *Paris*, en 1736, in-12.

1732. *Paris*, *in*-12.

Oeuvres mêlées (de l'*abbé de la Roche*), contenant les Églogues de Virgile, traduites en vers français, etc.

1734. *Blois*, *in*-12.

Les poésies de M. G*** (*Gresset*) contenant les Églogues de Virgile en vers français.

On trouve cette traduction dans les différents recueils des oeuvres de *Gresset*: c'est plutôt une imitation.

1793. *Paris*, *Girod et Tesner*, *in*-8°.

Les Églogues de Virgile, traduction nouvelle en vers.

1800. *Paris*, *in*-8°.

Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, accompagnées de remarques sur le texte, et de tous les

passages de Théocrite que Virgile a imités, par *P. F. Tissot.*

Une troisième édition de cette traduction, revue et corrigée, a paru en 1811 dans le format in-18.

1805 *Paris, in-8°.*

Éclogues de Virgile, traduites en vers français par *Urbain Domergue,* à la suite de son *Manuel de la langue française.*

L'auteur avait déjà publié cette traduction en 1790, dans son *Journal de la Langue française*, qui est très-rare.

1806. *Paris, Michaud, in-4°, in-8° et in-18.*

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français et accompagnées de remarques sur le texte (par *M. de Langeac*).

Cette traduction a été imprimée pour compléter le travail de l'abbé Delille sur le prince des poëtes latins.

1806. *Paris, Firmin Didot, in-8° et in-12.*

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français; précédées de plusieurs idylles de Théocrite, de Bion et de Moschus, par M. *Firmin Didot.*

1809. *Paris, Delaunay, in-12.*

Les Bucoliques de Virgile, traduction nouvelle en vers français, par *P. Dorange.*

1809. *Paris, Nicolle, in-12.*

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, par *Charles Millevoye.*

1810. *Paris, Du Broca, in-12.*

Les Bucoliques de Virgile, traduites littéralement en vers français par *D. R. E. L. C. D. C.*

1810. *Paris, de l'imprimerie de Lefebvre, in-8°.*

Traduction littérale en vers français des cinq premières Éclogues de Virgile.

1812. *Paris, Brunot-Labbe, in-12.*

Éclogues de Virgile, traduites en vers français par *F. G. de La Rochefoucauld*, sous-préfet des Andelys.

1813. *Paris, le Prieur, in-18.*

Églogues de Virgile, traduction nouvelle en vers français, avec le texte latin en regard.

1813. *Paris*, *Cussac*, *in*-8°.

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, et accompagnées de notes sur les beautés du texte par J. A. D*** (*Jean-Achille Deville*).

1814. *Cherbourg*, *Boulanger*, *et Paris*, *Thomines*, *in*-12.

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, par *Alexandre Louis Baudin* (avec le texte en regard).

1817. *Albi*, *Baurens*, *petit in*-12.

Églogues de Virgile, traduites en vers par *M. Théodore Boyer*, capitaine de cuirassiers.

1818. *Paris*, *Delalain*, *in*-12.

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, accompagnées de notes sur le texte et de tous les passages de Théocrite, que Virgile a imités, par *Henri de Villodon*, chef d'institution.

Une seconde édition de cette traduction a été publiée par l'auteur en 1821.

1819. *Clermont-Ferrand*, *in*-12.

Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers français, par *M. Ract-Madoux*.

1821. *Paris*, *Bobée*, *in*-8°.

Les Bucoliques de Virgile, traduction nouvelle en vers français, avec tous les passages imités des auteurs grecs et latins par Virgile, et des auteurs des diverses nations qui ont imité Virgile, par *M. Stanislas Maisony de Laureil*.

Géorgiques traduites en vers.

1519. *Paris*, *Durand Gerlier*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile Maron, translatées en français, et moralisées par *Guillaume Michel*, dit *de Tours*.

1554. *Paris*, *Langelier*, *in*-8°.

Les quatre livres des Géorgiques de Virgile, traduits en carme français, par *Richard le Blanc.*

1708. *Rouen*, *Maurry*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français, ouvrage posthume de *M. Martin*, (donné au public par *le Bas Du Coudray*, conseiller honoraire de la cour supérieure des comptes et finances de Rouen).

1712. *Paris*, *Le Febvre*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français, ouvrage posthume de *Segrais*, (donné au public par *Hubert le Tors*, avocat à Avallon).

1770. *Paris*, *Bleuet*, *in*-8° *et in*-12.

Les Géorgiques de Virgile, traduction nouvelle en vers français, enrichie de notes et de figures, par l'abbé *Delille.*

Ce célèbre traducteur publia chez le même libraire, en 1785, une nouvelle édition, avec les variantes au bas des pages. Il serait difficile d'énumérer les réimpressions de cette traduction, faites en France et dans les pays étrangers.

On peut lire avec beaucoup de fruit les observations critiques de *Clément* sur cette traduction. *Paris*, 1771 et 1772, 2 *vol. petit in*-8°.

1784. *Paris*, *Nyon l'aîné*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français, par *M. de Pompignan.*

Voyez le tome IV de ses Oeuvres. Cette traduction a été réimprimée séparément en 1799, in-12.

1802. *Paris*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français, le texte à côté de la traduction, avec des remarques sur celle de M. Delille, par *J. F. Raux.*

1804. *Paris*, *in*-8°.

Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers français par l'abbé *de Cournand*, professeur au collège de France.

Énéide traduite en vers.

1509. *Paris*, *Antoine Verard*, *in-fol.*
Les Énéides de Virgile, translatées de latin en (vers) français par messire *Octavian de Sainct-Gelais*, en son vivant Évesque d'Angoulême, revues et cottées par maître *Jehan Divry*, bachelier en médecine.

Cette traduction a été réimprimée en 1529, par *Nicolas Couteau pour Galiot du Pré*; et en 1540, chez *Jean Longis*, in-fol.

1552. *Lyon*, *Jean de Tournes*, *in-4°*.
Les quatre premiers livres de l'Énéide en vers français par *Loys Desmazures*.

Cette traduction a été réimprimée à *Paris*, en 1551, in-8°.

1552. *Paris*, *Vincent Certenas*, *in-12*.
Le quatrième livre de l'Énéide de Virgile, traduit en vers français, par J. D. B. A. (*Joachim du Bellay*, *Angevin*).

Réimprimé avec d'autres ouvrages de l'auteur. *Paris*, 1553, in-8°.

1560. *Lyon*, *Jean de Tournes*, *in-4°*.
Les douze livres de l'Énéide, traduits en vers français par *Loys Desmazures*.

1561. *Paris*, *Frédéric Morel*, *in-4°*.
Deux livres de l'Énéide, le quatrième et le sixième, traduits en (vers) français, par *Joachim du Bellay*, *Angevin*, avec la mort de Palinure, tirée du cinquième livre de l'Énéide, etc.

Réimprimés dans les *Oeuvres* de l'auteur. *Paris*, *F. Morel*, 1569, in-8°; *P. Le Voitrier*, 1584, in-12; et *Rouen*, 1597, in-12.

1574. *Genève*, *Abel Rivery*, *in-8°*.
Les quatre premiers livres de l'Énéide de Virgile, mis en vers héroïques français, par *Pierre Tréhédan*.

1603. *Paris*, *in-8°*.
Traduction un peu paraphrasée du deuxième livre de l'Énéide de Virgile, par *Jean Bertaut*, évêque de Séez.

1611. *Paris*, *R. Estienne*, *in*-4°.

Partie du premier et du quatrième livre de l'Énéide de Virgile, traduite en vers, par le cardinal *du Perron*.

1621. *Paris*, *in*-8°.

Partie du quatrième livre de l'Énéide, avec une oraison de Tacite, et une de Salluste, traduites par mademoiselle *de Gournay*.

1628. *Paris*, *Lacquehay*, *in*-8°.

Partie du premier livre de l'Énéide, commençant où le cardinal du Perron achève de le traduire, par mademoiselle *de Gournay*.

1640. *Agen*, *Jean Gayau*, *in*-8°.

Les Oeuvres de maître *François Philon*, docteur en droit, contenant la traduction en vers français des douze livres de l'Énéide de Virgile, et quelques autres pièces.

1648. *Paris*, *des caractères de Pierre Moreau* (*imitant l'écriture bâtarde*), *in*-4°.

L'Énéide, traduite en vers français, première partie, contenant les six premiers livres, par *Pierre Perrin*, conseiller du Roi.

La seconde partie, contenant les six derniers livres de l'Énéide, fidèlement traduite en vers héroïques, avec le latin à côté, et des remarques par le même *P. Perrin*, a été imprimée en 1658, in-4°, et se vendait chez *Étienne Loyson*. L'ouvrage entier, revu et corrigé par l'auteur, a eu une seconde édition. *Paris*, *Loyson*, 1664, 2 vol. in-12.

1658. *Paris*, *de Percy*, *in*-12.

Le quatrième livre de l'Énéide de Virgile, traduit en vers, par le président *Nicole*.

1668. *Paris*, *Claude Barbin*, *in*-4°.

Traduction de l'Énéide (en vers français) par *Jean Renaud de Segrais*, de l'académie française, première partie contenant les six premiers livres.

La seconde partie, contenant les six derniers livres, parut chez le même libraire en 1681, in-4°.

Les deux parties ont été réimprimées ensemble à *Amsterdam*, en 1700, 2 vol. in-8°; et à *Lyon*, en 1719, 2 vol. in-8°.

1670. *Paris*, *in*-12.

Oeuvres posthumes de *Gilles Boileau*, de l'académie française, contenant le quatrième livre de l'Énéide de Virgile, traduit en vers français, etc.

1742. *Paris*, *Coignard*, *in*-12.

Les amours d'Énée et de Didon, poëme traduit de Virgile en vers, avec d'autres imitations d'anciens poëtes grecs et latins, par le président *Bouhier*.

1778. *Paris*, *in*-4°.

Didon, poëme en vers métriques hexamètres, divisé en trois chants; traduit du quatrième livre de l'Énéide de Virgile, avec le commencement de l'Énéide et les deuxième, huitième et dixième Éclogues du même auteur, (par le ministre *Turgot*) le tout accompagné du texte latin.

Cet ouvrage n'a été imprimé qu'au nombre de douze exemplaires.

M. le Comte François de Neufchateau l'a fait réimprimer dans le premier volume de son *Conservateur*. Paris, Théophile Barrois, 1800, 2 vol. in-8°.

1798. *Berlin et Paris*, *Pougens*, *in*-8°.

Le quatrième livre de l'Énéide, traduit en vers français, par *M. Dufour*.

1798. *Paris*, *deux volumes in*-8°.

Énéide de Virgile, traduite en vers français par *C. P. Boissière*.

Nouvelle édition, ou au moins changement de frontispice en 1803.

1803. *Paris de l'imprimerie de Gillé fils, in* 8°.

L'Énéide de Publius Virgile, traduite en vers français, (par *M. Frécot-Saint-Elme*, juge suppléant au premier tribunal à Alençon.)

C'est la traduction qui commence par ce vers:

Moi, celui qui jadis sur un pipeau champêtre.

1804. *Paris*, *Laurens*, *in*-8°.

Le sixième livre, traduction nouvelle en vers français, par L. D.

1804. *Orléans, Jacob l'aîné, deux vol. in*-8°, et avec le texte latin, *trois vol. in*-8°.

Traduction de l'Énéide de Virgile en vers, suivie de notes littéraires et morales (par *M. Deloyne d'Autroche*).

1804. *Paris, Giguet et Michaud, quatre vol. in-8°.*

L'Énéide traduite en vers français par *Jacques Delille*, avec des remarques sur les principales beautés du texte (par *M. Michaud* de l'académie française).

La même année, cette traduction a été réimprimée à Londres en 2 vol. in-8°, sans le texte.

Une seconde édition, revue et corrigée avec les variantes, a été publiée en 1813; 4 vol. in-8° et in-18.

On lit sur le frontispice d'une troisième édition publiée en 1820, 4 vol. in-18, que les remarques sont de MM. *Delille*, *Fontanes*, *Michaud* et *Walckenaër*.

1808. *Paris, Léopold Collin, quatre vol. in-12.*

L'Énéide, traduite en vers, par *M. J. Hyacinthe de Gaston*, proviseur du Lycée de Limoges, ancien officier de chasseurs. Seconde édition avec le texte et des notes, ouvrage adopté pour les Lycées.

L'auteur avait publié, en 1803 et en 1806, les premiers essais de cette traduction.

1808. *Paris, in-12.*

L'Énéide, traduite en vers français par *M. F. Becquey*, inspecteur de l'académie de Paris; première partie, contenant les quatre premiers livres.

1808. *Paris, in-8°.*

Le sixième livre de l'Énéide, traduit en vers français par *M. Fayolle*, avec des notes littéraires

Traductions complétes des Oeuvres de Virgile en prose.

1649. *Paris, Guillaume de Luyne, in-fol.*

Les Oeuvres de Virgile, traduites en prose, enrichies de figures, tables, remarques, etc., par *Michel de Marolles*, abbé de Villeloin.

Réimprimées avec de nouvelles remarques, chez le même libraire, en 1662, 3 vol. in-8°.

1681. *Paris*, *Coignard*, *trois vol. in*-12.
Virgile, de la traduction de *M. Étienne* (*Algay*) *de Martignac*, avec des remarques et une dissertation sur Virgile.

Réimprimée à Lyon, en 1687, et à Paris, en 1708.

1716. *Paris*, *Barbou*, *six vol. in*-12.
Traduction des Oeuvres de Virgile, en prose poétique, avec des notes critiques et historiques, par le *P. Catrou*, jésuite.

Réimprimée avec des augmentations, à Paris, en 1729, 4 vol. in-12.

1717. *Paris*, *trois vol. in*-12.
Traduction des Oeuvres de Virgile, en prose poétique, avec des notes, présentées au Roi, par *Jean Mallemans*, chanoine de l'église de Sainte-Opportune.

1721. *Lyon*, *Louis de Claustre*, *quatre vol. in*-12.
Les Oeuvres de Virgile, traduites en français avec le texte à côté et des notes critiques et littéraires, (par le P. *Jean-Claude Fabre*, oratorien.)

Cette traduction a été réimprimée en 1741.

1736. *Paris*, *J. Barbou*; *quatre vol. in*-8°.
Les Oeuvres de Virgile, traduction nouvelle, avec des notes, par l'abbé *de La Landelle de Saint-Remy*.

1743. *Paris*, *Quillau le père*, *quatre vol. in*-8°.
Les Oeuvres de Virgile, traduites en français, le texte vis-à-vis la traduction, avec des remarques par l'abbé *Guyot Desfontaines*.

Réimprimées à Paris, en 1754, 1770, 1783, 1789, 1797, etc.

1746. *Paris*, *Desaint et Saillant*, *quatre vol. petit in*-12.
Oeuvres de Virgile, en latin et en français, nouvelle édition, revue et corrigée.

C'est la traduction de l'abbé *de La Landelle de Saint-Remi*, revue et corrigée principalement par *Jean-Nicolas Lallemand*, professeur de rhétorique au collége de la Marche. Cette traduction a été souvent réimprimée. On l'appelle ordinairement la traduction des quatre professeurs.

1783. *Paris*, *trois vol.*, *in*-12.
Les Oeuvres de Virgile, traduites en français par *M.*

Le Blond, avec des notes et une dissertation préliminaire.

Réimprimées en 1797.

1787. *Paris*, *Barbou*, *deux vol. in*-12.

Oeuvres de Virgile en latin et en français (traduction du P. *Catrou*, jésuite, revue par *de Barrett*).

1804. *Paris*, *Le Normant*, *quatre vol. in*-12.

Oeuvres de Virgile, traduction nouvelle par *Réné Binet*. ancien recteur de l'université de Paris.

La troisième édition de cette traduction a paru en 1816.

N. E. Lemaire, éditeur de cette Collection, se glorifie d'être un des disciples de cet estimable traducteur.

Bucoliques traduites en prose.

1666. *Paris*, *Claude Thiboust*, *in*-12.

Nouvelle traduction des Bucoliques de Virgile, avec des notes (par *Thomas Guyot*, l'un des maîtres des petites écoles de Port-Royal).

Réimprimée en 1680 et en 1691.

1708. *Paris*, *J. Estienne*, *in*-12.

Traduction des Éclogues de Virgile, avec des notes critiques et historiques (par le P. *Catrou*, jésuite).

1724. *Paris*, *Barrois*, *in*-12.

Les Éclogues de Virgile, traduction nouvelle, avec des notes historiques et critiques, où l'on a inséré les endroits que Virgile a imités de Théocrite, avec un discours sur la poésie pastorale, par *Antoine Vaillant*, professeur de seconde au collège d'Harcourt.

1788. *Paris*, *in*-12.

Oeuvres de Virgile, traduction nouvelle par *M. Gin*.

L'auteur a publié seulement la traduction des *Bucoliques*, qui a été réimprimée en 1801, à la suite de sa traduction des Idylles de Théocrite.

1802. *Paris*, *Desenne*, *in*-8°.

Les Éclogues de Virgile, traduction nouvelle, enrichie de notes critiques, historiques, mythologiques, etc.,

par *P. F. Decheppe*, ancien chef d'une maison d'éducation.

1802. *Paris*, *La Villette*, *in-8°*.

P. Virgilii Bucolica cum versione gallica interlineari, auctore *B. J. Legat*.

1821. *Paris*, *Delalain*, *in-12*.

Bucoliques de Virgile, traduction interlinéaire avec des notes par *E. L. Frémont*.

On doit à M. *Gail* des observations littéraires et critiques sur les Eclogues de Virgile, à la suite d'observations du même genre sur Théocrite; *Paris*, 1805, in-12.

M. Bertholon de Pollet à publié, sous le voile de l'anonyme, un *Essai sur les Bucoliques de* Virgile; *Lyon*, 1809, in-12.

N. E. Lemaire, professeur de poésie latine à la faculté des lettres, a traduit et paraphrasé la 4e Églogue de Virgile. *Paris*, in-4°, 1812.

Géorgiques traduites en prose.

1678. *Paris*, *veuve de Cl. Thiboust*, *in-12*.

Nouvelle traduction des Géorgiques de Virgile avec des notes (par *Thomas Guyot*).

Réimprimée en 1691 avec la traduction des Bucoliques par le même auteur.

1811. *Lyon*, *frères Perisse*, *in-12*.

Les Géorgiques de Virgile, avec une double traduction, l'une littérale et l'autre conforme au génie de la langue française, et des notes pour l'intelligence du texte, par *M. Vidal*, ancien professeur de belles-lettres; deuxième édition revue et corrigée.

1821. *Paris*, *Delalain*, *in-12*.

Géorgiques de Virgile, traduction interlinéaire, conforme aux explications écrites dans les collèges, avec des notes pour faciliter l'intelligence du texte, par *E. L. Frémont*.

Énéide traduite en prose.

1483. *Lyon, chez Guillaume Le Roy, in-fol.*
Le livre des Énéides compilé par Virgile, translaté de latin en français.

1541. *Paris, Denis Janot, in-fol.*
Les quatre premiers livres des Énéides du très-élégant poëte Virgile, traduits en prose par *Hélisienne* (dame) *de Crenne.*

1617 et 1619. *Paris, du Bray, quatre vol. in-12.*
Les étranges Aventures d'un grand prince, etc., traduction du premier livre de l'Énéide, par *de La Motte Du Tertre.*
L'Empire de la fortune, etc., traduction du second livre de l'Énéide, par le même.
Les fortunes d'Énée, traduction du troisième livre de l'Énéide, par le même.
L'Amour et la Mort d'une reine, etc., traduction du quatrième livre de l'Énéide, par le même.

L'abbé Goujet ne connaissait que ce quatrième livre. Voyez sa *Bibliothèque française*. T. V, p. 157 et suiv.

1618. *Paris, Claude Collet, in-8°.*
Énéide de Virgile, où sont décrites la naissance de l'empire de Rome, les diverses fortunes, gestes, amours, voyages et combats du magnanime Énée, prince des reliques de Troie, mise en prose française par C. M. S. (*Claude Malingre Sénonois*).

1626. *Paris, Toussaint Du Bray, in-8°.*
L'Énéide de Virgile en prose française, savoir, les six premiers livres par le sieur (*de La Motte*) *du Tertre;* et les autres par *Du Pellicl;* avec enrichissements de figures.

1648. *Paris, Sommaville, in-4°.*
L'Énéide de Virgile, traduite en français par le sieur *de Tournay.*

1666. *Paris, P. Le Petit, in-4°.*

Traduction des quatrième et sixième livres de l'Énéide de Virgile, avec le texte à côté, par le sieur *de Bonlieu*, (c'est-à-dire *Louis Le Maistre de Sacy*, aidé de *P. Nicole*).

1668. *Paris*, *Pierre Le Petit*, *in*-12.

L'Énéide de Virgile (les quatre premiers livres), traduction nouvelle (par *François Le Maistre*).

1771. *Paris*, *Brocas*, *in*-12.

Géographie de Virgile, ou Notice des lieux dont il est parlé dans les ouvrages de ce poëte, accompagnée d'une carte géographique, par *M. Helliez*.

Cet ouvrage utile, mais qui pouvait être rédigé avec plus de soin, a été réimprimé chez M. Delalain en 1820, augmenté de la Géographie d'Horace, et de quatre cartes géographiques, par M. *Masselin*.

1787. *Paris*, *de Bure l'aîné*, *in*-12.

Plan de l'Énéide de Virgile, ou Exposition raisonnée de l'économie de ce poëme, par *M. Vicaire*, ancien recteur de l'université de Paris.

1805. *Genève*, *in*-8°.

Voyage sur la scène des six derniers livres de l'Énéide dans le Latium, par *Ch. V. de Bonstetten*.

1806. *Paris*, *Agasse*, *deux vol. in*-8°.

L'Énéide de Virgile, traduction nouvelle, par *Nicolas Ruault*, ancien libraire.

Les notices de Strasbourg et de Londres présentent sous la même date les *Œuvres de* Virgile, *traduites par J. B. Roullier*, in-18. Ce volume n'est jamais venu à ma connaissance.

1808 *et* 1813. *Paris*, *Delalain*, *deux vol. in*-12.

L'Énéide de Virgile, double traduction (des deux premiers livres), l'une interlinéaire et l'autre conforme au génie de la langue, avec des notes, par *E. L. Frémont*.

1810. *Paris*, *deux vol. in*-12.

L'Énéide de Virgile, traduite en prose par *M. Mollevaut*.

Cette traduction a été réimprimée en 1814, in-8°. il en existe une troisième édition sous le titre suivant:

1810. *Versailles*, *Le Bel*, *in*-12.
Études de l'Énéide de Virgile, à l'usage des Lycées et des collèges, publiées par *F. Paillet*, bibliothécaire de la ville et professeur au lycée de Versailles.

1818. *Paris*, *Arthus Bertrand*, *quatre vol. in*-18.
L'Énéide de Virgile, traduite en prose avec le texte en regard par *C. L. Mollevaut*, membre de l'institut royal de France.

1819. *Grenoble*, *deux vol. in*-8°.
L'Énéide de Virgile, traduite en français, avec le texte en regard, par *J. B. Morin*.

Opuscules de Virgile traduits en vers français.

La traduction en vers des Opuscules attribués à Virgile se trouve dans les recueils publiés en 1516 par *Michel*, dit *de Tours*; en 1582 par les frères *Robert* et *Antoine le Chevalier d'Agneaux*; en 1673 par l'abbé *de Marolles*. Voyez ci-devant, page ccxliv.

1816. *Paris*, *Crapelet*, *in*-8°.
Moretum de Virgile, avec la traduction en vers français, par *M. Louis de Chevigné*.

1817. *Paris*, *Michaud*, *in*-18.
Le Moucheron, poëme de Virgile, traduit en vers français, enrichi du texte latin du cardinal *Bembo*, et de son Dialogne à Hercule Strozzi, suivi des imitations poëtiques de *Parmindo*, *Spencer* et *Voss*, accompagnées des commentaires de *Joseph Scaliger*, *Burmann* et *Heyne*, avec le *Culex probabiliter restitutus* de ce dernier et des notes du traducteur-éditeur, par *M. le comte de Valori*, chevalier de l'ordre de Saint-Jean de Jérusalem.

TRADUCTIONS ITALIENNES.

1476. *Vicencia*, *per Ermanno Levilapide da Colonia*, *grande in*-4°.
P. Maronis Virgilii liber Eneidos feliciter incipit.

On lit ces mots à la fin du volume:

«O voi periti, et anche voi non docti, che legierete over' ascoltarete la

nobile opera gia in verso compoouda per lo famosissimo poeta laureato P. Marone Virgilio, etc., et di puoi de verso in lingua vulgare reducta per lo litteratissimo Greco Athanagio per consolatione de Constantio figliuolo de Constantino imperatore, veramente senza dubio alcuno rimanerete tutti lieti et contenti neli animi vostri, etc. »

Cette traduction a été réimprimée à Venise en 1478, sous le nom d'*Atanagoras*; on ignore qui était cet *Athanagio* ou *Atanagoras*. Cet ouvrage est la traduction d'un abrégé de l'Énéide en prose, distribué par chapitres en forme de roman, originairement composé en langue vulgaire (*in lingua vulgare*). Voyez le *Manuel* de M. Brunet, tome III, troisième édition. *Paris*, 1820.

1556. *In Fiorenza.*

L' Opere di Virgilio, cioe la Bucolica, la Georgica e l' Eneide nuovamente da diversi excellentiss. autori tradotte in versi sciolti e con ogni diligentia raccolte da M. *Lodovico Domenichi.*

1581. *In Venetia, Bernardo Giunti e fratelli, in-4°.*

L' Eneide di Virgilio del commendatore Annibal *Caro.*

Cette traduction, l'une des meilleures qui existent en aucune langue, a été très-souvent réimprimée; je me contenterai de citer ici les réimpressions de *Trévise*, 1603, in-4°; de *Paris*, chez la veuve Quillau, 1760, 2 vol. in-8°; et de *Rome*, chez de Romanis, 1817, 2 vol. in-fol.

Cette dernière edition, imprimée aux frais de madame la duchesse de Devonshire, protectrice des arts, contient des estampes et des vignettes du meilleur goût. Quelques unes de ces estampes ont été gravées d'après les dessins de Camucini et de Canova. Elles représentent en général des sites de l'Italie moderne. Cet anachronisme, dit M. de Chateaubriand, loin de nuire à l'ouvrage, en augmente pour ainsi dire l'intérêt, par cela même qu'il réunit dans la pensée du lecteur des siècles que tant d'événements et de générations séparent.

1588. *In Venetia, gli eredi di Marchio Sessa, in-fol.*

L' Opere di Virgilio, Mantuano, cioe la Bucolica, la Georgica e l' Eneide, commentate in lingua toscana, da *Giovanni Fabrini* di Fighine, da *Carlo Malatesta* di Rimini, e *Filippo Venuti* da Cortona. Nuovamente ornate di vaghe e bellissime figure.

Il existe plusieurs éditions de cette traduction : la dernière est de *Venise*, 1683, in-fol.

1746. *Venezia, Giammaria Lazzaroni, in-12.*

L' Eneide di Virgilio del commendatore *Annibal Caro.* Novissima edizione, ornata di figure in rame, ed arrichita con le traduzioni della Bucolica (del *Lori*),

della Georgica (del *Daniello*) e vita del medesimo Virgilio.

1758-1762. *Roma*, 4 *vol. in*-8°.

L' Opere di Virgilio, tradotte in versi italiani da *Antonio Ambrogi*, Fiorentino.

Cette traduction a été réimprimée avec le texte latin et des figures, à Rome, 1763-1765, 3 vol. in-fol. Voyez ci-devant page ccxxx, le jugement qu'en porte M. Heyne.

1764. *Livorno*, *Domenico Ferrarini*, 2 *vol. in*-8°.

Opere di Virgilio Marone, tradotte nell' italiana favella da N. N. (*Giovani* Pizioli, Veneziano).

1790. *Parma*, 2 *vol. in*-8°.

L' Eneide di Virgilio, tradotta in versi italiani da *Clemente Bondi*.

1800. *In Vienna*, *in*-4°.

Le Georgiche, tradotte in versi italiani da *Clem. Bondi*.

1804. *Londra* (*Pisa*), 2 *vol. in*-8°.

L' Eneide di Virgilio, trad. in versi da *Vittorio Alfieri*.

1810. *Genova*, 3 *vol. in*-8°.

Le Bucoliche, le Georgiche e l' Eneide di Virgilio, recate in versi italiani da *Gius. Solari*.

1788. *Madrid*, *Ant. de Sancha*, *in*-8°.

Dissertation sur l'épisode d'Énée et de Didon, dans l'Énéide traduite de l'italien en castillan, par *don Charles Andrès*.

Les amateurs de la littérature italienne trouveront d'amples détails sur d'autres traductions de plusieurs ouvrages de Virgile en italien, dans la *Biblioteca degli autori antichi, greci e latini volgarizzati*, da Iacopo Maria Paitoni, C. R. Somasco. Venezia, 1766 et 1767, 5 vol. in-4°.

TRADUCTIONS ANGLAISES.

1490. *London*, *Wyll*[m] *Caxton*, *in-fol. min.*

The boke of Eneydos compyled by Vyrgyle. In fine: here fynyssheth the boke of Eneydos, compyled by Vyrgyle, whiche hath be translated oute of latyne in to frenshe and out of frenshe reduced in to englysshe

by me *Wyllm Caxton*, the XXII daye of juyn the yere of our lorde M. IIIJ. LXXXX.

La traduction française dont Caxton s'est servi, ne peut être que celle qui a été imprimée à Lyon en 1483.

1573. *London*, *Wyllyam How*, *for Abr. Veale*, *in-4°.*
The whole XII bookes of the Aeneidos of Virgill; whereof the first IX and part of the tenth were converted into english meeter by *Thomas Phaer*, and the residue supplied and the whole work together newly set forth, by *Thomas Twyne*.

1649. *London*, *in-8° maj.*
The Works of P. Virgilius Maro, translated into english by *John Ogilby*.

1697. *London*, *Jacob Tonson*, *in-fol.*
The Works of Virgil: containing his Pastorals, Georgics and Aeneis. Translated into English verse by Mr. *Dryden*. Adorned with a hundred sculptures.

Cette traduction a été souvent réimprimée

1741. *London*, *R. Reily*, *in-4°.*
The Georgicks of Virgil, with an english translation and notes, by *John Martyn*, F. R. S, professor of botany in the university of Cambridge.

1743. *London*, 2 *vol. in-8°.*
The Works of Virgil in latin, and a prose translation with notes by M. *Davidson*,

Cette traduction a été réimprimée plusieurs fois.

1749. *London*, *R. Reily*, *in-4°.*
The Bucoliks of Virgil, with an english translation and notes, by *John Martyn*. — The same, *London*, *Bensley*, 1813, gr. in-8°, with 37 botanical plates.

1753. *London*, *Dodsley*, 4 *vol.* in-8°.
The Works of Virgil in latin and english. The original text correctly printed. The Aeneis translated by *Chr. Pitt*, the Eclogues and Georgics with notes by *Jos. Warton*. With several new observations by Mr. *Holdsworth*, *Spence* and others.

1770-1785. *London*, 2 *vol. in*-8°.

The Works of Virgil translated (by M. *Davidson*) into english prose, as near the original as the different idioms of the latin and english languages will allow. Vith the latin text, and order of construction in the same page; and critical, historical, geographical and classical notes, in English, from the best commentators both ancient and modern; beside a very great number of notes entirely new. For the use of schools as vel as of private gentlemen.

1794. *Oxford*, *Johnson*, *in*-8°.

The Aeneid of Virgil translated into blank verse by *James Beresford*, fellow of Merton college.

1800. *London*, *Wright*, *in*-8°.

The Georgics of Virgil translated in verses by *William Sotheby*.

On trouvera de plus grands détails sur les traductions anglaises de Virgile dans le volume intitulé: *A view of the english editions, translations and illustrations of the ancient greek and latin autors with remarks, by Lewis William* Bruggeman. *Stettin*, 1797, in-8°.

TRADUCTIONS ESPAGNOLES.

1516. *En Zaragosa*, *in-fol.*

P. Virgilii Mar. Bucolica, interprete Jo. *del Enzina.*

Vid. *Cançoniero de totas las Obras de Juan del Enzina, con otras cosas nuevamente annaditas.*

1557. *Anvers*, *in*-8.°.

Los doze libros de la Eneida de Virgilio, en octava rima.

Réimprimée à Alcala en 1563.

1577. *En Toledo*, *Diego de Ayala*, *in*-8°.

La Eneida de Virgilio, traduzida en octava rima y verso castellano, por el lic. *Greg. Fernandez de Velasco*, clerigo.

Réimprimée à Alcala en 1585, et à Sarragosse en 1586. La première edition est de *Tolède*, 1574, in-4°.

1586. *En Salamanca*, *Juan Fernandes*, *in*-12.
Las Georgicas de Virgilio, nuevamente traduzidas en nuestra lengua castellana en verso suelto, juntamente con la decima Ecloga, con muchas notaciones, que sirven en lugar da comento, por *Juan de Guzman*.

1620. *Lisboa*, *por Antonio Alvarez*, *in*-4°.
Les obras de P. Virgilio Maron traduzidas en prosa castellana por *Diego Lopez*, con comento y anotaciones, etc.

Réimprimées à *Lisbonne* en 1650, et à *Valence* en 1698.

1631. *Madriti*, *in*-16.
P. Virgilii Maronis Bucolica et Georg. L. I, interprete P. *Luis de Leon*.

Dans le recueil intitulé: *Obras proprias y traduciones latinas, griegas y italianas*, publié par François de Quevedo. D. Grégoire Mayans a donne une meilleure édition de ce recueil. *Valence*, 1761, in-8°.

1660. *Madrid*, *Domingo Garcia Morras*, *in*-8°.
Obras de P. Virgilio, concordado en latin artificial, en latin natural, en lengua castellana, de prosa y verso, y en notas latinas, por el lic. *Abdias Joseph*, natural de Cedillo.

Il paraît que ce volume ne renferme que les Éclogues.

1779. *Madrid*, *Barco*, 5 *vol*. *in*-8°.
Todas las Obras de P. Virgilio Maron, illustr. con interpret. y notas en lengua castellana de L. *Leon*, Greg. Hernandez *de Velasco*, Fr. *Sanchez de la Brozas* y J. *de Guzman* y declaracion de los nombres propios i lugares difficultosos esparcidos por todas las obras: la vida de Virgilio y noticia de las traduciones castellanas de sus obras, por Greg. *Mayans y Siscar*.

TRADUCTIONS PORTUGAISES.

1624. *Lisboa*, *Ger. da Vinha*, *in-fol.*
As Eclogas e Georgicas de Vergilio, traduzidas em verso solto portuguez, com a explicaçaon de todos os luga-

res oscuros, historias, fabùlas que o poeta tocu: por *Leonel da Costa*, Lusitano.

1761. *Lisboa*, *in-12*.

Eneida portugueza, por *Franco Barreto.*

TRADUCTIONS ALLEMANDES.

1515. *Strasbourg*, *Jean Grünningern*, *in-fol.*

L'Énéide de Virgile, traduite en allemand par le docteur *Thomas Murner.*

Cette traduction a été souvent réimprimée. La dernière édition paraît être celle qui fut publiée a Jéna en 1606, in-8°.

1567. *Leipsick*, *in-8°.*

Bucoliques de Virgile, traduites en allemand, à l'usage de la jeunesse, par *Étienne Riccius.*

Cette traduction a été réimprimée plusieurs fois.

Le même auteur publia successivement la traduction des Géorgiques.

Les quatre livres, réunis pour la première fois en 1583 à *Erfurt*, furent réimprimés à *Stettin* en 1664, in-8°.

1799. *Brunswick*, 3 *vol. in-8°.*

Oeuvres de Virgile, traduites en vers hexamètres allemands par *Jean-Henri Voss.*

Cette traduction est très-estimée. M. Voss avait publié, dès 1788, un essai de traduction des Géorgiques. Il fit paraître successivement la traduction des Églogues, et ensuite celle de l'Énéide. Ces différentes traductions ont été réimprimées de nouveau en 1821.

1809-1810. *Straubing*, *in-8°.*

L'Énéide de Virgile, traduite en allemand par *Joseph Spitzenberger.*

Les amateurs de la littérature allemande trouveront des détails plus étendus sur les traductions de Virgile dans l'ouvrage intitulé: *Essai d'une littérature complète des traductions allemandes des auteurs romains*; par M. Jean-Frédéric Degen. *Altenbourg*, 1794-1796, 1 vol. en 2 parties, in-8°. — Supplément à cet ouvrage, *Erlangen*, 1799, in-8°.

TRADUCTIONS HOLLANDAISES.

1556. *Anvers*, *in-8°.*

Un membre de la chambre des rhétoriciens de la ville

d'Anvers, nommé *Corneille van Ghistele*, est auteur d'une traduction de l'Énéide de Virgile en vers hollandais, ou plutôt en rimes hollandaises; il en a fait paraître les six premiers livres en 1556. Une édition publiée à Rotterdam en 1609, in-8°, contient les douze livres. On ignore si ce traducteur vivait encore à cette époque.

1646. *Amsterdam*, *in-4°*.
Virgile, traduit en vers hollandais par *Vondel*.

Cette traduction a été réimprimée en 1659, in-12; en 1660, in-4°, et en 1737, in-4°.

1809-1812. *Amsterdam*, 4 *vol. in-4°*.
Les huit premiers livres de L'Énéide de Virgile, traduits en vers hollandais par madame *de Streek*.

TRADUCTIONS HONGROISES.

1789. *Presbourg*, *in-8°*.
Les Bucoliques de Virgile, traduites en hongrois par *J. Rainis*.

1799 et 1804. *Comarou*, 2 *vol. in-8°*.
L'Énéide de Virgile, traduite en hongrois par *Jos. Kovats*.

TRADUCTIONS POLONAISES.

1590. *Cracovie.*
Traduction de l'Énéide de Virgile en vers polonais, par *André Kochanowski*, publiée pour la première fois en 1590 à *Cracovie*, réimprimée a *Varsovie* en 1754, avec la traduction des Bucoliques par *Nagurczewski*, et celle des Géorgiques par *Valentin Otwinowski*.

On cite une nouvelle traduction de l'Énéide en langue polonaise, par M. Przybylskiego, professeur émérite à Cracovie, qui y a joint des notes intéressantes.

Il existe encore une nouvelle traduction polonaise de l'Énéide par M. *Dmophowski*, mort en 1809, pour les neuf premiers livres, et par M. *Jacubowsik*, pour les trois derniers.

TRADUCTIONS SUÉDOISES.

1740. *Stockholm*, *in*-4°
Les Églogues de Virgile, traduites en vers suédois.

Cette traduction a été réimprimée en 1752.

1780. *Stockholm*, *in*-8°.
Les quatre livres des Géorgiques de Virgile, traduits en suédois.

1751. *Stockholm*, *in*-4°.
L'Énéide de Virgile, traduite en suédois par *A. Nicandre*.

1804. *Stockholm*, *in*-8°.
L'Enéide de Virgile, traduite en Suédois par G. *Joran Adlerbeth*.

TRADUCTIONS DANOISES.

1680. *Copenhague*, *in*-8°.
Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers danois par P. J. *Roiskilde*.

1753. *Copenhague*, *in*-8°.
Les Bucoliques et les Géorgiques de Virgile, traduites en danois par *F. Ch. Schoenau*.

1813. *Copenhague*, *in*-12.
Les Géorgiques de Virgile, traduites en prose danoise, par *Jean Frechland*.

1812. *Copenhague*, *Moller*, 2. *vol in*-8°.
Traduction de l'Énéide en danois, en vers libres, par *Schonheyder*.

1811. *Copenhague*, *in*-12.
Les six premiers livres de l'Énéide, traduits en prose danoise, par *E. Munthe*.

TRADUCTIONS GRECQUES.

1594. *Romae.*
Bucolica in Graecnm sermonem translata, auctore Dan. *Aslworth*, Anglo.

Cette traduction a été réimprimée par Bodoni, à Parme, en 1779, dans la collection intitulée: *Teocrito, Mosco, Bione, Simmia, grecolatini da Eritisco* Pilenejo *P. A. (Gius. Maria* Pagnini *Carmelitano.)*

1786. *Petropoli, in-fol.*
Georgicorum P. Virgilii Maronis libri IV; adiecta est versio graeco carmine heroico expressa, studio et labore *Eugenii de Bulgaris*, auspiciis principis *Greg. Alexandridae Potemkini.*

1553. *Londini, in-8°.*
Aeneidos liber secundus graecis versibus redditus per *Georgium Ethrigeum*, Oxoniensem medicum et graecae linguae professorem.

1791. *Petropoli*, 3 *vol. in-fol.*
Aeneidis P. Virgilii Maronis libri XII, cum versione graeco carmine heroico expressa, studio et labore *Eugenii de Bulgaris*, iussu imperatricis Catharinae II.

TRADUCTIONS DE VIRGILE
EN VERS BURLESQUES.

Puisque la France a fourni un modèle inimitable dans le burlesque, c'est-à-dire, dans un genre de poésie contraire au bon goût, j'imiterai mes prédécesseurs, qui ont terminé leurs Notices bibliographiques sur Virgile par l'énumération des traductions de ce poëte en vers burlesques.

TRADUCTIONS FRANÇAISES.

1648. *Paris, Quinet, in-4°.*
Le Virgile travesti, en vers burlesques de *Scarron* (VII livres).

Réimprimé plusieurs fois, notamment à Paris, en 1662, chez de Luyne, 2 vol. in-12 ; et dans le recueil des *Oeuvres de Scarron*, Amsterdam, 1737, in-12, par les soins de Bruzen de La Martinière, T. V, pag. 436 et suiv.

1649. *Paris, de Sommaville, in-4°.*
L'Énéide de Virgile en vers burlesques, par *du Fresnoy* (livre II).

1649. *Paris, Courbé, in-4°.*
L'Énéide travestie, quatrième livre, contenant les amours d'Énée et de Didon, traduite par A. F. (*Antoine Furetière*).

1649. *Jouxte la copie imprimée à Anvers, Paris, in-4°*, et *in-12.*
L'Enfer burlesque, ou le sixième livre de l'Énéide travestie, par M. C. P. D.

1650. *Paris, in-4°.*
L'Énéide enjouée, ou le septième livre de l'Énéide en vers burlesques, par *Guillaume de Brébeuf.*

1650. *Paris, in-12.*
La Guerre d'Énée en Italie, en vers burlesques, par *Barciet.*

1652. *Paris*, *de Sommaville*, *in-4°*.
Le Virgile goguenard, ou le douzième livre de l'Énéide travestie, par L. D. L.

Suivant l'abbé de Marolles, les lettres L. D. L., désignent un jeune abbé, fils d'un magistrat, *dont on peut épargner le nom*. Cet abbé se fit délivrer un privilège sous le masque de *Claude Petit Jehan*, avocat en parlement.

1674. *Bordeaux*, *Guil. de La Court*, *in-12*.
La suite du Virgile travesti, par M. J.

1706. *Amsterdam*, *Mortier*, *in-12*.
La suite, ou tome III du *Virgile travesti en vers burlesques de Scarron*, par *Jacques Moreau*, seigneur de Brasey.

Cette suite se trouve aussi dans le Scarron d'*Amsterdam*, 1737, T. V, ainsi qu'une autre *Suite* (liv. IX et X), par le sieur *Le Tellier d'Orvilliers*.

1767. *La Haye* (*Paris*), *in-12*.
Suite du *Virgile travesti*, livres VIII, IX, X, XI et XII (par *Brussel*).

Les notices littéraires de Strasbourg et de Londres ont confondu cette traduction avec celle de Le Tellier d'Orvilliers.

Pierre Brussel, conseiller du roi, auditeur en sa chambre des comptes, est mort à Paris le 8 septembre 1779.

1817. *Paris*, *Dondey-Dupré*, *in-8°*.
Virgile travesti, par M. *Chayrou*.

L'auteur devait publier dix chants; il n'en a donné que quatre.

1718 et 1719. *Dijon*, *Ant. de Faye*, *in-12*.
Virgile, virai en bourguignon, livre premier, par *François-Jacques Tassinot*; livre second, par *Pierre du May*; le reste par l'abbé *Paul Petit*.

L'abbé Goujet donne une analyse de la plupart de ces différents ouvrages, dans le tome V de sa *Bibliothèque française*.

TRADUCTION ITALIENNE.

1633. *Roma*, *in-8°*.
L'Eneida travestita, di *Gio. Batt. Lalli*.

Jean-Baptiste Lalli, naquit à Norcia, ville de l'Ombrie, an 1572; il mourut en 1667. Son Énéide travestie a été réimprimée plusieurs fois. Voyez son article dans la *Biographie universelle*.

TRADUCTIONS ANGLAISES.

1664. *Londini*, *in*-8°.

Scarronides, sive libri I et IV Aeneidos, carmine anglico ludicro, auctore *Carolo Cotton*.

Réimprimés plusieurs fois.

1672. *London*, *in*-12.

Cataplus, or Aeneas his descent to Hell, a mock poem, in imitation of the sixth of Virgil's Aeneis.

1672 et 1673. *London*,

Maronides, or Virgil travesty (lib. V et VI), by *John Philips*.

1691. *London*, *in*-8°.

Scarronides, a mock-poem on the second book of Virgil's Aeneis in english burlesque, by *John Smyth*.

1774. *Charlestown*, *in*-8°.

The Story of Aeneas and Dido, from the fourth book of the Aeneid, burlesqued.

TRADUCTION ESPAGNOLE.

1648. *Toleti*, *in*-4°.

Virgilio deguisato, o l'Eneido burlesco en lengua gasconne, del Sr *des Valles de Mountech*.

TRADUCTIONS ALLEMANDES.

1784 *et ann. suiv. Vienne*, *in*-8°.

Abentheuer des frommem Helden Aeneas, oder Virgils Aeneis travestirt, von *Aloys Blumauer*.

Le troisième livre de cette traduction parut en 1788. L'auteur paraît avoir traduit les douze livres; ils ont été réimprimés à Leipsick, 1800-803, 4 vol. in-8°.

Cette version a été traduite en russe par *Ossipof*, Pétersbourg, 1791-1793. Voyez la *Biographie universelle*.

1794. *Berlin et Leipsick*, *in*-8°.

Virgils Aeneis, travestirt von *Blumauer*, ausgeführt von Professor *Schaber*, 4ter und letzter band.

Charles-Guillaume-Frédéric Schaber est mort cette même année 1794.

TRADUCTION RUSSE.

1800. *Saint-Pétersbourg*, 2 *vol. in*-8°.
L'Énéide de Virgile, travestie en vers russes, par *Alex. Kotelnitikoï.*

TESTIMONIA DE VIRGILIO

HOC EST

LOCA VETERVM SCRIPTORVM,

IN QVIBVS DE VIRGILIO MEMORATIO FIT.

P. OVIDIVS NASO, *Amor.* I, 15, 25.

Tityrus, et segetes, Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

EIVSDEM *Art.* III, 337.

Et profugum Aenean, altae primordia Romae:
Quo nullum Latio clarius extat opus.

EIVSDEM AD AVGVSTVM. *Trist.* II, 533.

Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto
Quam non legitimo foedere iunctus amor.
Phyllidis hic idem, teneraeque Amaryllidis ignes
Bucolicis iuvenis luserat ante modis.

SEXT. AVRELIVS PROPERTIVS
lib. II, *Eleg. extr.* 61 *sqq. ad Lynceum.*

Actia Virgilium (*iuvet*) custodis littora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates.

Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma,
  Iactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
  Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
  Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus;
Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
  Missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
  Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
  Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille suam lassus requiescit avenam:
  Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
  Quo seges in campo, quo viret herba iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
  Cynthius impositis temperat articulis.

QVINTILIANVS *Lib.* X, *cap.* 1, §. 85.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius, auspicatissimum dederit exordium: omnium eius generis poëtarum Graecorum nostrorumque illi haud dubie proximus. Vtar enim verbis iisdem, quae ab Afro Domitio iuvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo, quam tertio. Et hercle, ut illi naturae caelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum; et quantum eminentioribus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes longe sequuntur.

ANTHOLOG. V, 74.

Καὶ φίλος Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε κύκνος
Πνείων εὐεπίης Βεργίλλιος· ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πατρίδος ἠχώ.

STATIVS, THEB. XII, 816.

Suum poëma alloquitur.

Vive, precor; nec tu divinam Aeneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.

ALCIMI *de Virgilio et Homero* (*vid. Antholog. lat.* II, *ep.* 177) :

Maeonio vati, quis par vel proximus esset,
Consultus Paean risit, et haec cecinit:
Si potuit nasci, quem tu sequereris, Homere,
Nascetur qui te possit, Homere, sequi.

D. AVGVSTINVS *de Civ. Dei lib.* I, *c.* 3.

Virgilium pueri legant, ut poëta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus, teneris imbibitus annis, non facile oblivione possit aboleri.

POËMATA DE VIRGILIO.

I

P. Virgilii Maronis vita, a Phoca Grammatico urbis Romae, versibus edita. vid. Antholog. Lat. P. Burmanni Sec. T. I, lib. II, ep. 186.

PRAEFATIO

O vetustatis memoranda custos,
Regios actus simul et fugaces
Temporum cursus docilis referre,
Aurea Clio.
Tu nihil magnum sinis interire;
Nil mori clarum pateris; reservans

(1) De hoc grammatico v. Wernsdorf. Poët. min. T. VI, P. I, pag. 27.

Posteris prisci monimenta saecli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed, aperta quicquid
Veritas prodit, recinis per aevum
Simplice lingua.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas iuventae.
Militat Virtus tibi; te notante
Crimina pallent.
Tu fori turbas, strepitusque litis,
Effugis dulci moderata cantu,
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.
His fave dictis: retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulae voci decus adrogavit
Carmine sacro.

Maeonii specimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleae generavit flumina linguae.
Quis facunda tuos toleraret Graecia fastus?
Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem,
Aemula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset?
Huic genitor figulus Maro nomine: cultor agelli,
Vt referunt alii, tenui mercede locatus.
Sed plures figulum; quis non miracula rerum
Haec stupeat? dives partus de paupere vena
Enituit: figuli soboles nova carmina finxit.
Mater Polla fuit, Magii non infima proles,
Quem socerum probitas fecit iam clara Maroni.
Haec cum maturo premeretur pondere ventris,
Vt solet in somnis animus, ventura refingens,
Anxius et, vigili praesumere gaudia cura,
Phoebei nemoris ramum fudisse putavit.
O sopor indicium veri! nil certius umquam
Cornea porta tulit. Facta est, interprete lauro,

5 vid. ad Vitam Virg. a. 684. — 7. l. *locati*.

Certa parens, onerisque sui cognoverat artem.
   Consule Pompeio vitalibus editus auris,
Et Crasso tetigit terram; quo tempore Chelas
Iam mitis Phaëthon post Virginis ora receptus.
Infantem vagisse negant. Nam fronte serena
Conspexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipse puerperiis adrisit laetior orbis:
Terra ministravit flores; et munere verno
Herbida supposuit puero fulmenta virescens.
Praeterea, si vera fides, sed vera probatur,
Lata cohors apium subito per rura iacentis
Labra favis texit dulces fusura loquelas.
Hoc quondam in sacro tantum mirata Platone
Indicium linguae memorat famosa vetustas.
Sed Natura parens, properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Insuper his, genitor, nati dum fata requirit,
Populeam sterili virgam mandavit arenae:
Tempore quae nutrita brevi, dum crescit, in omne
Altior emicuit cunctis, quas auxerat aetas.
Haec propter placuit puerum committere Musis,
Et monstrare viam venturae in saecula famae.
   Tum Ballista rudem lingua titubante receptum
Instituit primum, quem nox armabat, in umbris
Grassari solitum; crimen doctrina tegebat;
Mox patefacta viri pressa est audacia saxis.
Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis
Edidit. Auspiciis suffecit poena magistri.
Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.
   Nocte die tutum carpe viator iter.
Nos tamen hoc brevius; si fas simulare Maronem:
Ballistam sua poena tegit; via tuta per auras.
Hic Ballista iacet, certo pede perge viator.
Carcere montoso clausus Ballista tenetur,
   Securi fraudis pergite nocte, viri.

21 f. *Chelis — receptus.* — 37. *in omnem* Toll. coni.

Quid trepidas tandem gressu pavitante, viator?
Nocturnum furem saxeus imber habet.
Ballistae vitam rapuit lapis, ipse sepulcrum
Intulit; umbra nocens pendula saxa tremit.
Crimina latronis dignissima poëna coërcet.
Duritiam mentis damnat ubique lapis.
Hinc Culicis tenui praelusit funera versu:
Parve culex, pecorum custos tibi tale merenti
Funeris officium, vitae pro munere, reddit.
Tum tibi Syronem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens, proceresque suos tibi iunxit amicos.
Pollio, Maecenas, Varius, Cornelius ardent;
Et sibi quisque rapit, per te victurus in aevum.
Musa refer: quae caussa fuit componere libros?
Sumserat Augustus rerum moderamina princeps.
Iam necis ultor erat patriae: iam caede priorum
Perfusas acies legitur visura Philippos.
Cassius hic, Magni vindex, et Brutus in armis
Intereunt. Victor, nondum contentus opimis
Emeritas belli spoliis ditasse cohortis,
Proscripsit miserae florentia rura Cremonae;
Totaque militibus pretium concessa laborum
Praeda fuit. Violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Iovis, non spumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vastat.
Mantua, tu coniuncta loco, sociata periclis;
Non tamen ob meritum; miseram vicinia fecit.
Iam Maro pulsus erat. Sed viribus obvius ibat
Fretus amicorum clipeo, cum paenae nefando
Ense perit. Quid dextra furis? quid viscera Romae
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit

56 h. ipsa lapidum strues ei pro tumulo fuit. *ipse* lapis; hinc *pendula saxa*, sub quibus umbra tremit; tanquam metuens ne obteratur.

66. leg. *Te sibi q.*

69. *iam acies*, h. exercitus, *legitur*, scribitur, paratur, in Macedoniam iterum deducenda ad pugnam faciendam. l. *Perfusos.*

78. in aliis: *quantum manus impia, vastant.*

Posteritas, ipsumque ducem, nisi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum: quid Martius horror
Egerit, ostendunt; quid tunc miseranda tulisset.
Caesaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere posset.
Praedia dat Caesar, quorum brevis usus habendi:
Obtulit hic laudes, quas saecula nulla silescant.
  Pastores cecinit primos. Hoc carmine consul
Pollio laudatur, ter se revocantibus annis
Composito. Post haec ruris praecepta colendi
Quatuor exposuit libris, et commoda terrae
Edocuit, geminis anno minus omnia lustris.
Inde cothurnato Teucrorum praelia versu
Et Rutulum tonuit. Bissena volumina sacro
Formavit donata duci, trieteride quarta.
  Sed loca, quae vulgi memoravit tradita fama
Aequoris et terrae, statuit percurrere vates,
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur: ut Calabros tetigit, livore nocenti
Parcarum, vehemens luxavit corpora morbus.
Hic ubi languores, et fata minantia sensit:

Cetera deerant in exemplari.

II

De operibus Virgilianis incerti auctoris.
ibid. lib. II, *ep.* 173.

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
  Me legat, et lectum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Graecia campos:
  Ast minor est nobis, sed bene cultus, ager.
Non pastor, miles, nec curvus deerit arator.
  Haec Graiis constant singula, trina mihi.

88. *quid Martius horror Egerit ostendunt*; qui *tunc miseranda tulisset. Caesaris* huic *placido nutu repetuntur a.* Toll. et Franc.
II, 5. *deerit*, al. *defit.* melius.

III

ALCINOI DE VIRGILIO. *ibid. Ep.* 178.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro, primus erit.
Et si post primum Maro seponatur Homerum,
Longe erit a primo, quisque secundus erit.

IV

C. Sulpicii Apollinaris (ap. Donat. Carthaginiensis)
Grammatici in Aeneidem Virgilianam.
ibid. Ep. 174, *supra in Donato* §. 57.

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul: tu, maxime Caesar,
Non sinis, et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et paene est alio Troia cremata rogo.

V

Imitatio eiusdem Phocae Grammatici, ex fragmento vitae Virgilii. vid. ibid. Ep. 175.

Carmina Virgilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali iusserat igne mori.
Tucca negat, Varius prohibet: superaddito, Caesar,
Nomen; in Aenea non sinis esse nefas.
O quam paene iterum geminasti funere funus,
Troia bis interitus caussa futura tui.

III, 4. *quisque* more seriorum pro *quisquis*.
V, 4. f. *in Aenean an sinis.*

VI

De eadem re versus attributi Cornelio Gallo, Scholastici poëtae, ut apparet; expressi ex eodem Sulpicio Carthaginiensi. ibid. Ep. 176.

Temporibus laetis tristamur, maxime Caesar,
  Hoc uno amisso, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
  In quibus Aenean condidit ore sacro.
Roma rogat, precibus totus tibi supplicat orbis,
  Ne pereant flammis tot monimenta ducum.
Atque iterum Troiam, sed maior, flamma cremabit.
  Fac laudes Italum, fac tua facta legi.
Aeneanque suum fac maior Mincius ornet.
  Plus fatis possunt Caesaris ora dei.

VII

De eadem re veteris scholastici poëtae versus, sub nomine Augusti Caesaris. ibid. Ep. 184. *Donat.* §. 56.

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! solvetur littera dives?
Et poterunt spectare oculi? nec parcere honori

VI, 3. *Qui vetuit r., si tu patiare* Ed. Ven. 1472.

5. Eadem ed. *precibusque iddem*, leg. *isdem*.

7. *Atque iterum*. Forte, *Anne iterum Troiam — flamma cremabit?*

9. f. *Aeneanque tuum*. Tum *maior Mincius*: magnus Minciades, Virgilius. Ornet ille carmine suo Aeneam tuae gentis auctorem. Ita vivet ille etiam post mortem, iussu Caesaris. Alii legunt: *maior nuntius*. Gallo hoc carmen tribuitur in Cod. Vatic. n. 1586, v. Praefat. ad fragm. Vatic. pag. XIV. Cod. *Aeneidemque suum*, de quo Ouwens Noct. Hag. p. 285.

VII, 4. *littera dives*, an multis egregiis sententiis refertus liber? vt mox VIII, 8 *lingua dives*. f. *solvetur littera*, *Divi*! Valerio Martiali tribuitur hoc carmen in Cod. Vatic. n. 1586.

5. *nec parcere*, scil. poterit, *parcet* Ed. Ven. 1472. Eadem *ductumque operi*

Flamma suo, dignumque operi servare decorem?
Noster Apollo veta, Musae prohibete Latinae.
Liber et alma Ceres succurrite. Vester in armis
Miles erat; vester docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid Ver ageret, quid cogeret Aestas;
Quid daret Autumnus, quid Bruma novissima ferret.
Arva reformavit: sociavit vitibus ulmos:
Curavit pecudes: apibus sua castra dicavit.
Haec dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est.
« Sed legum est servanda fides. Suprema voluntas
Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est. »
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque iussa parentis
Amittant vigilasse suum. Si forte furenti
Erravit in morte dolor: si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troia suas, iterum cogetur reddere voces?
Ardebit misere post vulnera vulnus Elisae?
Hoc opus aeternum ruet? et tot bella, tot enses
In cineres dabit hora nocens, et perfidus error?
Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces

servabit amorem, ut al. ap. Burm. Praestat vulgata, non poterit servare, non servet, Aeneidi aeternitatem, qua digna est?

7. *Pulcher Apollo* alii. — 12 *Arbuta formavit* alii.

14. modo, hoc eloqui, non iam nefas est! Burman. pulcre coni. « *Ipso sic iudice fas est*, *Et*. Ed. Ven. *ut perimant ipsum, si d.* »

19. *supremaque verba*, Ed. Bas. et al.

20 *Amittant* pro perdant vigilias. Ed. Ven. *amittat*, et mox, *si forte superbus E. in morte piger*, ut alii ap. Burm. f. *si forte suprema Erravit iam morte dolor.*

25. f. *reddere poenas*. conf. Georg. I, 502.

27. *Tam sacrum solvetur opus. tot* Ed. Basil. cum al.

29. Magna in seqq. scripturae varietas. Ed. Ven. sic legit: *Huc, huc, Pierides, date flumina cuncta; sapores* (leg. *sorores*) *Expirent in* (del. *in*) *ignes: vivat Maro ductus (doctus) ubique, Ingratusque sui, studiorumque invidus orbi Et factus post fata nitens* (leg. *nocens*); *quod iusserat ille, Sit vetuisse meum, satis est* (leg. *sacer est* sc. Maro) *post tempora vitae. Immo sit aeternus tota re-*

Tendite; et ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite: ne pereat tam clari Musa poëtae,
Flammaque vanescat. Vivat Maro clarus in orbe,
Ingratusque sibi. Sed, quod male iusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitae.
Sicque erit aeternum tota resonante Camena
Carmen, et imperii divi sub nomine vivat.
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

VIII

Eorumdem versuum scholastica imitatio, per Phocam Grammaticum ex vita Virgilii Fragmentum. ibid. Ep. 185. *Possunt verius pro var. lect. ac corruptelis superioris carminis a versu inde* 22 *haberi :* — lingua loenta est.

Nescio quid, fugiente anima, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Infertur Tyriae post vulnera vulnus Elisae?
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Eiurata mori? nec cingula reddet Amazon?
Dî meliora date, ac sensum revocate nocentem.
Pace viri liceat tanti. Nec commoda linguae
Divitis intereant: per quam Romana iuventus
Aeternum floret. Verum, quod iusserat ille,
Sit vetuisse meum. Nam post sua tempora vitae
Non taceat. Immo aeternum resonante Camena
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

sonante Camena! Carmen et in populo et Divi sub numine nomen Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur!

35. *Immo sit aeternum — et in populo Divi sub numine nomen* ad ductum cod. Heins. ad Aen. VI, 739 legit Burm. Quid sub *tota* lateat, non expnto.

VIII, 5. De Hippolyte nihil Virgilius habet, quod huc referas. Forte Camilla designatur Aen. XI, 648, quae equo relicto pedes pugnat v. 710, ut *cingula* inscite pro frenis dicta sint.

EPITAPHIA
P. VIRGILII MARONIS
A SCHOLASTICIS DVODECIM POETIS
COMPOSITA, PER TETRASTICHA.

Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, Epigr. 197.

EX ARGVMENTO HVIVS DISTICHI VIRGILIANI:

Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

VITALIS. I.

Prima mihi Musa est sub fagi Tityrus umbra;
Ad mea navus humum iussa colonus arat;
Praeliaqne expertos cecini Troiana Latinos;
Fertque meos cineres inclyta Parthenope.

BASILIVS. II.

Hoc iacet in tumulo vates imitator Homeri,
Qui canit Ausonio carmine primus oves;
Ad cultos hinc transit agros; Aeneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.

ASMENVS. III.

Bucolica Ausonio primus qui carmine feci,
Mox praecepta dedi versibus agricolae.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi,
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

VOMANVS. IV.

Tityre, te Latio cecinit mea fistula versu;
  Praeceptisque meis rusticus arva colit.
Ac, ne Musa carens vitiis Aeneidos esset,
  Perfida me celeri fata tulere nece.

EVPHORBVS. V.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena;
  Rurieolasque docet, qua ratione serant,
Quique Latinorum memorat fera bella, Phrygasque,
  Hic cubat; hic meruit perpetuam requiem.

IVLIANVS. VI.

Qui pastorali peragravit Maenala Musa,
  Ruraque, et Aeneae concinit arma Maro,
Ille, decem lustris geminos postquam addidit annos,
  Concessit fatis; et situs hoc tumulo est.

HILASIVS. VII.

Haec tibi, Virgilius, domus est aeterna sepulto,
  Qui mortis tenebras effugis ingenio;
Maenalium carmen qui profers ore Latino,
  Et cultus segetum, bellaque saeva ducum.

PALLADIVS. VIII.

Primus ego Ausonio pastorum carmina versu
  Composui, et quo sint rura colenda modo;
Post, quibus Aeneas Rutulos superaverit armis.
  Vatis relliquias haec pia terra fovet.

ASCLEPIADIVS. IX.

Sicanius vates silvis, Ascraeus in arvis,
  Maeonius bellis ipse poëta fui.
Mantua se vita praeclari iactat alumni:
  Parthenope famam morte Maronis habet.

EVSTHENIVS. X.

Quisquis es, extremi titulum lege carminis, hospes:
 Hac ego Virgilius sum tumulatus humo;
Qui pecudum pariter, qui cultum fertilis agri,
 Mox Anchisiadae bella ducis cecini.

POMPEIANVS. XI.

Virgilio mihi nomen erat, quem Mantua felix
 Edidit. Hic cineres vatis et ossa iacent.
Cuius in aeternum pastoria fistula vivet;
 Rustica mox; eadem Martia Calliope.

MAXIMIANVS. XII.

Carmine bucolico nitui; cultoribus agri
 Iura dedi; cecini bella Latina simul.
Iamque ad lustra decem Titan accesserat alter,
 Quum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

DISTICHA EORVNDEM POETARVM,

EX EODEM ARGVMENTO.

VITALIS. I.

Mantua mi patria est: nomen Maro: carmina, silvae
 Ruraque cum bellis: Parthenope tumulus.

BASILIVS. II.

Qui silvas, et agros, et praelia versibus ornat
 Mole sub hac situs est ecce poëta Maro.

ASMENVS. III.

Pastorum vates ego sum: cui rura ducesque
 Carmina sunt: hic me pressit acerba quies.

VOMANVS. IV.

A silvis ad agros, ab agris ad praelia venit
Musa Maroneo nobilis ingenio.

EVPHORBVS. V.

Bucolica expressi, et ruris praecepta colendi;
Mox cecini pugnas: mortuus hic habito.

IVLIANVS. VI.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana, et segetes, et fera bella canit.

HILASIVS. VII.

Pastores cecini; docui, qui cultus in agris;
Praelia descripsi: contegor hoc tumulo.

PALLADIVS. VIII.

Conditus hic ego sum, cuius modo rustica Musa
Per silvas, per rus, venit ad arma virum.

ASCLEPIADIVS. IX.

Tityron, ac segetes cecini Maro, et arma, virumque.
Mantua me genuit; Parthenope sepelit.

EVSTHENIVS. X.

Virgilius iacet hic, qui pascua versibus edit,
Et ruris cultus, et Phrygis arma viri.

POMPEIANVS. XI.

Qui pecudes, qui rura canit, qui praelia vates,
In Calabris moriens hac requiescit humo.

MAXIMIANVS. XII.

Carminibus pecudes, et rus, et bella canendo
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

INCERTVS AVCTOR.

Quae cineris tumulo hoc vestigia? conditur, olim,
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

ALIVD.

Pascua rusque canens peragraram; bella sequebar;
Nondum finieram Virgilius; perii.

ALIVD.

Silvas, rura, acies, cecini: mihi Mantua mater;
Nomen Virgilius; Parthenope tumulus.

PENTADIVS.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,
Capras, arva, duces, fronde, ligone, manu.

INCERTVS AVCTOR.

De grege pasto, rure sato, duce nempe subacto,
Nec lac, nec segetes, nec spolia ulla tuli.

SVBSCRIPTVM IMAGINI VIRGILIANAE AB HILASIO.

Subduxit morti vivax pictura Maronem
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

AB EODEM.

Lucis damna nihil tanto nocuere poëtae,
Quem praesentat honos carminis et pluteï.

ARGVMENTA

OPERVM VIRGILII

I (IX)

Scholastici cuiusdam poëtae argumenta Aeneidis sub nomine Ovidii. Anth. lat. lib. II, Ep. 192.

PRAEFATIO

Virgilius magno quantum concessit Homero,
  Tantum ego Virgilio Naso poëta meo.
Nec me praelatum cupio tibi ferre poëta.
  Ingenio tantum si loquor, hoc satis est.
Argumenta quidem librorum prima notavi,
  Errorem ignarus ne quis habere queat.
Bis quinos legerent, feci, quos carmine versus,
  Aeneidos totum corpus ut esse putent.
Adfirmo gravitate mea, me crimine nullo
  Livoris titulum praeposuisse tibi.

PRIMI LIBRI *

Vir magnus bello, nulli pietate secundus
Aeneas, odiis Iunonis pressus iniquae,
Italiam quaerens Siculis erravit in undis.
Iactatus tandem Libyae pervenit ad oras;
Ignarusque loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Elisae.
Quin etiam nebula septus pervenit ad urbem,
Abreptosque undis socios cum classe recepit.
Hospitioque usus Didus per cuncta benignae,
Excidium Troiae iussus narrare parabat.

*) Deest in aliis praefatio; et adscripta singulis libris argumenta cum Modestini ICti nomine; sic et in Basil. edd. Fabric. Et in Cod. Rom. apud Bottar. pag. 205.

SECVNDI

Conticuere omnes. Tunc sic fortissimus heros
Fata recensebat Troiae, casusque suorum:
Fallaces Graios: simulataque dona Minervae:
Laocontis poenam, laxantem claustra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum:
Iam flammas caeli, Troum, patriaeque ruinas,
Et regis Priami fatum miserabile semper:
Impositumque patrem collo: dextraque prehensum
Ascanium, frustra a tergo comitante Creusa;
Ereptam hanc fato: socios in monte receptos.

TERTII

Post eversa Phrygum regna, ut fuga coepta moveri:
Vtque sit in Thracen primo devectus: ibique
Moenia condiderit, Polydori caede piata.
Regis et hospitium: ut Phoebi responsa canebant,
Coeptum iter in Cretam: rursus nova fata reperta.
Naufragus ut fuerit Strophadas compulsus ad undas.
Inde fugam, et dirae enarrat praecepta Celaenus:
Liquerit utque Helenum praeceptis ordine fatis,
Supplicem Achaemeniden Polyphemo urgente recepit,
Amissumque patrem Drepani, atque hinc inde quievit.

QVARTI

At regina gravi Veneris iam carpitur igni.
Consulitur soror Anna: placet succumbere amori:
Fiunt sacra deis: onerantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam foedera iungunt.
Facti fama volat. Monitus tunc numine divum
Aeneas classemque fugae sociosque parabat.
Sensit amans Dido, precibus conata morari.
Postquam fata iubent, nec iam datur ulla facultas,
Conscenditque pyram, dixitque novissima verba,
Et vitam infelix multo cum sanguine fudit.

26. *flammas caeli*, quae caelo ibant, ad caelum surgebant f. *flammas Ili* aut *flammas, caedes Troum.*

QVINTI

Navigat Aeneas: Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios: una hospes Acestes.
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.
Prodigium est cunctis ardens delapsa sagitta.
Iris anum Beroen habitu mentita senili
Incendit naves, subitus quas vindicat imber.
In somnis pater Anchises, quae bella gerenda,
Quoque duce ad Manes possit descendere monstrat.
Transcribit matres urbi, populumque volentem,
Et placidum Aeneas Palinurum quaerit in undis.

SEXTI

Cumas deinde venit. Fert hinc responsa Sibyllae:
Misenum sepelit: mons servat nomen humati.
Ramum etiam, ante deum placato numine, portat.
At vates longaeva una descendit Avernum.
Agnoscit Palinurum, et ibi solatur Elisam.
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
Vmbrarum poenas discit narrante Sibylla.
Convenit Anchisen: penitusque in valle virenti
Agnoscitque suam prolem monstrante parente.
Haec ubi percepit, graditur, sociosque revisit.

SEPTIMI

Hic quoque Caietam sepelit; tum deinde profectus
Laurentum venit: hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. Mensis en vescimur, inquit.
Centum oratores veniam pacemque petentes
Ad regem mittit lectos tum sorte Latinum:
Qui cum pace etiam natae connubia pactus.
Hoc forte Alecto Iunonis dissipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia fata repugnent.
Belli caussa fuit violatus vulnere cervus.

77. f. *Hoc furia Alecto.* Et paullo ante f. *natae est connubia pactus.*
78. f. *Concurrunt ferro*, vt Menag., vel *C. Rutuli, q. Fata* autem non Turno, sed Aeneae Latium cum Lavinia assignaverant: et cf. VII, 583, 584.

Tum gentes socia arma parant: fremit arma iuventus.

OCTAVI

Dat belli signum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et doceat, quae causa petendi.
Aeneas divum monitis adit Arcada regem
Evandrum, Arcadia profugum, nova regna petentem.
Accipit auxilium. Huic natum, et socia agmina iungit
Evander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Iamque habilis bello, et maternis laetus in armis,
Fataque, fortunasque ducum, casusque suorum
Sortitus clipeo, divina intentus in arte est.

NONI

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iunonis monitu Turnus festinat in hostem.
Teucrorum naves, Rutulis iaculantibus ignem,
Nympharum in speciem divino numine versae.
Euryali et Nisi coeptis fuit exitus impar.
Pugnatur. Castra Aeneadae vallumque tuentur.
Audacem Remulum dat leto pulcer Iulus,
Fit via vi. Turnus Bitian et Pandaron altum
Deiicit, et totis victor dat funera castris.
Iamque fatigatus recipit se in castra suorum.

DECIMI

Consilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant.
Advenit Aeneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, et totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in praelia Turnus.
Caeduntur que duces: cadit et sine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnae Iunonis numine Turnus.
Aeneas perstat Mezenti caede piata,

90. f. *Miratur clipeo, divina intentus in arte*; casus in clipeo expressos.
108. *Mezenti caede*, h. a Mezentio facta; stragem Troianorum ab eo editam ulciscitur. Forte fuit· *piare*, perstat in eo, vt piet, expiet, ulciscatur, caesos, morte Mezentii.

Et Lausum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipse.

VNDECIMI

Constituit Marti Spoliorum ex hoste tropaeum.
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Iura sepulturae tribuit tempusque Latinis.
Evander patrios affectus edit in urbe.
Corpora caesa virum passim digesta cremantur.
Legati referunt Diomeden arma negasse.
Drances et Turnus, leges aequante Latino,
Concurrunt dictis. Aeneas imminet urbi.
Pugnatur. Vincunt Troes. Cadit icta Camilla.
Deinde duces castris, donec cessere, minantur.

DVODECIMI

Turnus iam fractis adverso Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Foedus percutitur passuris omnia victis.
Hoc Turni Iuturna soror confundit: et ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Aeneas volucri tardatur membra sagitta.
Anxia pro nato servavit cura parentis.
Vrbs capitur. Vitam laqueo sibi finit Amata.
Aeneas Turnum, campo congressus, utrimque
Circumfusa acie, vita spoliavit et armis.

II (X)

Argumenta Monostichis expressa. v. ibid. Epigr. 191.

Aeneas primo Libycis appellitur oris.
Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.
Tertius errores canit; amissumque parentem.
Vritur in quarto Dido, flammasque fatetur.

X. Praefixa etiam singulis libris in Edd. Basil. et in Cod. Rom. ap. Bottar.

Quintus habet ludos, et classem corripit ignis.
Quaeruntur sexto Manes et Tartara Ditis.
Septimus Aenean reddit fatalibus arvis.
Praeparat octavo bellum quos mittat in hostem.
Nonus habet pugnas, nec adest dux ipse tumultus.
Occidit Aeneae decimo Mezentius ira.
Vndecimo victa est non aequo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

III (XI)

Argumentum omnium operum Virgilianorum.
ibid. Epigr. 188 *indocti et barbari hominis.*

Pastorum Musam vario certamine promit,
Ruris item docilis culturam carmine monstrat.
Arboribus vitem, prolem quoque iungit olivae,
Pastorumque Palen, et curam tradit equorum.
Tunc apium seriem, et quae mellis dona, recenset.
Aeneas profugus intrat Carthaginis oras.
Convivis series narratur Troica belli.
Tertius at complet narrantis in ordine gesta.
Ardet amans Dido fatum sortita supremum.
Quintus habet varia tumuli spectacula patris.
Infernos Ditis Manes et regna pererrat.
In Latium Aeneas, Italas simul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus,
Euryalum et Nisum deflet cum matre iuventus.
Mezenti interitus canitur, post funera Lausi.
Vltaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas moesta sub umbras.

8. *bellum*, pro bellum utrinque gerentibus, positum. Nisi potius est: *Praeparat* (Aeneas) *octavo bellum* (ei) *quos mittat in hostem*. Nam ab Evandro auxilia arcessit.

XI, 3. versum non satis intelligo. Nisi *iungere* est praecipiendo addere post arbores vitium et olivae culturam.

IV (XII)

Item Argumenta in Aeneidem per Hexasticha. ibid. Epigr. 194, *ubi ex Vossiano codice integritati sunt restituta. Itaque et nos inde transscripsimus.*

PRIMI LIBRI

Arma virumque canit vates, Iunonis ob irsm,
Et totum Aeoliis turbatum fluctibus aequor;
Disiectas classes, submersaque corpora ponto;
Hospitium Didus, casus quo gentis, et annos
Aeneas Troiae fatumque et bella referret.
Quorum pars terrae, pelago pars, addita famae est.

SECVNDI

Conticuere omnes, intentique ore loquentis
Ora tenent. Ac tum dolus introducitur hostis.
Et fallacis equi damnosum muuus in armis,
Perfidia notusque Sinon, amissaque coniunx,
Per medios ignes ablatus saevaque tela
Anchises, oneri facilis pietate ferentis.

TERTII

Postquam res Asiae, disiectaque moenia Troiae:
Dant pelago classes, Polydori funera discunt,
Atque Heleni praecepta, fidem cui fecerat usus:
Quae non accessus via sit tentanda, Cyclopas
Et Scyllae rabies et ineluctabilis unda,
Errorisque maris labor in contraria versus.

QVARTI

At Regina, gravi pectus succensa dolore,
Ardet amore viri; clausum veneratur amorem.
Dumque capit, capitur, sentit, quos praebuit, ignes
Aeneas; altum sociis et classe petivit.
Exstructa Regina pyra penetralibus, instat.

18. Vid. Aen. III, 429, 430, 688 sqq.

Morte fugam praestare. Morae nec defuit hora.

QVINTI

Interea medium Aeneas tendebat in aequor,
Moenia respiciens caussa flagrantia amoris.
Mox Siculae tenet arva domus, Manesque parentis
Ludorum exsequiis celebrat. Quibus additur Iris,
In faciem Beroes classem flammare iubentis,
Iunonem mentita dolo. Namque illa monebat.

SEXTI

Sic fatur lacrimans. Cumarum allabitur oris,
Descensusque parans adiit praecepta Sibyllae.
Qua duce non faustum mortali limen aditur.
Hic primum maestos videt inter cetera Troas,
Tum patrem agnoscit, discit reditura sub ortus
Corpora, Romanosque duces seriemque nepotum.

SEPTIMI

Tu quoque littoribus nostris, Caieta, manebis;
Servat honos nomen, pietas testatur honorem.
Caussa opus insequitur: bellum namque incipit esse,
Tyrrhidae iuvenum quod tum conflaverat ira.
Turnus adest; monet, arma sibi contraria sumat.
Tum gentes socia arma ferunt; fremit arma iuventus.

OCTAVI

Vt belli signum cecinit, sociosque vocavit
Turnus, et in varias turbatus pectora mentes

24. Obscure dictum; *praestare fugam morte* esse videtur compensare, luere: fugiente Aenea mori: solvere quasi poenam morte. Nam *praestare* est solvere, exaequare summam pecunia redhibita; pro fuga redhibet mortem. Idque illa sine mora exsequuta est.

30. An *In faciem Beroes — Iunonis mutata dolo.*

32. *adiit*, petiit.

39. Inepte; an *Caussa operum sequitur*, ut male adumbratum sit ex Aen. VII, 481, *quae prima laborum causa fuit*. Nisi malis: *Causam opus insequitur*. Causa, occasione data, pugna fit.

40. Indocte *Tyrrhidam* pro Tyrrho posuit. Alias *Tyrrhi natorum* dicere potuisset.

41. *sumat*, scil. Latinus. nisi fuit *sumant*.

Aeneas Evandrou adit, facit hospitis usum,
Atque operum caussas, urbis cognoscit honores:
Arma rogat, Cytherea rogat, mox accipit heros,
* Tuque opere ast piget facti labor efficit artem.

NONI

Atque ea diversa peuitus dum parte geruntur,
Iris adest; monet arma sibi contraria sumat,
Caeduntur vigiles et mutua corpora fratrum,
Nisus et Euryalus, morte et pietate fideles;
Dumque petit laudem, vincunt contraria fata.
Audacem Remulum leto dat pulcer Iulus.

DECIMI

Panditur interea caelum sedesque Tonantis.
Alternos questus Venus ac Saturnia promunt.
Illa dolos, haec bella, movet; sed vincitur ira
Mater. At Aeneas bello non segnior instat.
Vulnere Mezeuti * laedaem nam fecerat iram,
Quem tetigit virtus, superat per fata periclum.

VNDECIMI

Oceanum interea Phoebus superaverat ortu.
Exstruit Aeneas dextra quaesita tropaea,
Condit humi socios, fatum quos condidit ante.
Legati responsa ferunt, veniamque petitam
Non uegat, et contra pugnat secura Camilla,
Femina caede potens, casu temeraria tanto.

DVODECIMI

Turnus ut infractos vidit cessisse Latinos,

47. f. *Arma deum Cytherea rogat.* Sed in inepto carmine emendando operam ponere piget. Sequentem versum sic constituit Burmannus: *Tunque opera ista stupet; factis labor addidit artem.* Non deterior versus esset: *Neque operis pigeat, fucit labor efficit arte.*

50. *sumat*, scil. Turnus; nisi est *sumant.*

51. Discedit a Virgilio Scholastici levitas; partim verborum proprietatem deserit.

53. Sine dubio, *petunt.*

57, 58. *sed vincitur ira Mater.* Quo spectet nescio; nec iu seqq. quicquam sani est. Videtur de Lausi et Mezentii caede agi debere.

Instat atrox pugnae, * neces sibi percipit hostis,
Pectore secreto violatur vulnere teli,
Aeneas caussa est. Illi Iuturna neganti
Adfuit obsequio, quum mors finiverat iram.
Sed sua fata virum traxerunt quaerere mortem.

V (XIII)

In Aeneidem Monosticha Basilii; male apud alios Ovidii. *ibid. ep.* 190.

Primus habet, Libycam veniam ut Troes in urbem.
Edocet excidium Troiae, cladem que secundus.
Tertius a Troia vectos canit aequore Teucros.
Quartus item miserae duo vulnera narrat Elisae.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.
Aeneam memorat visentem Tartara sextus.
In Phrygas Italiam bello iam septimus armat.
Dat simul Aeneae socios octavus et arma.
Daunius expugnat nono nova moenia Troiae.
Exponit decimus Tuscorum in littore pugnas.
Vndecimo Rutuli superantur morte Camillae,
Vltimus imponit bello Turni nece finem.

VI (XIV)

Tetrasticha in omnia Virgilii Opera. ibid. Ep. 193.

In Bucolica Fragmentum ex quodam Poëta.

Tityrus agresti modulatus carmen avena;
Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.
Silenumque senem sertisque meroque ligavit.

68. *pugnaeque vices* iam Oudendorpius emendavit; et mox *pectore sed recto*. Quid si: *percussa intercipit hostis Foedera: secreto violatur vulnere teli Aeneas. Causa est illi Iuturna: neganti Affuit obsequio. Iam Mars finiverat iram; sed s. f.*

XIV. Tetrasticha haec primum a Burmanno integra edita, quum antea non quatuor primi versus legerentur. — vss. 7 et 8 inepte adiecti esse videntur. Spectant f. ad Aen. lib. II et III. v. Donat. Vit. Virg. § 60.

Pastorumque melos facili deduxit avena.

In Georgica.

Sidera deinde canit, segetes et dona Lyaei,
Et pecorum cultus, Hyblaei mella saporis.
Principio breviter ventura volumina dixit;
Intercidit opus, coepitque referre secunda.

In Aeneidem.

LIBRI PRIMI

Arma virumque canit mira virtute potentem;
Iunonis odio disiectas aequore puppes;
Hospitium Didus, classes sociosque receptos,
Vtque epulas inter casus regina requirat.

SECVNDI

Conticuere omnes. Infandos ille labores,
Deceptamque dolis Troiam, patriaeque ruinam,
Et casus Priami docet et flagrantia regna;
Ignibus e mediis raptum deque hoste parentem.

TERTII

Postquam res Asiae deceptaque Pergama dixit;
Tum, Polydore, tuos tumulos, tum Gnosia regna,
Andromachen, Helenumque et vasta mole Cyclopas
Amissumque patrem Siculis narravit in oris.

QVARTI

At regina gravi Veneris iam carpitur igni,
Venatusque petit; capitur venatibus ipsis;
Et taedas, Hymenaee, tuas ad funera vertit,
Postquam Anchisiades fatorum est iussa sequutus.

QVINTI

Interea Aeneas pelagus iam classe tenebat,

15. f. *flagrantia tecta I.*
22. Bene Burmannus emendat, *capitur v. ipsa.*

Ludorumque patris tumulum celebrabat honore.
Puppibus ambustis fundavit moenia Acestae.
Destituitque ratem media Palinurus in unda.

SEXTI

Sic lacrimans tandem Cumarum adlabitur oris,
Descenditque domus Ditis, comitante Sibylla;
Agnoscit Troas caesos, agnoscit Achivos;
Et docet Anchises venturam ad sidera prolem.

SEPTIMI

Tu quoque littoribus famam, Caieta, dedisti.
Impetrat Aeneas Latium regnumque, Latinis
Foedus agens; saevit Iuno, bellumque lacessit,
Finitimosque viros Turnumque in proelia mittit.

OCTAVI

Vt belli signum Turnus, Mezentiaque arma,
Conscivitque duces; tum moenia Pallantea
Aeneas adit, Evandri socia agmina quaerens.
Arma Venus portat proprio Vulcania nato.

NONI

Atque ea diversa dum parte; hic diva Cybebe
Puppes esse suas Nympharum numina iussit:
Euryali et Nisi caedes et fata canuntur.
Fecerit inclusus castris quae funera Turnus.

DECIMI

Panditur interea caelum coetusque deorum.
Iam redit Aeneas, et Pallas caeditur acer.
Eripuit Iuno Turnum, Lausique parentem
Adiecit comitem mortis Cythereia proles.

VNDECIMI

Oceano interea surgens aurora videbat
Mezenti ducis exuvias caesosque sodales,

38. f. *Concivitque.*
47. f. *Lausoque parentem A.*

Et Latium proceres Diomedis dicta referre,
Tum qualis pugnae succedat Etrusca Camilla.

DVODECIMI

Turnus ut infractos vidisset (*et*) undique caesos,
Vltro Anchisiaden bello per foedera poscit;
Quae Iuturna parat convellere; sed tamen armis
Occidit, et pactum liquit cum coniuge regnum.

VII (XV)

Incerti Poëtae, apud nonnullos Ovidii, *Tetrasticha In Georgica: ibid. ep.* 189.

PRAEFATIO

Qualis Bucolicis, quantus tellure domanda,
Vitibus, arboribusque, apibus, pecorique, satisque
Aeneadum fuerit vates, Tetrasticha dicent.
Contineat quae quisque liber, lege carmina nostra.

PRIMI

Quid faciat laetas segetes: quae sidera servet
Agricola, ut facilem terram proscindat aratris,
Semina quo iacienda modo, cultusque locorum,
Et messes docuit magno olim foenore reddi.

SECVNDI

Hactenus arvorum cultus, et sidera caeli.
Pampineas canit inde comas, collesque virentes,
Descriptasque locis vites, et dona Lyaei,
Atque oleae ramos pomorum ex ordine lectos.

TERTII

Teque, Pales, et te pastor memorande per orbem,
Et pecorum cultus, et gramine pascua laeta,
Quis habitent armenta locis, stabulentur et agni,

53. Bene Burmannus *ut infractos vidit cessisse Latinos.*

XV, 5. Vid. Burm. Ge. I. p. 170. Exstabant iidem in Cod. Rom. ap. Bottar., sed corrupti.

12. f. *Atque oleae, et ramos pomorum.*

Omnia divino monstravit carmine vates.

QVARTI

Protinus aërii mellis redolentia regna,
Hyblaeas et apes, alvorum cerea tecta.
Quique apibus flores, examina quaeque legenda,
Indicat, humentesque favos, caelestia dona.

VIII (XVI)

Duodecim scholasticorum poëtarum argumenta in Aeneidem. ibid. ep. 195.

LIBRI PRIMI

VOMANVS I

Aeolus immittit ventos, Iunone precante,
Troianosque vagos Libycas expellit in oras,
Solatur Venerem dictis pater ipse dolentem.
Aenean recipit pulcra Carthagine Dido;
Cui Venus Ascanii sub imagine mittit Amorem.

SECVNDI

EVFORBVS II

Cogitur Aeneas bellorum exponere casus,
Graiorumque dolos, et equum, fraudemque Sinonis,
Excisamque urbem, Priamique miserrima fata;
Vtque patrem impositum forti cervice per ignes
Extulerit, caramque amiserit ipse Creusam.

TERTII

IVLIANVS III

Post casum Troiae fabricata classe superstes
Vela dat Aeneas, urbemque in littore Thracum,
Mox aliam pulsus Cretaeis condidit oris.

XVI, 6. *caussas* al.

Cedit et hinc, Helenumque videt, praeceptaque discit;
Aetnaeum Cyclopa fugit, sepelitque parentem.

QVARTI

HILARIVS IV

Ardet amore gravi Dido, soror Anna suadet
Nubere. Iunguntur, nimbo cogente, sub antro.
Incusat precibus patrem contemtus Iarbas.
Navigat Aeneas iussu Iovis. Illa dolore
Inpatiens, et amore, necem sibi protinus infert.

QVINTI

PALLADIVS V

In Siculas iterum terras Fortuna reducit
Aenean, tumuloque patris persolvit honorem,
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troes ibi linquunt socios. Venus anxia placat
Neptunum. Somnus Palinurum mergit in undis.

SEXTI

ASCLEPIADIVS VI

Sacratam Phoebo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius, vatisque petit responsa Sibyllae.
Misenum sepelit. Post haec adit infera regna;
Congressusque patri, discit genus omne suorum,
Quoque modo casus valeat superare futuros.

SEPTIMI

EVSTHENIUS VII

Tandem deveniunt Laurentia Troes in arva:
Et pace accepta laeti nova moenia condunt.
Nocte satam Iuno Furiam evocat. Illa Latinos
Inter et Aeneadas bellum serit, et ciet arma.
Protinus auxiliis terra instruit Itala Turnum.

OCTAVI

POMPEIANVS VIII

Vidit ut Aeneas summa vi bella parari:
Arcadas Evandrumque senem sibi foedere iungit;
Dardanioque duci sociatur Etruria tota.
Arma petit genetrix, dat Mulciber: in clipeoque
Res pingit Latias, et fortia facta nepotum.

NONI

MAXIMIANVS IX

Ad Turnum propere Iunonis mittitur Iris,
Instigatque animos. Acies movet ille; Phrygasque
Obsidet. In Nymphas versa est Aeneia classis.
Euryalus Nisusque luunt nece praelia noctis.
Vi Turnus potitur castris, vi pellitur inde.

DECIMI

VITALIS X

Placat et uxoris, dictis, et iurgia natae
Iuppiter. Auxiliis instructus Troius heros
Advenit. Occurrunt Rutuli, atque in littore pugnant.
Occidit a Turno Pallas: victorque superbus
Aeneae eripitur. Mezentius interit acer.

VNDECIMI

BASILIVS XI

Occisis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone satus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno iurgat certamine Turnus.
Aeneas equitem praemittit, et obvia virgo
Excipit. Extincta Rutuli dant terga Camilla.

DVODECIMI

ASMENVS XII

Troianis Rutulisque placet coniungere foedus.
Id Rutuli rumpunt. Nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt periuria victi.
Cogitur Aeneae Dauni concurrere proles.
Pallantea necem misero dant cingula Turno.

DEDICATIO AENEIDOS

SI MIHI SVSCEPTVM FVERIT DECVRRERE MVNVS
O PAPHON O SEDES QVAE COLIS IDALIAS
TROIVS AENEAS ROMANA PER OPPIDA DIGNO
IAM TANDEM VT TECVM CARMINE VECTVS EAT
NON EGO TVRE MODO AVT PACTA TVA TEMPLA TABELLA
ORNABO ET PVRIS SERTA FERAM MANIBVS
CORNIGER HOS ARIES HVMILEIS ET MAXIMA TAVRVS
VICTIMA SACRATO TINGVET ODORE FOCOS
MARMOREVSQVE TIBI DEA VERSICOLORIBVS ALIS
IN MOREM PICTA STABIT AMOR PHARETRA
ADSIS O CYTHEREA TVVS TE CAESAR OLYMPO
ET SVRRENTINI LITORIS ORA VOCAT

Dedicatio Aeneidis; vulgo ipsi Maroni tributa; perperam; poëtae tamen non infelicis. Saltem mira eius est venustas et suavitas. Legitur in Antholog Lat. lib. I, Epigr. 63. et infr. Vol. IV. Catal. VI.

P. VIRGILII MARONIS

BVCOLICA

DE CARMINE
BVCOLICO

Carminis *bucolici*, ἀπὸ τῶν βουκόλων, quod pastorum genus honestissimum erat, dicti, *h. pastoritii*, origo varie traditur, et a diversis fabulis repetitur. Sunt qui eius initia in aetate aurea, sunt qui in Arcadia aut in Sicilia quaerant [1]. Alii auctorem Diomum aliquem, alii Daphnidem, hi Stesichorum, illi Theocritum faciunt [2]. Sed fluctuat haec disputatio et incerta fertur, quod non animadverterunt docti homines, *aliud* esse carmen pastoritium, quo homines, qui greges pascerent, ut nostris temporibus, ita primis statim vitae humanae initiis longum diem fefellerint, *aliud*, quo homines ingeniosi vitae rusticae bona ac delicias certa ratione et arte adumbrarint. Prius illud haud dubie inter antiquissimos homines viguit, antequam in magnos coetus et civitates coirent; idemque inter omnes populos usitatum esse constat, qui sive vagis, Nomadum more, sive certis sedibus utentes dent gregibus alendis operam:

> Et zephyri cava per calamorum sibila primum
> Agrestes docuere cavas inflare cicutas,
> Inde minutatim dulces didicere querelas,
> Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum,
> Avia per nemora ac silvas saltusque reperta,
> Per loca pastorum deserta atque otia dia 3.

Quemadmodum igitur apud Hebraeos et Arabes carmina fuere pastoritia ad veram vitam expressa, et regum principumque filii cum inter eos, tum inter Troianos, Phryges et Hellenes fuisse memorantur, qui greges et armenta pascerent: ita po-

1. V. Servius pr. Comment. Auctor Vitae Virgilii Donatianae c. 21. Diomedes lib. III, p. 483 Putsch. Grammaticus Graecus pr. Theocriti.

2. Athenaeus XIV, p. 619. Diodor. IV, c. 84. Aelianus V. H. X, 18, ubi v. not.

3. Lucret. V, 1381 sqq

tuere *Arcades* et *Siculi*, qui ut bonis pascuis abundabant, ita vitam gregum curae impendebant, invitante ipsa locorum amoenitate, caeli clementia (*cf. Diod. IV*, 84), animi a curis vacuitate et otio, carmina pastoritia condere et vulgari usu habere; potuere esse inter eos, qui cantu excellerent, qui certamine vincerent. Consecrarunt vero poëtarum fabulae nomina pastorum e vetere vita, ut Daphnidis. v. Ecl. V. Fortasse etiam festa, quae Apollini, Dianae, Cereri, Pani aliisque diis rusticis celebrabantur, uti maiorem celebritatem, ita maius studium, maiorem artem et concinnitatem carminum, nec non certandi et mutuo sibi respondendi sollertiam, quae amoebaea peperit carmina, attulere; quo ipso apparet, cur initia Musae bucolicae ad festum fere Dianae aut Apollinis Nomii, alteriusve numinis agrestis referantur [1]. Multo tempore interiecto, fortasse etiam post multos alios, qui idem tentaverant, inter quos Stesichorus fuisse fertur [2], tum *Sicelidas* Samius, seu, ut Grammatici tradunt, eius filius *Asclepiades* Samius, cum *Lycida* Cydonista et *Phileta* [3], elegis nobilitato, exstitit *Theocritus*, qui qunm videret, quantam gratiam ista carmina rudia et indocta haberent, quantamque, si arte paululum polirentur, venustatem et suavitatem habitura essent, *hoc genus carminis bucolici* excoluit, quod antiquam quidem illam indolem referret, *politum* tamen *magis et excultum*, numerisque ac legibus adstrictum, cuiusque ea natura esset, ut pastoritiae istius vitae, cuius species animo humano ipsius naturae quodam lenocinio iucundissima insidere solet, bona, tranquillitatem, securitatem, innocentiam, delicias et gaudia numeris modisque adumbrando, animos hominum deliniret et grata fraude delusos teneret. Quum autem duobus id potissimum modis effici posset, *aut* narratione, in qua, tanquam a pictore in tabula, agri, greges, silvae descriptae exhiberentur, *aut* actione aliqua et ad dramatis formam, per dialogum, in quo confabulantes inter se sensus suos, fortunam, facta, exponerent, ac declararent; priore illo, quod vix diu placere potest,

1. V. Vitam Virg. Donat. §. 84 sqq.
2. Aelian. l. l.
3. Theocr. VII, 40. Meleager in Corn. V, 47. Moschus III, 97 sqq.

quodque peculiare carminis genus, haud tamen copiosum ac fecundum, efficeret, omisso, alterum arripuit, et pastoritium carmen ita condidit et descripsit, *ut actionem aliquam ex ista vitae simplicitate et felicitate, seu rem gestam, aut quae contingere in ista vita posset, sacrum aliquod festumve, fortasse etiam casum memorabilem, ut inter tales homines, aut etiam cultum et colorem eius vitae, sed facto aliquo expressum, quo istorum hominum studia, affectiones, officia, rationes, declararentur, per sermones istorum hominum inter se confabulantium ita exhiberet, ut animi audientium iucunda rerum imagine et vitae istius grata specie frui viderentur* [1]. Capi autem et demulceri istis delinimentis animi non possunt, nisi, ab urbanae vitae curis ac molestiis avocati, in agris silvisque, inter greges et armenta et pecoris magistros versantur, atque id curatur a poëta, *ut ne quid subeat animos, quod molestiam, tenuitatem ac sordes istius vitae in memoriam revocet*, atque suavissimam illam oculorum fascinationem solvat; qua ipsa de causa factum est, ut *pastoritia* potius, quam omnino rustica vita, aut aratorum et opus rusticum facientium conditio in hoc carmine exhiberetur, quum haec quidem paulo plus offensionis haberet, nec facile ab attriti corporis defatigatione, laborum taedio et aerumnis suis liberari poëtae arte et ingenio posset. Sed haec a multis satis diligenter sunt praecepta, et ad prima huius generis elementa pertinere putanda sunt. Itaque

> Et secura quies et nescia fallere vita,
> Dives opum variarum, et latis otia fundis,
> Speluncae vivique lacus, et frigida Tempe
> Mugitusque boum mollesque sub arbore somni
> Non absunt, 2

omninoque totum carminis pastoritii argumentum ad silvas agrosque spectare, ruris et veris amoenitate commendari, et locus facti sive dramatis ita declarandus est, ut, dum legimus, rebus ipsis interesse videamur. Quod animorum deludendorum

1. Hanc argumentum tractandi rationem, quum verbum Latinum accommodatum non habeamus, *dramaticam* appellare liceat.
2. Ge. II, 467 sqq.

artificium descriptione locorum ac temporis multum iuvatur, cui veteres tam parum indulsisse, mirari fortasse possis. Quamquam Theocritus hac arte Virgilio multum praestat; sunt enim inter eius descriptione. nunnullae veris ac ruris suavissimae et dulcissimae [1]; frequentius eo, et in multis feliciter, Gesner usus est, suavissimus poëta, quem antiqua illa Graecia aut suum esse popularem crederet, aut nobis invideret. Ex eodem fonte derivatur illa praecipiendi ratio, *ut non modo, quidquid veri fructus, otii et felicitatis vitae rusticae sive pastorali insit*, ad pastoritii carminis suavitatem adhibeatur, verum etiam, *quidquid ad amplificandam, exornandam ac cumulandam istam veram iucunditatem animi vis excogitare ac fingere possit*, ad maiorem delectationem large et copiose congeratur. Quidquid enim animum delectare et illecebris quibusdam delinire potest, in id poëta ius habet. Non tamen in omni genere omnia ad delectandum vim habere possunt; et perperam statuitur, quod multi credere videntur, satis esse ad carmen rusticum, res e vita rustica, quaecumque tandem illae sint, dignae an indignae, gratae an molestae, verbis ac versibus reddi. Sunt multae partes et casus vitae rusticae ita tenues, humiles et viles, ut ornatum respuant, aut ipsis ornamentis displiceant sagacioribus; sunt alia, quae in alio fortasse carmine feliciter adumbrata placere possint; sed in nostro genere ea tantum sunt admittenda, quae otiosam, securam, liberam et omnibus curis solutam negotiisque vacuam vitam exhibere et subiicere sensibus nostris possint, qualis eorum hominum et olim fuit, et adhuc in quibusdam terris est, qui nondum in civitates redacti aut imperii aliqua forma descripti sunt, aut venatione aut pastione victum quaerentes; nam cum aratione et magnos hominum coetus congregari et naturali libertate exui necesse est. Sed ut venatio multum feritatis habet, ita eorum, qui, dum greges pascunt, libere per silvas camposque vagantur, vita et minimis malis laborat et maximis plurimisque bonis cumulata est. In *tractando* igitur pastoritio argumento poëtae necessario ita versandum erit, ut partim conditionem pastorum gentis suae malis, quibuscumque prematur,

1. Vide Idyll. VII.

liberet, bona autem omnia, passim in ea obvia, et maiora efficiat et in unum congesta fingendi licentia ita exornet, ut cumulatissimam felicitate vitam adumbret; partim ad fabulas de primorum hominum vita et aetate aurea, nec non ad narrationes sive de maiorum vita, antequam per vicos et urbes habitarunt, sive de populorum nomadum pastoritiamque vitam agentium moribus et institutis confugiat, et hinc suo argumento colores petat.

Iam non magna iudicii subtilitate indigere videtur diiudicanda quaestio, *an natura huius carminis ab argumentis piscatorii, venatorii, messorii, vindemiatorii et similis generis aliena censenda sit.* Carmina etiam huius generis bene condi posse, quis neget? Erunt illa vel in descriptione et narratione, vel in actione aliqua ex vitae istius partibus ac generibus exhibenda occupata; non vero in vitae pastoritiae simplicitate. Quod per se nihil habet, quod improbes. Quid, quod pastoritii generis materies parum est locuples? Ipsa vitae simplicitas et tranquillitas perpauca argumenta idonea suppeditat, nec tractandi simplicitas maiorem varietatem admittit. Ita fieri non potest, ut magna copia bonorum carminum bucolicorum umquam speretur. Quidni igitur liceat quamcumque vitae conditionem ac fortunam huic generi inferre, et fabulae semper eodem tenore procedentis taedium grata variatione levare? modo iucundas rerum imagines, quae delectent, et congruas sententias adhibeas. Enimvero id ipsum difficultatis habet hoc argumenti genus, quod raro molestis iniucundarum rerum imaginibus liberari, et ad gratam illam, animo nostro inhaerentem, simplicitatis, libertatis et tranquillae felicitatis notionem revocari potest; qua ratione et infecundum ingratumque illud est, et, dum in angustiore gyro coërcetur, multo plus laboris, artis et subtilitatis requirit. Quotum enim quodque ex Sannazarii idylliis iis caret vitii, quibus tota huius poëseos ratio, ut iucundis et gratis rerum imaginibus delectet, tollitur?

Enimvero, si totam bucolici carminis rationem his quidem finibus, quibus modo eam circumscripsimus, contineri placeat, *quid magnae Theocriteorum et Virgilianorum carmi-*

num parti facias, videndum tibi est. Et *Virgilii* quidem *quinta*, *septima* et *octava* haud dubie, quodammodo etiam *tertia ecloga* ad bucolicum genus referri poterit, reliquas ab eo alienas esse facile apparet [1]. Quae quidem res animadversa, Virgilii et Theocriti carmina tam diversi generis esse, tam diversis doctorum hominum de huius generis natura et arte iudiciis locum fecit, quum aut naturam bucolici carminis ex illis exemplis constituere, aut ad notionem e natura rei inatitutam revocare illa exempla vellent. Scilicet uti illa notio recte eo, quem sequuti sumus, modo informari videri potest, ita ingeniosorum hominum sollertia *alia genera* invenit, quae cum illo coniuncta, nec tamen plane eiusdem modi sunt. Et *Virgilius* quidem, nam ad hunc omnia nostra spectat disputatio, *novum genus* constituit ita, *ut* non tam notiones et species rerum ex aurea aetate repeteret, sed *ipsam auream aetatem repraesentaret*, homines, deos et heroes, qui in ea vixissent, exhiberet, iisque sententias ac mores congruos tribueret. Id genus invenire mihi videor, si *Silenum, eclogam IV*, *et Pollionem*, *eclogam IV*, reputo. Ac de illo quidem res manifesta; de hoc non magis dubia, si facultatem illam vaticinandi et poësin afflatis illis divino spiritu hominibus propriam ad antiquos homines pertinere memineris. Quod quidem quum novasset Maro, consequutus simul est hoc, ut epico carmini propius admoveret bucolicum, quum e prisca heroum vita sensus inferre liceret; id quod non modo ad excusandum, verum et ad probandum Maronis spiritum in bucolico genere valet. Facere illud non minus Maroni licuit, quam Theocrito idyllium Cyclopem scribere. Aliud adde carminis pastoritii, modo tantum variato, *genus* hoc, *ut* ad maiorem animorum voluptatem *rem*, *factum aut casum nostrorum hominum*, *nostrorum temporum*, *coloribus et pigmentis a vita pastoritia petitis ornemus*, et non modo ad fabulae bucolicae modum tractemus, sed etiam in *fabulam inter pastores gestam* commutemus, interdum etiam rem in antiquorum illorum temporum simplicitate et securitate agi aut evenire fingamus.

1. Servius in procemio in Bucol. »Sane est sciendum, VII Eclogas esse meras rusticas, quas Theocritus et habet.« Exclusit, puto, IV, VI, X.

Cuius generis, quod priore illo multis modis inferius habendum est, nec tamen sua laude, sua gratia ac suavitate caret, reliquae fere Virgilii sunt eclogae. Quid enim? *prima* et *nona* an quidquam aliud, quam poëtae casum et Mantuanorum fortunam, aut, si hoc magis placet, istorum certe temporum calamitatem, enarrat? *Decima* Galli amores, sub pastorali fabula, exponit. *Quarta* autem, quamquam eam ad aliud genus retulimus, cum hoc tamen commune habet illud, quod natales nobilis alicuius pueri celebrat. Ecloga denique *secunda*. Corydon inscripta, naturae pastoritii carminis nihil aliud habet, quam quod amoris miseri in puerum aestus imaginibus, sententiis et notionibus pastoralibus exprimitur. Nam ad illud quidem genus, in quo vitae pastoritiae libertas, innocentia et simplicitas commendatur, id plane non pertinere, quis non videat? Quid? quod hoc argumentum, quum plane nullam huius generis voluptatem afferat, et a vitae pastoritiae integritate abhorreat, eo minus iucundum est, quod Corydon pastor servilis conditionis est, qui domini sui pusionem amat. Hoc tamen genus plerosque recentiores poëtas, quum bucolica carmina condere sibi videbantur, sequutos esse, non opus est, ut multis doceamus.

Materia igitur et argumentum carminis bucolici seu pastoritii quale sit, videtis. Iam *mores ac sententiae*, *verba atque numeri* facile *ex ipsa vitae pastoritiae conditione* duci pòssunt. Simplicitas et naturalis aliqua venustas omnia ea continent, quae copiosius ab aliis hac in parte disputata sunt. In hoc tamen simplicitatis studio excluditur, quidquid, etsi ipsam vitae rusticae veritatem refert, ingratum tamen ad sensum ac molestum est. Non itaque admittendae sunt sordes, quae nauseam moveant, non verborum rusticitas et asperitas, non agrestis et foeda spurcities. Qua in re non pauci egregie falsi sunt, quum imitationis veritatem carmine male iactarent. Posse sane cum arte et ingenio rem quamlibet includi, quis neget? Quorsum tamen studeas imitando exprimere illa, a quibus, si casus obtulerit, oculos animumque avertamus? Et quae illa laus esse potest, imitatione ea bene reddere, quibus, quum in vita repraesentaveris, omni-

bus ingenue natis importunus ac molestus fedusque videaris? At vero, modo placeat ac delectet poëta, si consilio suo respondere hoc videat, quid eum vetet interdum ad mythicam hominum vitam nos revocare, et talem rerum ordinem modum et situm exhibere, qui nullus unquam nisi in hominum egregia imaginandi vi pollentium animis fuit; ea tamen cautione adhibita, ut ne incredibilia plane et ad praesentem vitae consuetudinem nullo modo verisimilia fingat. Interdum vero quid eum negemus antiquam vitae pastoritiae rationem elegantiis et deliciis e nostra vita petitis, modo satis consentaneae sint, temperare commode posse? Non enim natura huius carminis statim tollitur, si naturalis simplicitas, paulo horridior fortasse illa et incultior, venustate et elegantia nostra temperetur; quamquam prior illa ingenuis animis maiorem voluptatem afferre solet. Quae res vel Theocriti et Virgilii exemplis declarari et comprobari potest. Illius enim quam simplicior et verior humilitatique argumenti accommodatior est ratio! huius vero quanto elegantior et ornatior! Sed habebat uterque, quod sequeretur. Neque enim abhorrebant Graecorum ingenia a simplicitate et nativa aliqua castaque venustate; ipsius sermonis ac dialecti Doricae naturs, non potest dici, sentiri facile potest, quantam simplicitatem prae se ferat, et quantopere huic rerum generi apta sit et idonea, ut nec docta, nec inculta et horrida oratio sit. At Virgilius sermonis et dialecti suavitate destitutus [1], qui politiore aevo, inter homines urbanos, et elegantiam cum fastu sectantes viveret, multa ex vitae pastoritiae veritate aut seponere aut verbis honestare necesse habuit, quae nude et ad rei veritatem proposita et expressa superbas Romanorum aures offendissent: quae eius elegantia adeo in laude fuit, ut et Horatius illum ab hac dote commendaverit [2]: *Molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.* Ad Eclogas enim et Georgica respexisse Horatius videtur; ad Aeneidem nec Musae agrestes

1. Recte Probus: *Theocritum poëtam facilius* ait *Bucolica scripsisse, quia apud Graecos sermo rusticanus a civili dividi potest; ideo Latinis difficile fuisse, quia necesse est per eadem verba accommodare sensus.*

2. Sat. I, 10, 44, 45.

nec mollis et faceta oratio spectare potest: ut scriptam esse satyram statuas, antequam Aeneidis coeptae fama aliqua exiisset. Eam vero huius laudis sententiam, quamquam de ea iam veteres dubitasse videntur, esse probabile fit, ut poëtam ab aequabili aliqua elegantia commendet [1]. *Et facetum* quidem quid sit, iam a Quintiliano [2] expositum est, qui *decoris magis et excultae cuiusdam elegantiae appellationem* putat; et refertur *facetum* omnino ad id, quod placet et iucundum est, propter elegantiam maxime et urbanum aliquem leporem; sed *molle* ita accipiendum est, ut suavitatem significare putes, quae cum aequabili et remisso genere coniuncta est; opponitur enim *epos forte Varii acris*; et apud Ciceronem *mollis et remissa* oratio vehementiori et intentiori, qua animi tumultus ac motus excitantur.

Atque his dictis vix quidquam addendum est, ut illam causam, quae tam diversis hominum doctorum iudiciis disceptata est, diiudicemus, *an Virgilius Theocrito praestet*. Qua in comparatione difficile est assequi, quid magna eorum pars sequuta sit, qui Virgilium Theocrito in genere bucolico quam maxime anteferendum esse existimarunt; sed consuetudine fere, auctoritate caecoque aliquo amore et impetu eos duci videas; quamquam ne ii quidem ipsi, qui Theocritum huius carminis verum magistrum esse concedunt, iudicii subtilitatem et acumen ubique satis nobis approbant, quippe qui fere minutis nescio quibus et grammaticis rationibus de re decidant. Virgilio *elegantiae laudem, dignitatis et doctrinae* nemo invidebit; *sed simplicitate et naturali aliqua venustate rerumque copia ac varietate non minus cedit Theocrito, quam ars naturae*, quam vincere quidem illa operose in singulari aliqua re potest,

1. Non male Boilavius expressisse videri potest in vulgato illo: L'Idylle—
Son tour simple et naïf n'a rien de fastueux.—
Au contraire cet autre abject en son langage
Fait parler ses Bergers, comme on parle au village —
Entre ces deux excès la route est difficile;
Suivez, pour la trouver, Théocrite et Virgile;
Que leurs tendres écrits, par les Graces dictés,
Ne quittent point vos mains, jour et nuit feuilletés.

2. Instit. Or. VI, 3, 20.

sed in summa rei iners et vana habenda est. Verum etiamsi par laus utrique in iis ipsis rebus, quae maximae sunt, sit, Theocritus tamen in eo primas tuetur, quod ea invenit, in quibus retractandis alter et poliendis se continuit; quod quamvis magno plerumque ingenio factum nemo neget, interdum tamen tam sollicite Theocriti vestigia premit, ut sublegere potius illi sua, et versus undique conquisitos latine convertere, quam suo ingenio uti videatur. Sed de his ita quisque, uti libitum est, sentiat. Hoc unum monebo, nisi memineris, in Virgilio plus artis, in Theocrito plus nativae elegantiae esse, non mirari te non posse, quum videas, etiam praestantissimos ex hoc genere poëtas recentiorum temporum Virgilium maluisse sequi, quam Theocritum. Artis scilicet semper facilior imitatio; naturalem autem venustatem difficillime assequare.

Quod ad *descriptionem et oeconomiam* huius carminis attinet, varie ea quidem potest institui, semper tamen spectandum hoc, ut ea potissimum ratio ac via ineatur, qua legentium animis maxima voluptas afferri possit; cuius quidem rei eo diligentior ratio habenda est, quod huius carminis simplicitas et humilitas interdum in exilitatem abire, lenis et mollis tenor languere solet. Raro igitur poëta narrantis aut describentis partes suscipit, nisi ille in argumento admodum suavi et copioso ac florido versetur; sed *convertit* fere *rem in drama et actionem*, ipsosque pastores colloquentes ac narrantes inducit, ut res non narrari potius, sed geri, ac lectoris oculis subiici, et ipse inter silvas errare, in umbra arboris assidere, cantantes audire sibi videatur; quod non ita accipiendum, quasi omne carmen pastorale dramaticum esse debeat, ut cum Fraguerio [1] plerique, qui hoc de carmine, nuper quoque, scripsere, existimant, verum intelligendum, hanc rationem poëtae consilio fere maxime respondere.

Situs ac *loci temporisque designatio*, quae cuiusque carminis argumento conveniat, uti poëtae ingeniosi non infima laus est, ita ad maiorem ex lectione suavitatem capiendam multum facit. Cuius enim animus veris ac ruris, pascuorum

1. *Dissertation sur l'Eclogue par Mr. l'Abbé Fraguier, dans les Mémoires de l'Académie des Inscript.* Tom. II, p. 132.

et armentorum suavi descriptione non vehementer delectatur? aut quis cantum pastoris multo gratiorem esse non sentit, si ille sub fagi umbra, ad rivuli murmur, in molli herba, inter gregum exsultationes, sedens otio indulgeat?

> Dicunt in tenero gramine pinguium
> Custodes ovium carmina fistula,
> Delectantque deum, cui pecus et nigri
> Colles Arcadiae placent. 1

Potest is locus interdum adeo duplex esse, ut et is designetur, in quo pastor cantet, et alter in quo res commemorata gesta sit, ut in Ecloga decima a Virgilio factum videbimus.

Superest, ut nonnulla adiiciamus, quae ad Virgilianas eclogas magis spectant. Iam primum, nisi alia essent, quibus Maro magni poëtae nomen mereretur, solis bucolicis relictis vix eum in censum principum poëtarum venturum fuisse arbitror. Ingenii enim in inveniendo vix magnam habet laudem. Argumenta carminum, uti paulo ante vidimus, alia sunt ex Theocrito desumta et interdum ieiune satis traducta, aut e pluribus idylliorum Theocriteorum locis coagmentata, ut tertia et septima ecloga, alia bucolicae naturae non sunt, sed tantum ad bucolicorum morem tractata, ut prima, quarta, sexta, nona, et decima. Sententiae autem et verba magnam partem ex Theocrito sunt conversa, alia sunt a bucolici carminis natura aliena. Quis pastorem ferat decantantem illa: *Ante perrratis amborum finibus, exul Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim* (I, 62, 63)? et illa, quae sequuntur: *At nos hinc alii sitientis ibimus Afros, Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem.* Quod infames mores pastorum vel uno loco expressit (Ecl. III pr.), erat quod vix ab eius urbanitate expectares. In nimia et servili paene Theocriti hoc imitatione mirationem facere potest, metrum bucolicum, cuius Theocritus studiosissimus fuit, plerumque neglectum esse a Marone, id quod multi notarunt; cuius rei causa potissimum in sermonis Latini indole pedumque et numerorum natura inesse videtur. In oratione vero verba agrestia et soloeca sequutum esse, equidem non ausim pronuntiare. Nam diversa

1. Hor. Carmen. IV, 12, 9.

res est, dura nonnulla esse, quae in his Eclogis occurrunt; quae tamen corrupta potius et interpolata dixeris. Ex uno quidem illo, quod *cuium pecus* reprehensum fuisse Grammaticus narrat, vix satis tuto indicium feras. Ceterum Virgilius ut tantam per bucolica apud populares suos laudem consequeretur, fecit inprimis rei novitas, felixque in carmine Siculo, quod ipsa sermonis latini asperitas respuere videbatur, transferendo audacia. Nondum enim sermo ad hoc rerum genus, ad venustam hanc simplicitatem, ad hanc numerorum mollitiem expolitus erat, quum Maro primus carmen bucolicum scribere tentavit. Adde quod multa magni poëtae in his ipsis carminibus insunt vestigia, in primis doctrina copiosa, orationis dignitas et elaborata limataque in plerisque elegantia.

Eclogae quidem nomen non minus quam Idyllii Grammaticis deberi valde verisimile fit. Quum illud primo latius pateret, et ad quodvis carminis sive operis genus pertineret, quod e pluribus *delectum* esset, aut e pluribus *eiusdem formae* constaret, ut Horatii sermones in nonnullis codicibus eodem nomine insigniri narrant viri docti, quum plura carmina minora, licet eiusdem generis, duobus libris comprehensa et collecta sint, adhaesit id nomen, e Grammaticorum doctrina, generi bucolico. Constat enim eiusmodi liber e pluribus carminibus; quae quidem ut et statuas ex aliis selecta esse, qui proprius vocabuli significatus est, minime necesse esse arbitror. Quo nomine Virgilius ea in vulgus emiserit, non constat; *Bucolicorum* tamen nomen verius et antiquius est. Poëtam ipsum, postquam singula ea carmina vulgaverat, uno volumine cuncta esse complexum, probabile est, quum Tityrus in initio Bucolicorum constitutus fuisse feratur iam inter Maronis aequales: *Tityrus et fruges Aeneïaque arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit;* ipseque Maro Ecl. X pr. finem Bucolicis se imponere velle profiteatur.

De *tempore* et *ordine Eclogarum* ad vitam Virgilii, maxime ad a. 717, satis copiose disputatum esse arbitramur. Monenda sunt pauca de *allegoria* Eclogarum Virgilii, in qua dici non potest, quam vanam et inanem operam a Servio inde viri docti posueriut. Et Servius quidem quum minima commen-

tariorum pars antiquo illi Servio debeatur, tot tamque variis et ab omni historiae fide alienis commentis et nugis consarcinatus est, ut unicuique argutias captanti magna satis copia materiae ad manum sit. Catroeus autem, cuius vanitatem ut feras, magna animi aequitate et patientia opus est, quasi in Romanensi fabula versaretur, adeo multa nova et tam confidenter mentitus magis, quam commentus est, ut interdum, quorsum evasura res sit, plane haereas. Verum ex reliquis etiam interpretibus, qui maiore cum pudore, iudicii acumine et veritate Eclogas enarrarunt, vix quisquam est, qui ab eo morbo intactus manserit. Adeo confuderunt viri docti et nomen et naturam allegoriae, quae eo continetur, ut quum sensa animi propriis verbis eloqui aut nolis aut nequeas, ea studiose aliis signis reddas, ita tamen, ut tecte indices, non proprie ea dicta esse accipienda, sed in alium sensum interpretanda: quae ratio utique diversa est ab ea, ex qua poëtica phantasmata a simili aliquo rerum genere petuntur, aut novitatis causa ex aliquo genere in aliud transferuntur. Quod si in nonnullis, ut in I, IX, X allegoriae locus relinquendus est, eius tamen natura eiusmodi est, ut poëta *universam tantum rem* fabula arcessita involvisse, *singulas* vero *partes proprie tractasse*, suisque ornamentis honestasse videatur. Nihil itaque nec odiosius, nec a rei ratione magis alienum, quam singulas sententias ad allegoriae subtilitatem revocare velle [1]. Sufficit v. c. in prima Virgilii Ecloga tenere, communem omnium temporum opinionem esse, Virgilium partim ad suam, partim ad Mantuanorum fortunam respexisse, et Augusto pro redditis agris gratias agere voluisse. Sed ea, quae de Tityro memorantur, singula anxie cum Virgilii persona comparare, id quam putidum sit, quis non sentiat? Appellat se ipse Tityrum Ecl. VI, 4. Sed ad eumdemne versum 55 Ecl. VIII referas? Quid IX, 23? plerosque tamen interpretum multos in eo esse videas.

1. Recte, quisquis ille est, Grammaticus in attextis Vitae Virgil. §. 99: *Illud tenendum esse praedicimus, in Bucolicis Virgilii neque nusquam neque ubique aliud figurate dici* etc. et in Servianis ad Ecl. III, 20: *Refutandae sunt allegoriae in bucolico carmine, nisi quum, ut supra diximus* (ad Ecl. I, 1) *ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt.*

Non quidem illos, quo se tueantur, habere nego. Fecit idem hoc antiquitas. Sed omnino huius generis bucolicorum carminum ratio et natura melius intelligi poterit, si ea memineris, quae paulo ante de eo genere disputabamus, quo res e praesenti vita sumta maioris suavitatis causa pastoritiae fabulae iucunditate et ornamentis, ex ea vita petitis, commendatur. Quod consilium recte si teneas, non erit, quod in singulis sollicite et anxie labores.

P. VIRGILII MARONIS
BVCOLICON
LIBER.

ECLOGA I. TITYRVS.

ARGVMENTVM.

Meliboeus, agris suis exutus, dum patria extorris capellarum gregem ante se agit, in Tityrum incidit; quem quum in communi calamitate summa securitate et otio frui videret, miratus hominis sortem, cui acceptam eam ferat, rogat. Narrat Tityrus, v. 20 sq., quomodo et a quo agros suos gregesque salvos recuperaverit: se, aetate iam provectum libertatis consequendae causa Romam profectum, a domino obtinuisse, ut gregem libere ac tranquille pascere posset. Putandus igitur est Tityrus esse unus ex pastoribus servis in fundo a domino habitis. cf. ad v. 28. Interea alter de malis ac molestiis migrationis suae conqueritur; v. 47 sq. Subsistit dialogus in eo, ut Tityrus miserum exulem in tugurio suo pernoctare iubeat.

Atque hoc quidem verum ac proprium carminis argumentum; quod quantum a natura carminis pastoritii proprie dicti absit, facile apparet, et quale novum genus constituat, in disputatione de Bucolicis Virgilianis expositum est. Sed communis omnium temporum opinio, veterum grammaticorum fide firmata, obtinuit, Eclogae huius rationem ad illa tempora et Virgilii fortunam accomodatam esse, eoque anno (V. C. 713) illam scriptam esse, quo Triumvirorum pactione decreta nefanda illa agrorum inter veteranos divisio ab Octaviano facta est; de qua v. Appian. Civil. lib. IV, 3. (T. 2 p. 534 ed. Schw.): Dio XLVII, 14. Inter eos, quorum agri assignati sunt veteranis, fuere Cremonenses, qui et ipsi Cassii Brutique partes sequuti fuerant; v. Serv. ad Ecl. IX, 28. Quorum agri quum pro militum immissorum numero nimis angusti essent, vicinos Mantuanorum agros additos esse narrant. Inter Mantuanos, qui

hanc iniuriae indignitatem subirent, Virgilium fuisse tradunt; eum tamen, sive suo, sive Asinii Pollionis consilio, Romam profectum ab Augusto obtinuisse, ut agri sibi restituerentur; qua de re vid. Vitam Virg. a. 713; *ut adeo sub Tityri persona suam fortunam poëta adumbraverit. Atque ea iam veterum opinio fuit; v. Nemesian. Ecl. II,* 82; *Calpurn. IV,* 162; *Sidon. lib. I, epist.* 5; *ut Quinctilianum taceam. Quae res bene se habere potest, modo ne allegoria ad omnes versus et verba singula circumferatur.*

Locus autem, in quo pastores confabulantur, est ad umbrosam fagum in loco arboribus consito, sub qua Tityrus recubans pastoritio cantu otium consumit, dum gregem errantem prospicit. Versu tamen 52—59 *accuratius describitur loci prospectus. Ad tanto maiorem rei iucunditatem facit contraria alterius pastoris fortuna miserabilis, qua nihil disertius ad Tityri felicitatem illustrandam commemorari potuisset.* H.

Virgilius Octaviano, qui fundum, quem ille in agro Andino habebat, intactum servaturum se esse promiserat, gratum hoc carmine pro tanta, qua sibi, dum vicini misere possessionibus suis exturbarentur, frui liceret felicitate, animum testificari, et iuvenis fidem obstringere voluisse mihi videtur. Quem animi affectum Tityro, olim servo, eodem ferme tempore, quo haec a Cesare erant promissa, manumisso, duplici tum laetitia percepta, et ex libertate donata et ex agro herili servato, exultanti urbane tribuisse, carmineque pastoritio, quale genus tum ille tractabat, apte exposuisse, nemo facile negabit. Hinc apparet, cur Tityrus magis de agro servato, quam de libertate accepta laetetur; et cur v. 10, *illam statim beneficii partem praedicet:* Ludere, quae vellem calamo permisit agresti. *Animus enim curis rerum necessariarum vexatus ad carmina incalescere nequit. Egregie cecinit Iuvenalis VII,* 69: Nam si Virgilio puer et tolerabile desit Hospitium, caderent omnes de crinibus hydri: Surda nihil gemeret grave buccina. *Distinguas autem velim dominum Tityri Virgilium, et agri servati auctorem, Octavianum. Carmen auctumno anni* 713 *scriptum esse, ex versibus* 72 *et* 81, *probabiliter collegit H. Vossius.* W.

MELIBOEVS, TITYRVS.

MELIBOEVS.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriae finis et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRVS.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.

SELECTA EX SERVIO COMMENTARIA

1. *Patulae. Patulum* dicitur quod patet naturaliter, ut nares, arbor, crus. *Patens* vero, est quod clauditur et aperitur, ut ostium, et oculi.

3. *Nos patriae fines linquimus.* Non voluntate, sed vi Caesaris et militum eius compulsi, victo Antonio.

5. *Resonare doces Amaryllida silvas.* Id est, carmen tuum de amica Amaryllide compositum doces silvas resonare. Et melius est nt simpliciter intelligamus. Male enim quidam allegoriam volunt: Tu carmen de urbe Roma componis celebrandum omnibus gentibus. Plus enim stupet Meliboeus, si ille ita securus est, ut tantum de suis amoribus cantet.

1. Meliboeum puta gregem ante se agendo accedere ad Tityrum, βουκόλον, qui boves pascebat vs. 46. — Tityrum *silvestrem Musam*, carmen pastoritium, (per *silvas* enim aestate greges pascunt Itali, cf. Ecl. VI. 2. Et Lucretius IV, 593, *Silvestrem Musam* dixit. *W.*) *meditari*, exercere, μελετᾶν, h. e. cantui eum vacare, indulgere ait, et quidem *tenui avena*, ut culmus pro fistula sit. v. Ecl. III, 27. Ornat epitheton *tenuis*, ex natura culmi petitum, non a carminis indole.

4. *Fugit*, φεύγει, is, qui expellitur et exsulat, ut h. l. Meliboeus; *lentus*, otiosus et securus. *H. Amaryllida*, bonam contubernalem Tityri, amore eius commodis sedulo prospicientem. *W.*

6-10. *Deus*, dominus Tityri, quem Romae adierat, quemque infra vs. 43 *iuvenem* appellat. Caesarem Octavianum, Divi Iulii filium, agri Virgiliani servati auctorem declarari inter interpretes constat. cf. v. 42 sq. Quem, *deum* sibi beneficiis, ex usu vocis apud Veteres, pro Lare culturum se esse profitetor Tityrus. *H.* Differre autem dominum Tityri et beneficii auctorem, *deum*, in Argumento videas notatum. *Nostris* decere liberum vel servientem, ut v. 47, *tua rura*, h. e. rur. heri, et IX, 44, observavit H. Vossius. *W.* Per *otia* in-

Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

MELIBOEVS

Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Vsque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.

7. *Namque erit ille mihi semper Deus.* Et iteratio ipsa exclusit adulationis colorem.

8. *Imbuet agnus. Imbuere* est proprie inchoare, et initiare. Nemo autem unam eandemque rem saepe inchoat: sed constat saepe pascua mutare pastores: sicut etiam in Georgicis legimus, *Itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis: tantum campi iacet!* Vnde necesse est, pastores totiens aras imbuere, quotiens mutaverint pascua. Invenimus etiam apud antiquiores, *Imbuere*, esse non inchoare, sed perfundere et madefacere, secundum quod, absolutus est sensus: ut sit: *saepe perfundet.*

11. *Non equidem invideo.* Excusat se, ne frequens interrogatio felicitatis alienae ex invidia venire videatur: dicit se admirari potius, quam invidere.

13. *Aeger.* Et corpore et animo *aeger* dicitur: ut, *Esto, aegram nulli quondam flexere mariti.* Sed *aegrotus*, corpore tantum. *Ago* autem, proprie: nam agi dicuntur pecora.

telligit securitatem inter tantas turbas et tumultus bellicos. — 7. Observa poëticam orationem pro: *ei sacrificabo*, sollemnem tamen, ut apud Theocr. Epigr. I, 5. — Mox 8 *agnus ab ovilibus*, pro agno ovilis seu gregis. *H.* Legitima fere dicendi ratio; Tibull. II, 1, 57, *a pleno memorabile munus ovili.* W. — 9. *Errare*, id est, pasci, placide et libere vagari. —*ipsum me ludere permisit.* Quando enim de grege agitur, *ipse* de pastore est accipiendum, vi relationis.

11. *Magis* pro potius. — *undique totis.* In prosa per *nam* vel *cum* efferendum erat: nam valde turbatur. *H.* Non tam invideo, quam potius miror, te tam tuto et tranquille agere, quum tantae undique in nostris agris turbae et calamitates exortae sint, quandoquidem immissi in nostras possessiones veterani nostros agros occupant, nosque depellunt. — 12. *Ipse* eiectus paternis bonis, affecto quamvis corpore (nisi *aeger* pro *aegre* accipias), ago capellas, dum hinc migro etc. *H. Aeger*, animo moesto. Oppositum hoc Tityro tranquillo et laeto. *W.* — Mox v. 13 *Protenus*, porro tenus, longe a finibus, Servius ait. Simpliciter accipiendum pro *ante se agere*, *προάγειν*, opp. verbis *errare*, *vagari*, quod fit, dum pascendi causa aguntur; at hic abiguntur. Vnam vero *ducit*, fune trahit: quia recens partus ambulationem prohibebat. —

Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De caelo tactas memini praedicere quercus.
* Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix. *
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRVS

Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus

15. *Spem gregis.* Id est, marem et foeminam; reparatio enim gregis in sexu utroque consistit.

17. *De coelo tactas memini praedicere quercus.* Mire compositum augurium. Nam quercus in tutela Iovis est; et huius arboris fructu olim homines vescebantur. Per quercus ergo, agri: per fulmen, ira Iovis: per iram Iovis, ira Caesaris: per damnum arborum, damnum agrorum figurabatur. Haec quercus ergo tacta, id est, afflata leviter fulmine (ut Cicero, *Tactus est ille, qui hanc urbem condidit Romulus*), significabat motu Imperatoris posse agros eorum perire, apud quos fulminatae sunt arbores: nam agri caussa victus sunt, sicut olim quercus. Quod autem ait *tactas*, ostendit, temporale fore damnum, quale patiuntur arbores leviter fulminatae. Et bene *praedicere*, quasi praeloqui et praedivinare: quum ita manifestum constet esse augurium.

15. *connixa* difficultatem indicat parientis, ideo non *enixa*. — *reliquit* maiorem etiam miserationem excitat. — *silice in nuda*, non substractis herbis. Ge. III, 297: *Edico — Et multa duram stipula filicumque maniplis Sternere subter humum.*

16. Bene haec de ostento obiecto, arboribus frequenter fulmine tactis, ad superstitionem talium hominum dicuntur, quum adversi aliquid iis accidit. *laeva mens*, stupida, tarda. Horat. Art. 301, *O ego laevus* etc. — 19. *da*, ede, dic, edissere, ut *accipe*, audi, Aen. II, 65. *H.* Conf. Cicer. Acad. I, 3, 10: *Sed da mihi nunc: satisne probas? W.* Notent iu iis, quae sequuntur, tirones longas narrationis ambages pastoris imperitiae non male convenientes. Narrare volebat ac debebat: se libertatis petendae causa Romam venisse et cum hac illud quoque a domino impetrasse, ut greges tuto pascere posset: vs. 34. *H.* Versum 18 ex IX, 15 mala manu illatum esse, inter interpretes constat. *W.*

21. *huic nostrae*, Mantuae, *quo saepe solemus Pastores ovium depellere fetus*, h. agnos in urbem agere. *H.* H. Vossius praepositione *de* vicum *Andes* alte situm notari, cf. IX, 7, observavit. *W.* — 26. *Viburna* sunt

Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similis, sic matribus haedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBOEVS

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

TITYRVS

Libertas; quae, sera, tamen respexit inertem,

23. *Sic canibus catulos similes.* Vult urbem Romam non tantum magnitudine, sed etiam genere differre a caeteris civitatibus; et esse velut quemdam alterum mundum, aut quoddam caelum, in quo Deum Caesarem vidit. Qui enim comparat cani catulum, vel hoedum capellae, magnitudinis facit, non generis differentiam. Qui autem dicit, leo maior est cane, et generis facit, et magnitudinis differentiam, sicut nunc de urbe Roma fecit. Putabam, inquit, ante, ita Romam comparandam esse aliis civitatibus, ut solet hoedus caprae comparari; nam quamvis maior esset, tamen eam civitatem esse dicebam: nunc vero probavi eam etiam genere distare: nam est sedes deorum. Hoc autem eum dicere, ille comprobat versus: « Quantum lenta solent inter viburna cupressi. » Nam *viburnum* brevissimum est, semper virens, et forma et genere a cupresso remota. Nam cupressus arbor est maxima. Hoc autem genus argumentationis et apud Aristotelem lectum est, et apud Ciceronem.

27. *Et quae tanta fuit.* Quae tanta: ad magnum enim aliquid nimia necessitas venire compellit. Vnde quasi miratur hominem rusticum Romam videre potuisse.

28. *Respexit inertem.* Desidem, sese non requirentem. Nam culpat suam inertiam quod non ante Romam ierit, et sit usus puer libertate, qua uti coepit provectioris aetatis.

fruticis s. virgulti genus omne flexile et lentum, sepibus vinciendis, seu ligandis fasciculis utile. *H.*

28. *Libertas*, h. libertatis obtinendae spes ac desiderium. Verba nullum alium sensum suppeditant, quam hunc: Tityrus intelligendus est fuisse aliquis ex servis, quorum Romani tantum numerum in fundis suis et agris habebant, quibus sive agrorum sive pecudum cura mandata erat. Hoc pastorum genus isto tempore, quo latifundiis occupata erat (v. Colum. praef. Plin. XVIII, 3, s. 4) Italia, frequentissimum erat. Ipsi villici erant servi aut libertini. Virgilius itaque modo ipsos gregum dominos induxit loquentes, modo ser-

Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima saeptis,

33. *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.* Nec sperare poteram libertatem in oppressa civitate, nec habere curam patrimonii. *Peculi* autem aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos *peculium* dicebatur, a pecoribus, in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam *pecunia* dicta est a peculio; aut certe et hoc ad morsum temporum pertinet: nam modo tantum *servi peculium* dicimus: ut invidiose patrimonium suum dixerit *peculium*, ac si servus esset: quia se diu apud Mantuam servisse memoravit. Sane *peculi*, pro *peculii*, per synaeresim dictum est.

34. *Exiret victima septis.* *Septa* proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans Pop. Ro. suffragia ferre consueverat. Sed quoniam haec septa similia sunt ovilibus, duo haec invicem pro se ponuntur: ut hoc loco *septa* pro ovilibus posuit. Item Lucanus contra, *Et misere maculavit ovilia*

vos. In hac Ecloga Meliboeus sui iuris homo est, ut ex vs. 68 patet. Alter Meliboeus Ecl. VII, 14, duas servas habet. Poterant tamen et ipsi servi alios servos ac servas in peculio habere. Servilis conditionis pastor est Corydon Ecl. II, 1. Hi homines, si peculium sibi satis magnum parassent, pretio dominis soluto in libertatem se vindicare poterant. Tityrus, qui per multos annos, dum Galateae amori indulgebat, peculii parum diligentem rationem habuerat, senex factus, quum Amaryllidem, quae frugalior et parcior erat, amicam haberet, ut libertatem sibi compararet, Romam ad herum suum profectus est. Iam de libertate, quam obtinuit, 28, 29, 30 meminit; facilitatem simul heri et humanitatem maximam expertum esse se significat, in primisque illud obtinuisse ait v. 46, ut tuto ac libere greges suos pascere posset. — *quae, sera, tamen r.* quae, quamquam sero, tamen aliquando mihi contigit, ut v. 30 repetitur. *H.* Versu 29, *Candidior — cadebat* pro vulgari: postquam candidior mihi barba erat, in senectute demum. Similiter Iuvenalis sensum *olim tonsor meus* expressit I, 25, *quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.* W.

30. *longo post tempore*, ut v. 68. Sic *tanto post* Ge. III, 476; et poëta adeo iunxit paullo durius: *longo tempore post, postquam habet.* Fatendum tamen, insidere his nescio quid invenusti et incomti; quamquam et alia nonnulla in hoc primo carmine paullo ieiunius dicta videri possunt.

34. 35. Quamvis iuvencus unus et alter ex meis armentis venderetur in urbe Mantua, aut eo deportarentur a me casei. cf. Ge. III, 400—403. — 35. *ingratae*, quod nihil inde argenti referret, v. sq. *H.* Scilicet ornatum muliebrem pro pecunia referre ille coactus erat. *W.* Ad v. 36 compara Moret. 81, *domum - gravis aere redibat;* et Catull. XX, 12, 13.

Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEVS

Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares,
Cui pendere sua patereris in arbore poma;
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

TITYRVS

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Romae. Iuvenalis, *Antiquo quae proxima surgit ovili*. Sane *Pinguis* melius ad victimam, quam ad caseum refertur.

35. *Ingratae Vrbi*. Quia quum alimenta civitatibus praestentur ex rusticorum labore, et in his rustici etiam deridentur a civibus, et multa perdunt, et advectarum rerum pretia iniqua suscipiunt.

37. *Amarylli*. Vocativus Graecus est, qui brevis est quotiescumque nominativus in *is* terminatur: ut Amaryllis, Pieris: ita Horatius, lib. IV, od. 3, v. 18: *Dulcem quae strepitum Pieri temperas*.

41. *Servitio*. Ab servitio. Servitium est conditionis indicium. — *Licebat*. Id est, nec deesse officio poteram. — 44. *Dies*. Id est, principia mensium. — *Fumant*. Id est, sacrificant.

37. Nunc in animum revocat moerorem Amaryllidis, cuius causam ignorabat tunc Meliboeus, nunc facile assequitur. *H*. *Tityrus h. a.* plene: iam intelligo, cur deos vocaverit Amaryllis, Tityrus hinc aberat. *W*.

41. *Quid facerem?* necessario mihi Romam proficiscendum erat, nulla Amaryllidis querelarum ratione habita, quum alibi neque libertatem consequi, neque tam *praesentes*, h. propitios, faventes deos, tam praesens eorum beneficium, experiri possem.

43. Hac in urbe herum meum, *illum iuvenem* (ut Ge. I, 500 et Horat. Sat. II, 5, 62) vidi, tam munificum et lenem, ut ei menstruis sacris litare, eum pro deo colere decreverim. Dicta haec esse respectu ad Caesarem Octavianum habito, dubitari vix potest. *H*. — 44. *Bis senos cui* etc. Cui singulis mensibus rem divinam facio, ut magnis Diis, Iunoni et Iovi, Respubl. et optimates solent: non semel, ut aliis diis quotannis. Turneb. I, 26, ad vs. 42, 43, 44. Vide Saubertum de Sacrif. c. V, p. 412, ubi ex Maximo Tyrio dissert. 38.

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.

MELIBOEVS

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis tentabunt pabula fetas,
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.

48. *Et tibi magna satis.* Ordo est, Magna satis tibi pascua, subauditur *erunt*. — *Quamvis lapis.* Quamvis mons sit et lacus. Nam a monte usque ad lacum, et inde usque ad arborem quamdam, fuerat terra ei donata.

50. *Gravis.* Fetas: accusativus pluralis, quasi *graves*, id est, gravidas: scilicet non enixas.

51. *Contagia laedent.* Morbi vel pestilentiae corrumpent; unde contingit, ut, una aliquo morbo moriente, omnes idem morbus corruptas interimat. Dicit ergo, quod nec insolita pascua tentaturae sunt pecudes; nec ex alicuius infirmitate corrumpendae.

Ελληνες μὲν Θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς· et paulo post ex Philone, Εὐεργέτας τούτους, καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ὡς, Θεοὺς προσεκύνουν. Emm. — *fumant* pro fumabunt. *H.* *Bis senos d.* h. e. singulis mensibus, ei, ut Lari, menstrua tura reddit. cf. Tibull. I, 3, 34. *W.* — 45. Hic primum tuli responsum illud, h. facultas nobis data est, ut nos pueri, vernae, servi, libere pasceremus et tauros submitteremus. *H.* Si verum est, quod in Argumenti fine monui, res ita cogitanda: Virgilium, herum, voluntatem *iuvenis*, Octaviani, erga se benignam de agro servando tum aperuisse. *W.* — 46 *submittite*, producite ad pastum tauros. *C.* *mittite* tauros alios *sub* alios, ad propagandam sobolem. *Pot.* *Submittere* est alere ad gregem supplendum. *H.*

47. *Ergo tua rura manebunt* tibi, non eripientur: retinebis agros tuos, qui ad pascendum tibi sufficere possunt, quamvis aliorum agri, neglecta ex longa calamitate cultura, saxosi et palustres sint; namque a clivo inde collis usque ad fl. Mincium, cuius et stagnatione et frequenti exundatione paludes exoriri poterant, pertinuisse videntur Virgilii agri, ad quos respexit h. l. v. Ecl. IX, 7, VII, 12; Ge. III, 14, 15, II, 198, 199; Aen. X, 205, 206. *H.* Sed malim cum H. Vossio verba *quamvis — iunco* pro descriptione agri Virgiliani habere, eo in deterius exhibita, ut Virgilii animus paucis contentus declararetur. Tum *lapis nudus* in collibus, *pascua limoso iunco obducta* prope Mincium ibi stagnantem quaerenda. *W.*

50. *Graves-fetas* dixit, ut *fetas* intelligas enixas, partu liberatas, ut saepe. *Graves* h. aegras e partu. *Tentare* de morbis proprie.

Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontis sacros frigus captabis opacum;
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro;
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;

53. *Fontes sacros.* Quia omnibus aquis Nymphae sunt praesidentes. *Frigus opacum.* Quia aestivo tempore sub umbra fit frigus. *Opacum* autem, utrum pro opacis locis, incertum est; an pro valde frigidum: nam unum frigus est hyeme, alterum quo refrigeramur aestate.

57. *Frondator.* Id est rusticus: vel quod animal frondibus vescitur. Nam

52. *Flumina nota* aut sunt Mincius et Padus; aut, quod alii statuunt, rivi campestres. *H.* Posterius praetulit H. Vossius, coll. V, 84, Ge. IV, 54. *W.* Mincius, ex lacu Benaco ubi processit, non longe a Mantua lacum facit quinque mille passuum, mox aliquantum progressus Pado se iungit. Iucundus vero ille tractus et bonus pascuis. v. Ge. II, 498, 499. — 53. *Frigus opacum* est frigus loci opaci, nemoris umbrae. Ecl. II, 8.

54. Hoc loco, uti nunc est, expedire se non adeo facile est; si enim iungas, *quae saepes tibi semper a vicino limite*, habet *quae* verbum suum, et durum est subintelligi *est; semper* autem ieiunum est, quamcumque rationem inieris. Constans tamen librorum est lectio *semper*. Praestat saltem cum Burmanno verba in commodum ordinem redigere hoc modo: *Hinc saepes a limite vicino*, h. qua parte limes est, agrum vicinum a tuo disterminans, *quae semper depasta* (est) *florem salicti*, h. cuius salices, e quibus saepes structa est (cf. Ge. II, 434—436), semper depascuntur ab *apibus*, quas *Hyblaeas* vocat a monte Siciliae epitheto ducto, *suadebit saepe tibi susurro levi* (καλὸν βομβεῖν dixit Theocr. I, 107) apum *inire somnum*. Nisi Virgilium scripsisse dicamus: *frigus captabis opacum, Hic, tibi qua semper v.*, hoc sensu: *hic frigus captabis opacum, hic inquam, qua saepes semper depasta ab apibus suadebit susurro inire somnum*, h. qua apes susurro suo ad somnum te invitabunt. Versum 55 expressit Auson. Ep. 25, 12: *Hyblaeis apibus saepes depasta susurrat. H.* Difficultatem, quae in verbo *semper* remorata est interpretes, nullam esse, coll. III, 62, VII, 50, monuit H. Vossius. *Semper* enim significat quoque: quoties tempus aliquod certum recurrit, cf. Aen. V, 49, vel occasio aliqua datur. *depasta* sc. est, depascitur. Verbum substantivum ita omitti, idem ille, coll. Ecl. VIII, 24, Ge. IV, 89, docuit. *W.*

57. *Frondator*, qui vites amputat et vitium folia stringit, decerpit. v. Ge. II, 365 sqq. 400, 407, 410; Ecl. II, 70; IX, 60. *H.* H. Vossius de arbustorum frondatione, mense augusto facta, coll. Ge. II, 400, hunc locum accepit. Et tum *gemere* palumbos incubantes Plin. XVIII, c. 28 refert. *W.* — *ad auras*, uti de *clamore*, *exire in auras, tolli ad aethera* etc. — *sub rupe*, h. in rupe. Mox v. 59

Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRVS

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore piscis;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,

tria genera sunt frondatorum. Frondator, qui arbores amputat, et qui frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad pastum offerendos; et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat. Aut avis quae in frondibus habitat, et his vescitur. Vel etiam palumbes quae in frondibus nidificant.

58. *Raucae*. Βραγχώδεις. *Palumbes*. Columbae, quas vulgus tetas vocat: et non dicuntur latine: sed multorum auctoritas latinum facit. Cicero in Elegeia, quae Talemastis inscribitur: *Iam mare Thyrrhenum longe, penitusque palumbes Relliquit.*

60. *In aethere cervi*. Id est, avium more ante cervi volabunt, et pisces sine aqua vivent: hoc est, ante rerum natura mutabitur, quam nos Caesarem possimus oblivisci.

61. *Freta*. Maria, a fervore dicta. — *Destituent*. Derelinquent.

63. *Ararim*. Arar fluvius Galliae, fluens in flumen Rhodanum. — *Tigrim*. Armeniae fluvius influens Persicum sinum. Itaque per Tigrim et Ararim vult diversa loca inter se significare. Dicit enim, prius Parthum ex Arare biturum, et Germanum ex Tigri, quam sibi oblivionem futuram non amissi agri, Caesaris beneficio.

gemere turturum ac columbarum proprium; et *aëria ab ulmo*, perpetuo arborum altarum epitheto. — 58. *tua cura*, tuae deliciae.

60. *Ante leves ergo* cet. quasi dicat: recte utique haec bona mea enumeras, Meliboee, et propterea *grato per totam vitam in patronum meum ero animo. Pascentur in aethere cervi*, pro volabunt, *et maria destituent pisces*, h. et pisces in sicco vivent; itaque *nudos* dixit. — 62. *Pererratis amborum finibus*, quum alter in alterius sedes pervenerit; h. antea Parthorum natio migrabit in Germaniam, et Germani sedes Parthorum occupabunt; quod, nisi victis et subactis Romanis, fieri non poterat. — *Exsul* hic non urgendum, simpl. apud poëtas, qui ad alienas terras proficiscitur, ut φυγεῖν dicitur, qui discedit. *H. exsul*, qui solo patriae mutato vivit; proprie loquutus est Virgilius. *W*. — 63. *Aut Ararim P*. Reprehenduntur haec nomina, tanquam aliena a pastorum memoria, nimisque longe petita. Recessit tamen omnino Virgilius ab antiqua simplicitate in moribus, quos pastoribus tribuit.

Quam nostro illius labatur pectore vultus.

MELIBOEUS

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros;
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En unquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,

65. *Sitientes ibimus Afros.* Tropus Synecdoche: ab Afris enim, Libyam, quae aqua indiget, intelligi vult. Est enim calidissima regio et pene inhabitabilis.

66. *Scythiam.* Regio septemtrionalis est frigidissima. — *Et rapidum cretae veniemus Oaxem.* Hoc est lutulentum: quod rapiat cretam. Creta terra alba dicitur. Namque Oaxis fluvius est Mesopotamiae: qui velocitate sna rapiens albam cretam, turbulentus efficitur. Vel Oaxis fluvius Scythiae in Creta insula non est: sed aqua, eretei coloris est. Oaxem *Philistenes ait*, Apollinis et Anthilenae filium: hunc Oaxem in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominavit, ut Varro ait: *Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminis capiens tellurem OEaxidae palmis Scindere dicta.*

67. *Penitus.* Id est, omnino. *Toto divisos orbe.* Non revera, sed opinione. Et *orbis* hic non universus intelligitur, sed Romani imperii terminus. Britannia autem insula, olim etiam *alter orbis* dicta est. V. et N. Aen. VIII: *Extremique hominum Morini.* — *Divisos.* Quia olim iuncta fuit orbi terrarum Britannia. Est enim insula sita in Oceano septemtrionali: et a poëtis alter orbis terrarum dicitur.

65. Ego expulsus rura mea numquam adspiciam. *W.* — *Ibimus Afros*, durius elisum *in*, sed ad perpetuum Homeri morem. — *alii-pars*, pro alii-alii. *H.* *At nos-alii-pars* usitata et pedestribus scriptoribus compositio pro: nostrum alii-pars: cf. Caes. B. G. I, 53; Liv. XXIV, 20. Ita Graeci quoque loquuntur. *W.* — 66. *Et rapidum Cretae.* Cerda accipit de tribus orbis partibus, nempe Africam elare ponit, in Creta Europam comprehendit, in Scythia Asiam. Possis etiam simplicius exponere poëtam, ut non tam intelligat tres orbis partes, quam gentes quascumque feras, dissitas, barbaras. *C.* Totus locus alienus a pastoritii carminis indole: nec modo tragicum quid spirat, verum adeo ἀπροσδιόνυσον; quomodo enim pastores, agro Mantuano eiecti, armenta sua agentes per Africam et Scythiam errare aut Britanniam et Cretam insulas adire poterant? *H.*

68. *En unquam*, nunquam mihi dabitur hoc, quod leve est, ut postea videam, ut postea admirer agelli mei deformitatem: praesumit videlicet, nunquam se rediturum ad patrios fines, ad tugurium, ad regna: ac perinde nunquam postea admirabitur rariusculas aristas. Cerda.

Post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quo discordia civis
Produxit miseros! en, quis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRVS

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem

71. *Impius miles.* Proprium militis epitheton. Iratus Meliboeus impium militem dicit, seu quod agrum suum teneat, seu quod civile gesserit bellum, qui pro Antonio arma portavit, qui bella civilia gessit. Hic laesit Virgilius Octavianum Augustum, tamen sequutus est veritatem. Dum miles portando arma, vicit alios, impius nocendo dictus est. — *Impius miles.* Hoc titulo dignus, quia, ut Lucan. X, 407, *Nulla salus pietasque viris qui castra sequuntur.*

75. *Quondam felix pecus.* Quando manebat mihi hereditas; vel quamdiu ego felix fui aliquando in finibus nostris: hic videt se pastor exclusum esse: et videt se non habere illud, quo Tityrus utitur.

77. *Dumosa.* Id est, rigida, spinosa. — *Pendere.* Quia quum pascuntur capellae, pendent.

78. *Carmina.* Id est, quia non libet rustico canere, carenti possessione.

79. *Cytisum.* Genus fruticis, vel herba, quae nascitur inter campos et silvas in Cythisa civitate. — *Amaras salices.* Ad nostrum saporem; nam capris dulces sunt

70. Vulgo *aristas* de annis exponi notum est. Enimvero *mea regna* subiiciuntur *patriis finibus* v. 68 ac *tugurio* v. 69, et eosdem agros et possessiones miseri Meliboei eleganter denotant; haec itaque videns *post*, posthac, ex v. 68, *longo post tempore*, (Ita Ge. II, 259, 61, *multo ante—et—ante. W.*) h. quando eos aliquando iterum adspicere mihi continget, *rarae in illis aristae aliquot oculis occurrent? hi tam culti agri (novalia* dixit v. 71 omnino pro agris quibusvis) *per novos suos colonos inculti neglectique iacebunt? H.* — *congestum cespite* h. e. congesto cespite exstructum. Ad constructionem compara Virg. Aen. VI, 178, *sepulcrum congerere arboribus* Pro vulgari: *aliquot aristas, mea regna*, appositio inerposita, ut apud Mart. XI, 6, 1, *Si redeant veteres, ingentia nomina, patres.* Inf. 75, II, 3. cf. Obss. ad Tibull. II, 6, 15. *W.* — *En unquam* pro unquamne. conf. infr. Ecl. VIII, 7. — *Impius*, sceleratus, nefarius. —72. *Barbarus*, Galli, aliique, qui in legionibus romanis tum erant.

Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles, et pressi copia lactis;
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

81. *Mitia.* Matura: quae non remordent, quum mordentur.

82. Portasse de genere quodam, quod echinum seu corticem minus durum habet, loquitur. Nascitur id in primis, si amygdalis inseruntur. Laudant ex Palladio lib. XIV, 155: *Castaneamque trucem depulsis cogit echinis Mirari fructus levia poma sui.* —*Pressi copia lactis*, h. casei, quia serum e coagulo, sive concreta lactis parte, exprimitur, et *adiectis* etiam *pro soliditate acquirenda ponderibus*, ut Palladius loquitur, *eliquatur.* — 83. *Et iam* .... nox ingruit. cf. Ecl. II, 67.

ECLOGA II. ALEXIS.

ARGVMENTVM.

Corydon pastor, Alexidis pueri, qui Iolae cuiusdam v. 52 amasius erat, insano amore quum fureret, miserum animi sui affectum hoc carmine exponit. Vt puerum alliciat, memorat copias suas et opes rusticas v. 20, peritiam canendi v. 23, oris speciem v. 25; promittit suam se illi, si secum viveret, artem canendi eum fistula egregia impertiturum v. 34; tum duo capreolos v. 40; denique corollas florum eum pomis v. 45. Accedunt laudes vitae rusticae v. 60. Postremo tamen amoris sui insaniam ipse damnat.

Corydon, ut ex v. 21 colligitur, est homo sui iuris, pastor gregis sui, proclivis ad amores v. 14, 15, 52. — Locus, in quo animi cruciatus ille mitigat, convenientissime describitur v. 3—5. Amant amantes solitudines silvarum; in quas aestu diei medii ferventissimo ille se confert v. 12. — Siculi in hac Ecloga pastores induci videntur v. 21. Hoc animadverso, et quod eum Theocrito, ex cuius Idyll. XI, XXIII, et III, pleraque expressa sunt, hoc carmine certasse videtur Virgilius, sa tis argutiae allegorieae concidunt, quas huic quoque Eclogae intulerunt interpretes. Ceterum quamquam egregio eum artificio aestum et furorem amoris, quo Corydon in Alexin misere exarserat, expressum esse fateris, Theocritea tamen, si cum his compares, multo dulciora esse, vix infitiari poteris.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,

1. *Ardebat Alexin.* Impatienter diligebat. — *Alexin.* Quem dicunt Alexandrum. Fuit servus Asinii Pollionis: quem Virgilius rogatus ad prandium, quum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum, dilexit, eumque dono accepit. Caesarem quidam acceperunt formosum in operibus et gloria. Alii puerum Caesaris, quem si quis laudasset, gratam rem Caesari fecisset. Nam

Vs. 1. *ardebat Alexin*, ut Horat. Od. III, 9, *aliam arsisti*, et Prop. I, 13, 23, *amor Herculis flagrans Heben.* Quam ad analogiam Catull. 35, 12 *deperire aliquem amore* dixit. — *nec habebat*, h. e. omni spe illius amore

Delicias domini, nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Adsidue veniebat; ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? Mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;

Virgilius dicitur in pueros habuisse amorem: nec enim turpiter eum diligebat. Alii Corydonem Asinii Pollionis puerum adamatum a Virgilio ferunt: eumque a domino ipsi datum Corydonem a Virgilio ficto nomine nuncupari, es eo genere avis, quae Corydalus dicitur, dulce canens. Alexin vero puerum, quasi sine responsione ac superbum: hunc autem dilectum fuisse Pollionis; et Virgilium gratum se futurum esistimasse, si eum laudaret, cuius forma Pollio delectabatur: qui eo tempore Transpadanam Italiae partem tenebat, et agris praeerat dividendis.

2. *Delicias domini.* Hoc est, qui suo domino Caesari, vel Pollioni, in deliciis erat.

5. *Montibus et silvis.* Adagii formam habet, *queri ad montes, ad silvas, ad rupes*, sive, *inclamare montes*, aut quid simile ad explicandum studium quoddam inane, et nihil proficiens. Hanc rem salse, ut solet, attigit Plaut. in Mercat. « Non ego idem facio, ut alios in comoediis Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut die, Aut Soli, aut Lunae miserias narrant suas. » Et in Asinar. lepide: *loquens lacerat diem.* Stich. *ego hunc lacero diem.* Itaque, *quereris ad lapides, montes, arbores*, eandem vim proverbialiter habebit, atque illa, *Asinum tondes, Aethiopem lavas, mortuum flagellas*, et plura alia. *Cerda.* — *Iactabat.* Id est, fundebat incassum.

8. *Frigora.* Non aprica loca.

potiundi destitutus erat. Oppositum est his *tantum* v. 3; de positura verborum vid. Ecl. 4, 70. *W.* — 3. *densas, umbrosa cacumina, fagos*, id est, ibat ad cacumina umbrosa fagorum densitate. *C.*

4. 5. v. Theocr. XI, 47, 48. *iactabat*, ut *verba, voces iacere.* cf. Ecl. V, 62; nunc silvis in montibus conqueritur spretum amorem. *H.* Probi dativi *Mont. et silv.* sola natura eius querelas audiebat. Ita *flere* cum dativo Tibull. 3, 6, 40. — *stud. inani*, frustra. *W.*

6. *Crudelis*, inexorabilis; qui non flecteris meo amore; qui me mori cogis. *L.*

8. Fingit poëta hunc flagrantem amatorem erupisse in has insanias, tum die medio, tum media aestate; deinde vs. 44 videt pastor suam hanc insaniam, et ad se rediens ait: *Nonne* etc. — *Nunc etiam p.*, sub calidiore sole greges hoc ex more facere puta. cf. Ge. III, 227 sq. — 10. *rapido aestu*, h. vehemente, magno, quia *sol rapidus* dicitur, ducto vocabulo ab iis, qui *rapido cursu*, h. magno et incitato, feruntur. — 11. *olentes.* ornat epitheton a natura rei ductum, nec definitur,

Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentis:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras

9. *Lacertos.* Genus serpentis.

10. *Thestylis.* Nomen rusticae mulieris, quae messoribus aestu fatigatis, diversa genera herbarum contundens, pulmentarium his parat; vel concubina Corydonis. Vel Thestylis, id est, fictilis, rusticum nomen: ut ab eo quod ponat cibum rusticis. — *Fessis.* Vel labore, vel aestu. Vel *fessis*, id est ferventibus vehementi ardore fatigatis, vel laboris instantia.

11. *Allia serpyllumque.* Herbas calidas, quae aestum repellunt. Nam ut etiam Plinius dicit in Naturali Historiâ, *Omnis medicina, aut a contrario, aut a simili quaeritur.* Vnde etiam calor potest aut frigore, aut alio calore depelli. Hinc est quod in ultima ecloga, quum amator remedium quaerit ardori, dicit se iturum aut ad Scythiam, aut ad Aethiopiam: ut, *Aethiopum versemus oves sub sidere cancri*: quarum regionum altera est frigidissima, altera fervens calore. Sane serpillus herba est, quae in Graeco aspirationem habet, quam Graeci ἕρπιλλον dicunt. In multis enim nominibus, quae in Graeco aspirationem habent, nos pro aspiratione, s ponimus. Inde est quod pro herpillo, serpillum: pro ἕξ, sex: pro ἑπτὰ, septem.

14. *Tristes Amaryllidis iras.* Bene addit *tristes*; plerumque enim, ut ait Terentius, *amantium irae, amoris redintegratio est:* ut veram iram ostenderet, et non fictam illam, quae aliquid gratiae habere consuevit. Vnde Horatius, *Vrit grata protervitas.*

bene an male, modo graviter ac valde olente. *H.* — 12. *At mecum.* Heins. malebat *at me, cum raucis. Allia* vero *serpyllumque*, ἕρπυλλον, memorantur simpliciter, quia talium hominum in illis terris quotidianus cibus erant. Simile edulium esse videtur *moreto*, quod carmine descriptum habemus. — 12. *Arbusta resonant cicadis mecum*, h. cicadis stridentibus et me simul cantante. Sic *mecum* Ge. I, 41, *Ignarosque viae mecum miseratus agrestes*, mecum, qui et ipse eos misereor. Ge. II, 8, *musto tingue novo mecum crura*, mecum, qui et ipse tingo, calco uvas. Aen. I, 675, *Sed magno Aeneae mecum teneatur amore*, ut ego illius amore teneor. Sic quoque accipiendum erat Aen. IV, 115, *Mecum erit iste labor*; erit tibi labor hic una mecum; me una tecum allaborante. Apertior ratio est in aliis: ut inf. 31, *Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.* Sicque centena. Invertisse poëta putandus est id, quod vulgo erat: *canto cicadis adstrepentibus: cicadae cantant mecum: arbusta resonant cicadis mecum h. e. me cantante. H.* H. Vossius *mecum* h. e. apud me (vide Phaedr. II, 5 ext. et Plautinum *oro tecum, ora mecum*), circa me, ad verba *tua lustro* traxit, Corydonem per arbusta euntem cecinisse negans. *W.*

Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?
O formose puer, nimium ne crede colori;
Alba ligustra cadúnt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi;
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;
Lac mihi non aestate novum, non frigore desit.
Canto, quae solitus, sí quando armenta vocabat,

15. *Nonne Menalcam.* Tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio: et Cebetem puerum, cum Leria puella, quos a Mecaenate dicitur accepisse. Vnde volunt quidam per Amaryllida, Leriam: per Menalcam, Cebetem intelligi.

17. *O formose puer.* Bene dicit Donatus suspendendum O, et sic dicendum *Formose puer*, ut intelligamus per ironiam eum aliud voluisse dicere, sed in haec verba, ne Alexin offenderet, amoris necessitate compulsum.

18. *Alba ligustra cadunt.* Et rustice et amatorie ex floribus facit comparationem. Ligustrum autem flos est candidus, sed vilissimus. Vaccinia vero sunt violae, quas purpurei coloris esse manifestum est: vel ligustra flores papaverum sunt, vel arborum.

20. *Quam dives nivei pecoris*) Tria sunt quibus amatores possunt placere, divitiis, pulcritudine, cantilena, quibus omnibus se valere commemorat. Et multi secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκὸν, legunt *nivei quam lactis.* Sed melius est, *Quam dives pecoris nivei.* Nam candidae oves in ingenti sunt pretio. Vnde in Georgicis legimus, *Continuoque greges villis lege mollibus albos.* Item alibi, *Munere sic niveo lanae, si credere dignum est.*

21. *Mille meae Siculis errant in montibus agnae.* Theocritus, ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βότα χίλια βόσκω. — *Errant.* Cum securitate pascuntur. Et quod ait *agnae*, et a sexu et ab aetate laudavit: nam ex foemineo sexu in pecoribus copiosior possessio provenit.

22. *Lac mihi non aestate novum, non frigore desit.* Multo melius quam Theocritus: ille enim ait, τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρῃ, Οὐ χειμῶνος ἄκρῳ. Sed quia caseus servari potest, non mirum est, si quovis tempore quis habeat caseum. Hoc vero laudabile est, si quis habeat lac novum, id est colostrum, quod neutri generis est. nam foeminini esse penitus non potest. Sane hunc versum male distinguens Virgiliomastix, vituperat: *Lac mihi non aestate novum, non frigore, desit.* Id est, semper mihi deest.

15. *nonne Menalcan?* nonne pati satius erat Menalcae fastidia? quod v. sq. confirmatur. Puta autem illum fuisse puerum superbum a Corydone amatum, *Amaryllidem* vero amicam, cf. v. 52. — 17. *ne crede*, confide formae. — 18. *vaccinia nigra* esse eundem florem cum hyacinthis ferrugineo colore.

23. *armenta vocabat*, revocabat,

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare; non ego Daphnin,

24. *Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.* Amphion et Zetus fratres fuerunt ex Iove et Antiopa: sed Zetus, rusticus fuit; Amphion vero musicae artis peritus. Sane Aracynthus, mons est Thebanus. Vnde *actaeo*, literali debemus accipere, (ut, *At procul in sola secretae Troades acta*) non Atheniensi: licet Athenae primo ἀκτὶς dictae sint: quanquam plerique, Actaeo Aracyntho, Atheniensi accipiant, non quod Aracynthus apud Athenas est; sed ut ostendatur rustici imperitia. Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter quam res habeat, dicit. Hac ratione potest et Oaxis, Cretae fluvius accipi, quum sit Scythiae.

25. *Nec sum adeo informis.* Verecunde suam commemorat pulcritudinem. Sic Cicero in Caeliana: *Vt eum poeniteat non deformem esse natum.* Nam pulcherrimum voluit dicere.

26. *Non ego Daphnim.* Daphnis filius fuit Mercurii, formosissimus puer; qui primus dicitur pastor fuisse.

compellebat, ut imprimis fit vesperi, ut domum reducat. cf. Apollon. I, 575. — 24. *in Actaeo Aracyntho.* Huius nominis nobilis mons est Acarnaniae sive Aetoliae, non longe ab urbe Pleurone. Amphion tamen in Acarnania fuisse nusquam legitur; et tota eius fabula ad Boeotiam pertinet; etiam hic *Amphion Dircaeus* a fonte Boeotiae. — 24. *Dircaeus* a Dirce, quae uxor erat Thebani regis Licii, quae postea a filiis Antiopae, ob perpetratam in matrem saevitiam, crinibus religata, de tauro interfecta, et in fontem coniecta est, qui ab ea Dirce postea nominatus est. Vid. Prop. III, 14. De Dirce, qui fons est circa Thebas, Solin. 7. *Emm.*

25. E Theocr. VI, 54 sqq. *Quum placidum ventis staret mare*, h. a ventis, per ventos; cf. Ge. IV, 484; Tibull. IV, 1, 126. Explicat Seneca Quaest. nat. V pr. *Itaque si legeris: Quum placitum ventis staret mare, scito illud non stare, sed leviter succuti, et dici tranquillum, quia nec huc nec illuc impetum capiat.* Ita philosophus argutatur; simulque Servius, contra hunc locum monens: mare nunquam satis tranquillum esse, ut imaginem reddat. Videtur is de alto cogitasse; nam maris facies *in litore* h. e. iuxta litus (Prop. I, 3, 6) satis tranquilla et pellucida esse potest. Et dixerat idem Theocr. VI, 11, 12, 35. Sed ibi Polyphemus loquitur, non, ut h. l. pastor, qui melius fonte, rivo pro speculo uteretur. *H. placidum ventis staret.* Grammaticam vix patitur explanationem *a ventis.* Nam praepositio non magis hoc loco abesse potest, quam si quis Liv. 28, 19, *Hispaniae sicut a bello Punico quietae erant*, illam tollere vellet. Poëticam ratio in talibus diligenter observanda est. *Ventis* est ventis sopitis, quum venti quievere. Nam *ventis placidis sternere aequora* tribuitur, ut Aen. V, 763. Ita apud Sophoclem Ai. 674, δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον. h. e. *flatus vehementium ventorum* (sc. *cessando*) *gementem pontum sopire solet*; ubi vid. interpretes. *W.*

Iudice te, metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humilis habitare casas, et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo;
Pan primus calamos cera coniungere pluris
Instituit; Pan curat ovis oviumque magistros.

27. *Iudice te metuam.* Ac si diceret, Qui meam despicis pulcritudinem. — *Si nunquam fallat imago.* Nulla enim res ita decipit, quemadmodum imago. Nam et in speculo contraria ostendit universa: et in aqua, remum integrum quasi fractum videmus; quod etiam Cicero in Tusculanis plenius docet.

28. *Tibi sordida rura.* Vtinam libeat tibi mecum habitare rura tibi sordida, id est, quae tu putas sordida; nam bis accipimus *Tibi*.

31. *Imitabere Pana canendo.* Exemplo numinis, in agris mecum poteris canere. Nam Pan, deus est rusticus in naturae similitudinem formatus. Vnde et Pan dictus est, id est, omne. Habet enim cornua, in radiorum Solis et et cornuum Lunae similitudinem. Rubet eius facies, ad aetheris imitationem: in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem: pars eius inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras: caprinos pedes habet, ut ostendat terrae soliditatem: fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam caeli, in qua septem soni sunt, ut diximus in Aeneide, *Septem discrimina vocum*: *καλαύροπα* habet, id est pedum, hoc est baculum recurvum, propter annum, qui in se recurrit: quia hic totius naturae deus est. Poëtis fingitur cum Amore luctatus, et ab eo victus: quia ut legimus, *Omnia vincit amor*. Ergo Pan, secundum fabulas, amasse Syringam nympham dicitur: quam quum sequeretur, illa, implorato Terrae auxilio, in calamum conversa est: quem Pan, ad solatium amoris incidit, et sibi fistulam fecit. Sane sciendum, Pana, *pa*, habere accentum. Graeca enim monosyllaba quae ad nos transeunt, crescunt in obliquis casibus: et in genitivo et dativo tantum singularibus, ultimae syllabae accentum dant, ut, Panos, pani; Lyncos, lynci. Plurales etiam isti duo habent accentum: licet ad nos transire non possint.

28. Cf. Theocr. XI, 65. *sordida rura*, h. l. non in vitium dictum, sed pro vilis, pauper. — 29. *figere cervos*, si ferae intelliguntur, telo, iaculo; Ge. I, 308. Aen. V, 516; VI, 803. Venationis tamen studium a vita pastorum alienum esse videtur. *H.* At H. Vossius, in negotiis vitae pastoritiae venationem fuisse, coll. Theocr. V, 106, 107, et inf. III, 42, 43 notavit. *W.* — 30. *hibisco*, virga hibisci, qui e malvarum agrestium genere esse creditur, Graecorum *althaea*; sed praestat cum Servio interpretari *ad hibiscum*; poëtis satis nota constructio. Est enim *hibiscus* pabuli genus et planta esculenta. Calpurn. IV. 32, *viridique famem solarer hibisco.* — v. 33, *ovium magistri* sunt pastores III, 101. Tibull. II, 5, 35.

Nec te poeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: te nunc habet ista secundum.
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

34. *Nec te poeniteat calamo trivisse labellum.* Non tibi parum videatur. Terentius: *At enim quantum hic operis fiat, poenitet.* Id est parum videtur. Et notandum *poeniteat trivisse*, praeteritum pro praesenti positum, usurpative est: quod in defectivis licenter fit, ubi praesens non invenitur. Vt, *Quamquam animus meminisse horret.* —*Labellum.* Parvum labrum. Hinc inanissimam quidam tentant facere discretionem: ut virorum labra, mulierum labia dicantur.

36. *Disparibus septem compacta cicutis.* Inaequalibus cannis. Nam et harmonia inaequalis est. Cicuta autem est spatium, quod est inter cannarum nodos. — *Compacta.* Coniuncta: ut, *Turrim compactis trabibus, quam eduxerat ipse.*

43. *Orat abducere.* Orat ut abducat: figuratum est: ut, *donat habere*, id est, donat ut habeat.

44. *Et faciet.* Noluit dicere *et faciam*, ne quem amabat offenderet, si se velle alteri dare munus diceret, quod ei paraverat.

34. *Nec te poenitcat*, pigeat, molestum videatur, aut parum te dignum. Tibull. I, 4, 47. *H. nec te poeniteat*, nec te, ut arbitror, poenitebit. Res cogitata; cf. Obss. ad Tibull. 1, 9, 63. Sensus: tu, amori meo obsequutus, artem fistula canendi, qua excelleo, a me disces. *W.* — 35. *quid non f.*, h. omnia; nihil intentatum relinquens. Nota formula. — 36. *cicutis* pro cannis. Ecl. V, 85. *H.* — *fistula* septem calamis compacta inter meliores erat: vulgaris erat *stipula* III, 27. *W.*

40. E Theocr. XI, 40 sq. III, 34 sq. *nec tuta m. valle reperti*: commendat domum a difficultate, periculo a feris contemto, capreas has silvestras ceperat. cf. Ovid. Met. XIII, 834 sq. quo toto loco hanc Eclogam ante oculos habuit. — 41. *sparsis pellibus albo*, ut maculae fuerint albae. — *etiam nunc spars.* propter posituram verborum iunge, et quod adultioribus mutatur color, ut Servius ait, ex albo in pallidum aut lividum. *H.* Rem confirmant venatores, capreolos recentes sex ferme menses pelles albis maculis distinctas gerere notantes. *W.* — 42. *die*, quotidie. Ecl. III, 34; Aen. XI, 397.

Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis,
Ecce, ferunt Nymphae calathis; tibi candida Naïs,
Pallentis violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,

45. *Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis* etc. Tantum honoris habet puero, ut ei dicat etiam numina obsequutura. Sane *calathus* Graecum est: nam Latine *quasillum* dicitur. Cicero in Philip. lib. III, *At vero huius domi inter quasilla appendebatur aurum.*

47. *Pallentis violas.* Amantium tinctas colore. Horatius. *Et tinctus viola pallor amantium.* Vnde non praeter affectionem amantis, eos flores nymphas dicit offerre, qui sunt amantibus similes: *Papavera carpens*, *Narcissum et florem bene olentis Anethi.* Sane Papaver, Narcissus, Anethus, pulcherrimi pueri fuerunt, qui in flores suorum nominum versi sunt: quos ei offerendo, quasi admonet, ne quid etiam tale aliquid unquam ex amore patiatur.

46. *ferunt Nymphae.* Quaeras, unde repente in vitam communem et veram inducantur deae, Nymphae et Naides. Nec tamen nimium in hoc argutandum; ita enim loqui, et deos deasque agrestes lusibus pastorum interesse dicere, genus carminis bucolici fert. Splendidi autem hi versus 45-55. — 46. *candida Nais.* Cur Naïs prae aliis Nymphis? Naïadas amabant pueros, nam et Hylam dicuntur rapuisse. *C.* — 47. *Pallentes violas*, sunt nostrae violae flavae, inter vernos florea numerandae; λευκόϊον s. albam violam, flore sive albo sive flavo sive purpureo, vocant veteres. *Pallens* vero pro flavo, si corpora hominum calidiore in caeli plaga viventium reputes, quae, quum pallent, subflavescunt. — *Papavera* sunt ex genere silvestri, flore rufo, quod in arvis cum hordeo maxime nascitur. Plin. XIX, 9. Ge. I, 78. — *Narcissus* ex eo utique genere est, quod nos ita appellamus. *Anethum* nostrum *Till*, s. *Dill*, esse putatur, quod et in nostris hortis visitur, flore flavo. ἄνηθον etiam Theocritus cum rosis et violis iungit VII, 63; cum malvis et apio iungit τό τ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον Moschus Idyll. III, 107. — 49. *Casia* a Plinio inter herbas ac flores recensetur coronarios, et inter eos, quos circa alvearia seri iubet. Vulgo *lavendulam* nostram esse putant. Sed Martinus, comparatis inter se Plinio, Dioscoride ac Theophrasto, docet, *Casiam* hanc esse *cneoron* Graecorum, s. *Thymelaean lini folio*, *quae gravia cnidia* fert. cf. ad Ge. II, 213. *H.* — Superiora retulit ad fasciculum, nam nullus visus mihi est apparere ordo in ipsis floribus. Sed hoc iam refero ad coronam, et sic explico: facit Nais sertum ex casia, et aliis herbarum generibus; quod illuminabunt distinguentque flores duo, videlicet vaccinium et caltha; illud molle, haec luteola: ergo triplex genus florum offert a Nymphis: primo lilia in calathis; deinde fasciculum, sed nullo florum ordine; tertio sertum compositum ex herbis, et illuminatum binis floribus. *C.* — 50. *pingit vaccinia*, va-

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo;
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.

50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.* Mollia vaccinia pingit, id est, componit, de caltha luteola. Nam nisi *luteola* septimus sit casus, iam non atabit versus. Mollia autem, tactus plumei scilicet. Hoc dicens, ex colorum diversitate quaerit ornatum.

51. *Cana legam tenera lanugine mala.* Mala dicit cydonea, quae lanuginis plena sunt: sed non praeter obliquitatem. Nam in Aeneide diximus, apud Cretenses, infamiae genus iuvenibus fuerat, non amatos fuisse. Et verecunde rem inhonestam supprimit, quam Theocritus aperte commemorat.

52. *Castaneasque nuces.* Bene speciem addidit, dicens castaneas. Nam *Nuces*, generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore: ut avellanae, amygdalae, iuglandes, castaneae; sicut contra dicuntur poma, omnia molliora.

54. *O lauri.* Licet Horatius dixerit, *Depone sub lauru mea*: melius tamen est iuxta secundam formam inflectere: nam melius sonat. — *Proxima myrte.* Vel vicina lauro, vel ad odorem proxima; potest enim utrumque intelligi.

riat (cf. Cul. 142), *caltha*, flore diversi coloris, *intexens casia atque aliis herbis* ea; quod doctius dictum quam *intexens casiam atque herbas iis.* Aen. VII, 488, *cervum — Mollibus intexens ornabat cornua sertis*; cf. Ecl. V, 31. — De *vacciniis* v. ad v. 18. — 51. *cana.... tenera lanugine mala*, mala cydonia s. cotonea, quae cana lana s. lanugine obduci satis constat. 53. *cerea pruna*, sive flava, sive matura. *H.* Prius verum esse, demonstrat Ovidii locus Metam. XIII, 817, *Prunaque generosa, novasque imitantia ceras. W.* Ne autem hiatus offendat, aspiratio in *honos* fortius est efferenda. Et aliquid tribuendum est caesurae. *H.* Sed etiam sic mihi hiatus, ab illo III, 6 diversus, ita displicet, ut lectionem *et honos* reduci malim. *Et-quoque* apud Ovid. Ep. XVI, 92, *Addit et ad festos hunc quoque Troia diem.* Constructio vero variata pro: *Addam cerea pruna, et hoc quoque pomum honorabo.* W. — 54. *proxima myrte*, quae in calatho proxima laureis frondibus ponetur; et iunguntur fere. v. Horat. Od. III, 4, 19. — *Laurus* vero non est accipienda de eo genere, quod accuratius *laurocerasus* dicitur, et versus finem saeculi XVI ex Trapezunte et Constantinopoli ad has terras allatum fuit, sed de ea lauro, quae in silvis et saepibus passim per Italiam visitur. *H.* Bene ad *agrestia dona* v. 45—55 descripta Propertii locum simillimum III, 13 (11) 27—33, comparavit H. Vossius. *W.* *Sic positae*, id est, proximae ac viciuae.

Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis;
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt dì quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces 61
Ipsa colat, nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam;

56. *Rusticus es Corydon.* Arguit se stultitiae, quod eum se sperat placare muneribus, qui potest habere meliora; nam supra ait: *Delicias domini.*

58. *Heu, heu, quid volui misero mihi.* Quomodo eum discedere dicit, quem supra cum eo diximus non fuisse? Nam ait, solus montibus et silvis: sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem: unam quae percipitur: et alteram imaginariam, scilicet eam quae nascitur ex cogitatione. Vnde ita debemus accipere hunc versum per cogitationem, illa imaginaria voluptate, qua et cernere et alloqui videbatur absentem. Sed postquam obiurgatione sua in naturalem prudentiam est reversus, caruit utique illa imaginaria volnptate, ubi nunc sibi se obfuisse dicit per hanc ratiocinationem. *Rusticus es Corydon: nec munera curat Alexis. Nec si muneribus certes, concedat Iolas.*

60. *Quem fugis ah demens?* Iterum per phantasiam quasi ad praesentem loquitur; et quasi ille dixisset silvas, hic infert: *Habitarunt dii quoque silvas, Dardaniusque Paris.* Et Paris habitavit silvas, qui de dearum pulcritudine iudicavit.

63. *Torva leaena lupum.* Theocriti sunt isti versus. Et bene se revocat ad

56. Retractat nunc dicta sua pastor. *Rusticus es*, stultus. *Iolas*, dominus pueri huius delicati. Fluctuat autem in sqq. et variis curis iactatur miseri amantis animus ad diversa abreptus. — Versum 58 ita intelligo: me miserum! qui munerum mentionem feci, quibus te expugnare et mihi conciliare vellem; quam meae causae male ipse consului, quum, ut munerum rationem haberes, te hortarer! habes enim herum tuum, amatorem, qui multo maioribus te corrumpere possit. *H.* — 58. Nam hoc, inquit, quid est aliud, quam Austros floribus meis immittere, qui noxii venti; fontibus apros, qui aquam meam turbant. *C.* Duo proverbia rusticorum hic legi, statuit H. Vossius, de *Austro*, vento in Italia pernicioso, hodie *Scirocco* appellato, perite agens. *W.* — *Perditus*, n. amore, amens. Ecl. VIII, 88.

61. *quas condidit*, Athenas in primis respicit poëta. Habitet Minerva suam acropolin, quae in eius tutela est. Etiam haec paullo doctiora, quam pro pastorum ingenio.

63. Ex Theocr. X, 30, 31. Hic Corydon inter alias animi aestuantis curas ardoris sui incredibilem vim et impetum sive exponere, sive excusare putandus est: se scil. non minus pueri amore aestuare, quam leonem lupi,

Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi; trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci, 66
Et sol crescentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!

rusticas comparationes: paene enim fuerat lapsus, dicendo, *Pallas, quas condidit arces.* Leaena autem dictum est, sicut dracaena. Et quod ait, *Torva leaena lupum sequitur*, verum est: nam necesse est, ut veniente lupo, adventus agnoscatur leonis.

65. *Te Corydon, o Alexi.* *Don o A*, antibacchius est: sed *o* brevis fit: quia vocalis vocalem sequitur. Sic Homerus πλάγχθη ἐπεὶ Τροίης ἱερόν. — *Trahit sua quemque voluptas.* Notabatur a Criticis, quod hanc sententiam dederit rustico, supra bucolici carminis legem, aut possibilitatem.

66. *Aratra iugo referunt suspensa iuvenci.* Horatius: *Videre fessos vomerem inversum boves, Collo trahentes languido.* Et hoc vult dicere, Omnia, excepto amore, finiuntur.

67. *Et sol crescentis decedens duplicat umbras.* Variavit: nam ait supra, *Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.* Duplicat autem, auget. Sallustius, *Et Marius victus duplicaverat bellum.*

68. *Me tamen urit amor.* Quum iam calor sit Solis exhaustus.

69. *Quae te dementia cepit.* Id est, cur amoribus vacas, quum multa sint quae debes in agro perficere?

lupum capellae, capellam cytisi cupiditate. — *Torva* est truculenta, ipso adspectu terribilis, βλοσυρά. *Sequi* autem non uno sensu ponitur; alio enim modo Corydon Alexin sequitur, quam lupus capram. — 64. *Cytisus* fruticis genus, rhamno simile, colore albicante, ramis fere cubitalibus, iucundo foliorum odore et sapore, apibus et capris gratum. Nostrorum *Cytisus Marantae.* v. Plin. XIII, 24. Ge. II, 431, etsi alii repugnant. Fluctuant enim inter doctos botanices auctores fere omnia haec, quae de comparatione veterum nominum cum recentioribus iactantur. — 65. *trahit sua q. voluptas*, amor, libido. cf. Ge. III, 130. Theocr., unde haec conversa, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι. Idyll. X, 31. *H.* Sententia exemplis, ex quibus ea iam satis apparet, addita, abesse potest. Certe apud Theocritum nulla illius vestigia. Is sensum verborum: *ego te, Bombyca, sequor*, quum vocem διώκω ea significatione, qua Virgilius vocabula *sequi*, h. e. appetere, usus est, ponere vel omittere posset, plenius et fortius ita expressit: ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι. Ceterum verbum *trahere* de rebus, quae nos alliciunt et tenent. Iuv. XIV, 37. *W.*

66. *aratra* ex *iugo suspensa*, inverso vomere, ut solum verrant, protracta. *H.* (Vide an simplicius iungatur: *referunt iugo. W.*) Color horum versuum petitus ex Theocr. II, 38, 39. Graecis uno vocabulo hoc tempus est βουλυτός.

68. Theocrit. VII, 56. — 69. Ex

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

70. *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.* Plus est, quam si *imputata* diceret: tolerabilius est enim non incipere aliquid, quam incoepta deserere. Hinc est illud in lib. I. Aen. *Mene incoepto desistere victam?* Item in Georgicis: *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* Sane geminam arguit negligentiam: et quod semiputata vitis sit, et quod frondosa ulmus: nam utrumque obest. Vnde est in Georgicis, *Bis vitibus ingruit umbra.* Et aut simpliciter intelligimus hunc locum, ut suam arguat negligentiam: aut certe illud est, Non mirum me esse dementem, qui habeo vites semiputatas. Nam in sacris dicitur quod corripiatur furore, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis.

72. *Viminibus.* Vt nassas, crates, corbes conficiat. — *Detexere.* Perficere, finire, multum texere: nam *de*, modo non minuentis est, sed augentis.

Theocr. XI, 72 sq. Praeclare se nunc a cura amoris ad curas domesticas revocat. — 70. *Semiputata tibi fr.* v. ad Ecl. I, 57, et Ge. II, 410. Amputantur autem vites bis in anno, primum aestate, deinde post Idus Octobres, ut sole coqui et maturitatem capere fructus possint. Colum. V, 5: *Pampinandi autem modus is erit, ut opacis locis humidisque ac frigidis aestate vitis nudetur, foliaque palmitibus detrahantur, ut maturitatem fructus capere possit, et ne situ putrescat.* Idem in arboribus fieri necesse est, quibus vites se adiungunt et sustinentur, ne aemula umbra viti noceat. *H.* H. Vossius proverbialem locutionem vidit h. l. pro: bibisti vinum ex semiputata vite in ulmo frondosa, h. e. insanis, a superstitione petitam, quam Servius ad h. l. notavit: *in sacris dici furore corripi eum, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis.* Et lex utilis inter Numae leges memoratur: *Diis ex imputata vite ne libanto.* W. — 71. *Quin tu potius aliquid saltem* eorum *quorum indiget usus*, quae ad usum vitae rusticae necessaria, facere curas, scil. vas aliquod, vel calathum, τάλαρον ap. Theocr.; haec sunt contracta in unam sententiam. — 72. *detexere iunco.* cf. Tibull. II, 3, 15. — *mollis*, flexilis, ὑγρός. *H.* — 73. *alium-Alexin.* Ita Tac. Hist. IV, 73: *Sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur.* W.

ECLOGA III. PALAEMON.

ARGVMENTVM.

Disceptant hoc carmine alternis versibus *duo pastores, Damoetas, boum v. 29, tum et ovium Aegonis custos v. 2, et Menalcas, caprarius, in puerili aetate* (*v.* 33) *constitutus; cuius carminis*, amoebaeum *dicitur, ea lex est, ut is, qui respondet, iisdem versibus ac numeris aut contrarium aut maius et pulcrius aliquid dicat, aut ulla alia ratione simile quid subiiciat. Nec necesse est ex eodem omnia argumento petita sint, sed variae ac diversae plane res tractari possunt; cuius quidem rei bene memores esse debemus, ne argutemur in constituendo sententiarum ordine, et nexu. Etiam nostro tempore eius generis carmina apud Italos in pretio haberi, et laudari poëtas* improvisatori, *nota res est. Occasio huius certaminis parum feliciter a conviciis mutuis et probris, quibus se invicem lacessunt, petitur, in quibus non modo honesti et decori nulla ratio habita, verum ne id quidem, quod poëtae nomen et naturam efficit, spectatum est, ut non nisi gratae animis et iucundae res exhiberentur. Vitae et moribus huius generis hominum convicia ista haud esse insolita, nemo dubitet; verum poëta, si ingenio et arte recte utitur, numquam ad sordida et flagitiosa, turpia ac foeda carmine exprimenda se demittet; multo minus, si carmina* virginibus puerisque *cantare se meminerit. Caeterum argumentum ex Theocrito Idyll. IV et V petitum. Agitur res inter pascua et greges per agros gramen carpentes. cf. v.* 55. *De tempore, quo carmen hoc scriptum est, vid. Vit. Virgilii a.* 711. *cf. a.* 709. II. *Annum* 712 *H. Vossius statuit, cui opinioni, quum anno* 711 *exeunte demum Asinius Pollio ab Antonio ad legiones septem, per Venetiam ad Padum dispositas regendas missus fuerit, descriptio verni temporis* 56–57 *aperte favet. Nec si versus* 84—89 *accurate consideres, coniectura, Pollionis, illi tum orae praepositi, gratiam hac Ecloga quaesivisse Virgilium, contemnenda esse videtur.* W.

MENALCAS, DAMOETAS, PALAEMON.

MENALCAS

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

DAMOETAS

Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS

Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram

1. *Dic mihi Damoeta.* Transit in Eclogam plenam litigii, et pastoralium convitiorum Qui enim Bucolica scribit, curare debet ante omnia, ne similes sibi sint eclogae: quod etiam Virgilius fecit. Nam prima, habet unius otium, et alterius, qui de suo agro pellitur, conquestionem. Secunda, amantem exprimit rusticum. Haec vero lites habet et altercationem. Vnde etiam dramatico charactere scripta est. Nam nusquam poëta loquitur: sed introductae tantum personae. Novimus autem tres esse characteres dicendi: Vnum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: alterum dramaticum, ut est in comoediis et tragoediis. Tertium mistum, ut est in Aeneide: nam et poëta illic, et introductae personae loquuntur. Hos autem omnes characteres in Bucolico esse convenit carmine: sicut liber etiam iste demonstrat. Nam habet illum exegematicum, in quo tantum poëta loquitur: ut, *Sicelides Musae, paulo maiora canamus.* Habet mistum, ut, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Nam etiam Gallum illic inducit loquentem. Habet dramaticum, ut in prima Ecloga: item in hac, quam miro ordine, ex rebus communibus veniente, composuit. Habet enim, in ipso quasi primo occursu, lites et iurgia: inde quaeritur iudex, quo praesente, habeant conflictum et disceptationem. Sequitur inde sententia, quae universa concludit.

2. *Non; verum Aegonis.* Amare etiam haec rivalis eius pecora esse dicit: et ut divitias illius ostendat, et dicat duras esse huius partes, si quidem rivalis eius, traditis ovibus, solus amicae communis amoribus vacet. — *Mihi tradidit.* Meae fidei commisit, et credidit.

3. *Neaeram.* Amicam communem suam et Menalcae.

1. Theocr. IV, 1 sq. *cuium* iam desueta vox erat; *sic rure loquuntur*, addebat Virgiliomastix, ut Pseudo-Donatus §. 61 memorat. *H.* — *cuium pecus?* Hinc iam incipit contemtus, deinde vs. 5, *alienus ovis custos* contumeliose. — 3. Dum ipse Aegon Neaerae adsidet, hic mercede conductus gregem eius absentis perdit. *H.* Vocales *i* et *e*, literam *i* copula *et* sequente, in caesura frequenter apud Virgilium in unum sonum non coalescunt. cf. 63, et Aen. III, 74. *W.*

Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et sucus pecori, et lac subducitur agnis.

DAMOETAS

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.

MENALCAS

Tum, credo, quum me arbustum videre Miconis
Atque mala vitis incidere falce novellas.

8. *Transversa tuentibus hircis*. Hircos, id est, capros, libidinosa constat esse animalia. Vnde Horatius, *Libidinosus immolabitur caper, et agna tempestatibus*. Quod etiam Plinius Secundus dicit, *Hirci si casu aliquos coëuntes vident, adeo indignantur, ut in eos pene impetum faciant*. Hinc est, *Transversa tuentibus hircis*, id est vestram turpitudinem indignantibus. Alii hoc improbant, et legunt *hirquis*. Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus; ut sit sensus: Novimus, qui te corruperunt, hirquis transversa tuentibus: et est Hypallage, pro oculis in hirquos retortis: quam rem solet libido perficere. Vnde Iuvenalis: *Oculosque in fine trementes*. Persius: *Patranti fractus ocello*.

7. *Parcius ista viris*. Convicium convicio opponit Damoetas, et Menalcae, se fraudis et furti incusanti, infamiam pathicae libidinis exprobrat, haec dicens: etiamsi illa iure exprobrari mihi possent, at ista tamen convicia certe hominem mollem effeminatum, et turpem iis facere non decebat, qui sunt puris moribus, h. mihi; ut ap. Suet. Vesp. c. 13, Vespasianus nòtae impudicitiae homini respondet: *Ego tamen vir sum*. — 8. *Novimus et qui* (pro *quis*) *te* scil. corruperit. Me non fugit, te inter greges et in ipso sacello Nympharum turpi libidine pollutum esse. — *transv. tuent. hircis*. Aiunt hoc animal invidere voluptatibus, quia libidinosum, et solere hominum Venerem interturbare. Nymphae vero, dubita an te viderint, nam risere ad tuum flagitium ex sacello suo: sed faciles, quod doleo: debuissent enim te perdere, quod earum lucum tam deformi flagitio violares. Ergo in te testes sumus homines, bruta, Dii. — *faciles Nymphae risere*, quum graviores dii ulturi fuissent sacrilegium. *facilis* in iniuria ferenda aut condonanda, hic propter lasciviam Nympharum, ut alias Satyrorum, Aegypanum, Faunorum, omninoque numinum agrestium, quibus tribuuntur mores et ingenia hominum vitam sine cultu et honestatis sensu meliore agentium. *H.* Eodem sensu Propert. II, 34, (25) 76, *faciles Hamadryadas* dixit. *W*.

10. 11. Ista ironice efferenda. Tum,

DAMOETAS

Aut hic aa veteres fagos quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos; quae tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS

Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas.

12. *Arcum et calamos.* Nam habent arma pastores: ut in Georgicis docuit, *Armaque, Amyclaeumque canem, Cressasque pharetras.*

16. *Quid domini faciant, audent quum talia fures.* Plerumque personae suis nominibus exprimuntur; plerumque per officia designantur. Vt si dicas, philosophus: nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientiae operam dans: personam exprimis per officium, sicut hoc loco fecit: nam pro servo, furem posuit. Furta enim specialiter servorum sunt. Sic Plautus de servo: *Tu trium literarum homo, vituperas me?* Id est, fur.

credo, hoc factum, quum Nymphae viderunt me incidere arb. M. Noto ironiae genere de se praedicat flagitium alterius. — *mala falce*, nociva, perniciosa. v. ad Tibull. III, 5, 20. *arb.* arbores vitibus iunctas.

12. Simile hic eius, quo se petitum videbat, malitiae et invidiae flagitium obiicit Menalcae. — *quae donata* sc. *arcum et calamos;* quibus et ad greges defendendos et ad venandum usi tum sunt pastores. cf. Not. ad II, 29. *H.* Comma post *fagos*, ut hoc ad *fregisti* traheretur, sustuli. — Si non admisisti crimen illud ad arbust. M. etc. certe ad fagos veteres: quin eo fere tempore fregisti Daphnidis arcum et calam. quod non tibi in libidine obsequeretur, sed alteri cuipiam, a quo dona acceperat. Ita fere Cerda. —

15. *aliqua* h. e. aliqua ratione, ut Terent. Phorm. 5, 1, 19. *W.*

16. Regerit Menalcas aliud flagitium furti a Damoeta commissi. — *fures*, servi, ex oppos. *domini* et vetere interpretatione Servii; quum mercenarius pastor conviciari audeat. Vsum vocis in vulgari sermone arguunt Comici, qui *fures* pro servis improbis aut de scelesta plebe dicunt. *H.* — 18. *Lycisca.* Sunt qui hoc nomen ad originem ex lupo et cane referant. *W.* — 20. *Tityre, coge pecus*, quod dispersum vago discursu palabatur; tacite vero eo ipso indicabat, furem adesse, qui caprum ex grege dolo interciperet. *Tityrum* vero Damonis servum intelligere debemus, aut eum certe, qui eius pecus pasceret. — 20. *post carecta latebas.* Loca

DAMOETAS

An mihi, cantando victus, non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.

MENALCAS

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? Ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)

28. *Vis ergo inter nos.* Aut nostri comparatione, aut quod melius est, nullo iudice praesente. Postea enim ex improviso Palaemon adveniet. — *Vicissim experiamur.* Id est, amoebaeo carmine. Amoebaeum autem est, quoties ii qui canunt, et aequali numero versuum utuntur, et ita se habet ipsa responsio, ut aut maius aut contrarium aliquid dicat, sicut hic sequentia indicabuut.

30. *Bis venit ad mulctram; binos alit ubere foetus.* Vt eam laudare ex foetu, et ex aetate videatur. Male enim quidam quaestionem movent, dicentes, vitulam parvam esse: nec congruere, ut eam iam enixam esse dicamus: sed debere nos iuvencam subaudire; ut sit: *Ego hanc iuvencam depono, vitulam ne forte recuses.* Nam et vitula, a viridiore aetate dicta est, sicut virgo: ut paulo post ipse dicturus est, *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.* Item, *Et vitula tu dignus, et hic.* Vnde et iuvencam subaudire non possumus: sed secundum superiorem sensum intelligamus. Vitula enim est nomen aetatis: non quod tantum ante partum vaccae possideant.

caricibus plena. Carex autem, herba est acuta, et durissima, spartho similis. — 21-24. Non furtum a se esse factum, sed debitum a Damone exactum profitetur Damoetas. — 23. *Si nescis*, h. ut hoc scias, ne hoc ignores. Ovid. Epist. XX, 150.

25. *Cantando tu illum?* vicisse te ais? Ellipsis irridenti conveniens. Ad sequentia conf. Theocr V, 5-8. — 26. *in triviis-miserum* addita intellige, ut ostendat, ea esse quam vilissima; uti *disperdere* invidiose pro canere quae sunt vitiosa, pereunt, corrumpuntur, ergo quae fiunt cum vitio. *in triviis*, multo minus in certamine.

Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS

De grege non ausim quidquam deponere tecum;
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius,
Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis

32. *De grege non ausim quidquam deponere tecum.* Supra enim eum aliena pascere dixit animalia: ut, *Dic mihi, Damoeta, cuium pecus?*

— 31. *quo pignore* idem quod *quo pignore posito.* Haec ad illud caput grammaticae, ubi de ablativis absolutis agitur, pertinent. *W.* — 32. Menalcam puerum esse patet e seqq. Itaque puerili petulantia Damoetam incesserat. — 34. *alter et haedos*, fetum pecoris, h. matrum caprarum, numerat. *H.* 35. Iunge *ponam pocula, quoniam tibi libet insanire* h. e. certare; sed *insanire* cum delectu positum comprehendit iactationem, se victorem discessurum esse. Tum ad *pocula* pertinet interpositum *id quod* etc. *W.* — 36. *pocula* Cerda, H. Vossius et Wunderlichius intelliguut duo pocula. — 38. *Lenta quibus t.* conf. Theocr. I, 29 sqq. *Torno* quidem poculum tornari potuit, non vero in poculo vitis. Itaque latius *tornum* de instrumento et ferramento fabrili accipere necesse est, quo sculpunt sculptores; h. l. de scalpello, quo Alcimedon in area poculi exteriore opus anaglyphum exsculpsit, ut collocatis in medio duorum hominum signis, oras ambiret vitis hederae implicita. Haec si teneas, subtilitate virorum doctorum facile careas. — *caelatum*, proprie in aere, argento, auro, h. l. in ligno, opus est anaglyphum. *Facilis tornus* est scalpellus, qui facili h. docta et perita manu tractatur. v. ad Ovid. Art. I, 160. Tibull. I, 1, 8.— *corymbi* sunt racemi hederae in orbem circumacti, ut Plin. 16, 34, et acinis ac baccis, qui fructus hederae, quas uvas vocant, graves. — *Hedera* dicta *pallens*, quia genus eius albo colore conspicitur; namque est alia nigro colore et nigro aut croceo fructu. — *Vitis* autem *superaddita* (cf. Ecl. V, 42), exsculpta, explicare se et serpere super *racemos diffusos hedera*, h. hederaceos, sive ex hedera diffusos et exeuntes, putanda est, atque ita ambire duas caelatas imagines Cononis et Arati. Fuit autem Conon Samius celeberrimus mathematicus et astronomus, qui circa Ptolemaei Philadelphi tempora vixit, cuius Archimedes aliquoties, tanquam sibi amicissimi et doctissimi hominis, et Catullus *de coma Beren.* v. 7 ex Callimacho mentionem fecit.

38. 39. Quae sane vitis vestit corymbos diffusos, extantes nascentesque ab hedera pallente. Inde mira

Diffusos edera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMOETAS

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentis;

44. *Idem Alcimedon.* Irrisio est facta iteratione verborum: et mire omnia in vituperationem trahit, quae ille laudavit. Ac si diceret, putas te solum habere pocula: cui enim Alcimedon non fecit? tu pro reverentia ea non tangis: ego ideo quia vilia esse existimo.

est oppositio in verbis *facili* et *superaddita*; quasi dicat: facile fuit vasa tornare, caelare difficile; multa enim fuerunt superaddenda, vitis, corymbi, hedera, homines. *C.*

40. *quis fuit alter.* Dubitatio oblivionem confitentis decora in rustico. De celebri astronomo loqui eum necesse est, qui caeli plagas, ortus occasusque siderum et anni tempora, in agricolarum usum descripserat. Iam Archimedem familiarem Cononis fuisse et sphaeram e vitro confecisse constat vel ex Claudiano epigr. 68, v. ibi Gesn. Verum, eum rem rusticam sua arte adiuvisse, memoriae tradidit nemo; quod contra in Aratum cadit, qui astronomicas rationes ad usum agricolarum transtulit, cuiusque *Phaenomena et Prognostica*, propter utilitatem fortasse magis, quam propter poëtae ingenium, celeberrima inter veteres fuere. Quum enim fastorum et kalendariorum usus non tantus nec tam frequens esset, utilissima ea esse debuere. Itaque aut Aratus aut Eudoxus est intelligendus. *H.* De *Eudoxo*, de cuius Phaenomenis, agricolarum usibus per Italiam inservientibus, vid. Colum. IX, 14, 12, unice cogitandum esse censuit H. Vossius. *W.* — 41. *Radius* vero proprie geometrarum virga est, qua in pulvere formas delineabant; nec in aliam rationem intelligendus esse videtur, quando, uti sollemni more fit (cf. Aen. VI, 851), astronomis tribuitur, quum et ipsi figuris et numeris opus habeant. *H.* *Descripsit orbem*, *quae tempora* pro vulgari: *desc. orb.*, definiens *quae temp.* W.

44. Quibus (poculis) acanthus mollis ex mira arte circum ansas ducitur; in media poculi area Orpheus cantans effictus. Est autem *acanthus* herbae silvestris hortensisque ac topiariae genus hic et Ecl. IV, 20; Ge. IV, 123 et 137, add. Aen. I, 649 et 711. De *acantho*, arbore Aegyptiaca, vid. not. ad Ge. II, 119. — 45. *Mollis* est proprium ex acanthi lubrica et flexuosa natura epitheton. Vide modo laudatum locum Ge. IV, 137 et apud Theocr. I, 55, unde haec expressa, ὑγρὸς ἄκαν-

Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

MENALCAS

Nunquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum, vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam posthac, ne quemquam voce lacessas. 51

DAMOETAS

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
Nec quemquam fugio; tantum, vicine Palaemon,

50. *Audiat haec tantum.* Subaudi aliquis. *Tantum* autem, quia suspicatur eum victum non posse cedere, qui ita etiam ante certamen est contumax. — *Vel qui.* Venustas mira inest huic particulae, pro *etiam.* — *Vel qui.* Quasi requirentis est, quum subito venit Palaemon. Alii distinguunt: vel qui venit. Bene autem dubitat, ne eum ipse immisisse videatur, et sit credibile quod ad eius iudicet gratiam. Hoc etiam Damoetas sentiens, dicit: ... *Nec quemquam fugio.* Id est, consentio ad eum iudicem, quem tu ipse eligis.

Ϛος. — 48. *Si ad vitulam spectas*, h. si tamen pocula ad iuvencam exigis, quam ego pro sponsione ponam, cum ea comparas, non est quod huic pignori illud anteponas, et iuvencam inferiore loco habeas. Scilicet Damoetas veretur, ne Menalcas in sponsione iuvencae aliam iuvencam opponere eo consilio detrectet, ut certamen propositum effugiat; qua suspicione incensus Menalcas crimen in eum vertit: *Nunquam hodie effugies.* *H.* Haec Menalcas, quasi contemnendo pocula posita Damoetas certamen vitare vellet. Macrob. Saturn. VI, 1, Naevii locum huic comparat: *Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare.* Adde Prop. II, 8, 25, (7, 87): *Sed non effugies, mecum moriaris oportet.* W.

49. *veniam quocumque vocaris:* descendam ad omnia, quavis conditione proposita certabo; modo arbiter certaminis adsit. — 50. Potest versus varie interpungi. Velim equidem hoc ordine iungi: *audiat haec tantum* ..... volebat subiicere *aliquis* vel nomen pastoris alicuius; quumque circumspicienti se offerret Palaemon, *vel* hic *Palaemon*, inquit, *audiat, qui ecce venit*; cf. Theocr. V, 61, 62; VIII, 25 seqq. *H.* Particula *vel* haud dubie notat, Menalcam iudicem aequiorem vel peritiorem quidem desiderare, sed vel hoc indice de victoria esse certum. *W.* — 52. *si quid habes.* Damoetas, iniuriis laesus vs. 3, Menalcae provocato vs. 28 ius prius canendi superbe cedere videtur, cf. Theocr. V, 20, 78. Sed rem ad suum morem iam vs. 58 revocat Palaemon. Ita H. Vossius. *W.* — 53. *Nec q. fugio*, iudicem recuso. *H.* H. Vossius interpretatur: in certamine cantus. — *tantum - reponas* Vt attentissime audiat Palaemon, his

Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.

PALAEMON

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba;
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta: tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camoenae.

DAMOETAS

Ab Iove principium, Musae; Iovis omnia plena:

56. *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.* Ipse alibi, *Parturit almus ager.* Sane bene subdidit, *Nunc frondent silvae*, referens ad arbores steriles: nam *parturiunt* de pomiferis dicimus. Vult autem tempus exprimere, quo et deliciae sunt in agris, et rustici minus laborant: ut sit duplex ad cantilenam invitatio.

59. *Alternis dicetis.* Quia quasi iratus fuerat, quod Damoetae prior locus dabatur: idcirco ait, *alternis dicetis.* In amoebaeo enim carmine difficilior pars respondentis est: qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut maiorem aut contrariam format responsionem: ut diximus supra. — *Camoenae.* Musae, quibus a cantu nomen est inditum.

postulatur. *W.* — 55. *dicite*, canite.

55—59. Sagaciter interponuntur nonnulla, ut certaminis species ipsis quasi oculis subiiciatur, locus, anni tempus. — 56. *Et nunc* o. ex Bione Idyll. V, 17: εἶαρι πάντα κύει, πάντ' εἴαρος ἁδέα βλαστεῖ. — 58. Theocr. IX, 1, 2. — 59. *Alternis*, δι' ἀμοιβαίων, Theocr. VIII, 61. — 59. *amant alterna Camoenae*, notum Homeri Il. α, 604, Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ; cf. Ecl. VII, 18, 19.

60. *Ab Iove principium Musae* duplici modo accipi potest, aut, *Musae*, h. e. carminis, *principium esto a Iove*, aut, *o Musae*, principium esto a Iove. *H.* Posterius mihi verum visum est; quamquam *Musa* pro carmine frequens apud Virgilium 84; I, 2; VIII, 1. Nam quod *Iovi* carmina sua *curae esse* dicit Damoetas, id invocationem *Musarum*, ut dearum tutelarium, non prohibet. Et, quod plurimum valet, in Iove celebrando Musarum auxilium implorare apud Veteres solemne; Theocr. XVII, 1: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι. Hinc Cicero carminis Aratei principium: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα latine reddidit: *A Iove Musarum principium*; vid. de Legg. II, 3. Adde Ovid. Metam. X, 148. *W.* Esse hunc versum ex principio Phaenomenorum Arati translatum, iam Servius monuit; quamquam colorem ex Theocr. V, 80—83 mutuatus esse, et quoad prima verba respexisse ad Idyll. XVII, 1 videri potest; et a laudibus Iovis carminum initium facere sollemne antiquioribus, v. Pindar. Nem. Od. 2 princ. Dixerat vero Aratus *Iovis omnia plena esse*, ex Stoicorum mente, quum

Ille colit terras; illi mea carmina curae.

MENALCAS

Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

MENALCAS

At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas,

61. *Colit terras.* Amat; caeterum superior colitur: non colit inferiorem. Sic alibi, *Vnam posthabita coluisse Samo*, id est, amasse. Nec mirum si rusticus sumpsit ab Iove principium, quem amare terras constat, et habere carminum curam.

62. *Et me Phoebus amat.* Aut simile est quod dicit, quia unicuique deus is quem colit, summus videtur: ut, *Summe deum, sancti custos Soractis Apollo:* ut Apollinem exaequaverit Iovi. Aut certe ordo sit talis: Me et Phoebus amat: ut et plus dicat, nec Iovi videatur Apollinem comparare. — *Sua Munera.* Ipsi grata: id est, laurus et hyacinthus. Nam scimus Daphnen Ladonis fluminis Arcadiae filiam, dilectam ab Apolline, et Terrae miseratione in laurum conversam: et Hyacinthum amatum, tam a Borea, quam ab Apolline: qui quum magis Apollinis amore laetaretur, dum exerceretur disco, ab irato Borea eodem disco est interemptus, et mutatus in florem nominis sui.

animam mundi intelligeret, quae universum hoc permearet, cf. Ge. IV, 220; audiverat enim Stoicos, Dionysium Heracleotam et Persaeum Citieum. Attamen in pastoris indocti ore videntur haec nimis esse subtilia. — 61. *Colere terras* idem dicitur, h. curare. Serv. amare, seu frequentare et saepe in iis versari, ut Iuno Carthaginem *coluisse* fertur Aen. I, 15. Nisi philosophicum illud in animo habuit poëta: Iupiter, s. mens et anima mundi, omnes terras penetrat, per eas diffusus est, eas incolit, colit; cf. Aen. VI, 724 sqq. *Curae* autem *illi carmina*, ut Theocr. VII, 92, 93, et V, 80 sqq. — 63. Qui sit *hyacinthus*, v. ad Ecl. II, 18; *laurus*, ib. ad 54; utramque in dei gratiam et honorem colere ait.

65. Attingit poëta ingenium feminarum, et amantium. Ita illae fugiunt, ut velint videri: ita pugnant, ut velint vinci: ita odia exercent, ut tunc ament maxime. *L.*

66. 67. *Delia* nomen amicae, quae frequenter pastorem suum conveniebat, more antiquo, cf. Ecl. VII, 40; Tibull. II, 5, 36. *H.* Maiora quidem iactat Menalcas, at suaviorem esse Damoetae imaginem, sentio. *W.*

Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DAMOETAS

Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

MENALCAS

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMOETAS

O quoties, et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divom referatis ad auris.

MENALCAS

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?

67. *Delia nostris.* Deliam alii amicam priorem volunt, alii Dianam, quae est a Delo: et est canibus nota, per quos venamur, quasi dea venationis. Nam si ad amicam referas, hoc dicit: Sic frequenter ad me Amyntas venit, ut canibus meis notior sit, quam amica mea Delia.

68. *Parta munera*, comparata, quaedem meae Galateae, potius meae Veneri amatae. *C.* In dono rustico, *palumbes*, de quo vid. II, 40, interpretes Virgilium ad columbas Veneri sacras respexisse opinantur. *Haec palumbis* pro *hic p.* notavit Quintil. I, 6, 2. — 69. *quo congessere p.* Notandum absolute dictum pro *nidum congerere*. H.

70. *Puero misi.* Amyntae, potius meo puero Cupidini, sicut tu tuae Veneri. *C.* — *aurea mala*; Theocritus III, 110, unde haec petita, simpl. μᾶλα dicit, ut epitheton tantum ornatus causa adiectum et *aurea* pulcra esse videri possint. De malis tamen Cydoniis accipi potest.

73. *Partem aliquam*, n. eorum, quae locuta est, o *venti* etc. Vota irrita, et verba ac promissa, quae ad nihilum recidunt, ferre venti dicuntur. Iam h. l. pastor ex omnibus iis blande dictis ac promissis partem saltim ratam esse et eventum habere precatur, dum addit *divum referatis ad aures.*

75. *ego retia servo:* ferebat mos, ut hoc esset obsequii genus; v. Tibull. I, 4, 50; IV, 3, 12; Ovid. Art. II, 189. Scilicet hoc vult pastor: obsequium suum fructu carere, quum puer venationi intentus sit, non amori suo. *H.* Amore enim in silva aperte frui cupit. *W.*

DAMOETAS

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola;
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS

Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit;
Et, longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.

DAMOETAS

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

MENALCAS

Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

79. *Longum vale.* Ita, *Longum salvere*, dicebant. Supra, *suave rubens.* Horat. *Perfidum ridens Venus.* — *Vale, vale, inquit, Iola.* Hic pastor, aut habuit duo nomina (nam supra eum Menalcam dixit) aut certe Iolam eum, quasi pastorem optimum appellavit, a quodam pastore nobilissimo: sicut virum fortem plerumque Achillem; adulterum, Parim vocamus. Sane *Longum vale* ita ait, ut torvum clamat: pro adverbio nomen posuit. Vale, vale, inquit; *Le* corripit sequens vocalis, ut, *Te Coridon o Alexi.*

76. Intelligenda est Phyllis fuisse sive serva sive amica Iolae, quem Damoetas, quasi praesentem, rogat, ut puellam ad sacrum natalitium venire iubeat. Menalcas, ut eius dictis obtrectet, se etiam amari ab ea dicit, quia se discedente fleverit, ac, tamquam ipsi comes adhaesura, Iolae amatori vale dixerit: *Longum vale, vale, o formose Iola!* Haec ipsa interpretatione nostra de h. l. sententia satis apparet. — 77. *Quum faciam vitula pro frugibus.* Sacrum ambarvale. Ge. I, 345; cf. Tibull. I, 1, 24; II, 1, *pro* gr. ὑπὲρ, ut Il. α, 444, ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν. Tibull. I, 5, 28, *pro grege ferre dapem.* — 79. *Longum vale*, μακρὰ χαῖρε, Claud. Rap. Pros. lib. II, 234, *Sis memor, o, longumque vale.* H. Nisi quod ibi in bonam haec dicuntur partem. Sed secundum vulgatam explanationem Virgilius ambigue scripsit. Vide an verior tibi videatur explicatio, ex qua statuas, Menalcam, ut paulo ante Damoetam, Iolam alloqui, et verba Phyllidis *longum vale vale* ad *discedentem* Menalcam referenda esse. Adde quod formula dicendi *longum vale* animo amoris pleno, non vero irridenti convenit. Nota e in *vale* ante *inquit* correptum, ut VI, 44, *a* in *Hyla* eodem loco. *W.*

82. *depulsis haedis*, h. a lacte remotis, Ecl. VII, 15 aliter ac sup. I, 22 — *arbutus*, in Italia valde frequens

DAMOETAS

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.

84. *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam.* Blanditur iam Pollioni patrono: quem tragoediarum et historiarum scriptorem Horatius fuisse testatur. Nam in secundo carminum, dicit de historiis: *Periculosae plenum opus aleae Tractas, et incedis per ignes Suppositos cineri doloso.* Item paulo post: *Paulum severae Musa tragoediae Desit theatris.* Quem carmen suum licet rusticum, tamen amare confirmat.

et obvia arbor, fructum habet fragis similem, ut tenuiorum victus esse possit. Italis dici solent *Sorbole pelose*, et Romae *cerase marine*. Frondes eius ac folia grata capellis; v. Ge. III, 300; Horat. Carm. I, 17, 5; quae iisdem a lactis materni desiderio levantur. Calpurn. Ecl. II, 45: *novus ut carpere frondes Condiscant — Ne depulsa vagas quaerat fetura parentes.* *Salix*, v. Ecl. I, 79. — 83. *foeto pecori*, levato a partu.

84. 85. *Pollio* gratia apud Augustum, amicitia M. Antonii, ingenio, tragoediis studiisque suis in Virgilium Horatiumque notissimus; cf. Horat. Od. II, 1. Ei alter, tanquam indici carminum suorum intelligenti et eleganti, vitulam, alter, tanquam poëtae nobili, iuvencum decernit. Non vero in alterutro horum munerum argutandum, sed res simpliciter ad amoebaei carminis naturam exigenda est, quum, quod prior posuisset, alteri amplificandum et augendum esset. Quum itaque ille iudicem carminum et vitulam posuisset, hic poëtam et iuvencum commemorat simpliciter, ut hoc et iudicii et ingenii praemium esse debeat. *H.* Ad sacrum pro salute Pollionis, cui Virgilius aperte se commendare voluit, haec refert Vossius. *Lectoris* commemorationem Heynius, pastoribus, carmina canentibus et audientibus, non vero scribentibus aut legentibus, haec male convenire monens, recte vituperavit. Ceterum *lectori vestro* pro lectori carminum, operum, quae Musis debentur. *W.*

86. *nova carmina* h. e. praeclara, qualia nunquam antea facta, ut Horat. Od. I, 26, 10, *fides novas* dixit. — 87. Idem versus Aen. IX, 629 legitur. *H.* Mihi *nova c.* ea esse videntur, quibus res novae tractantur. *W.* — *pascite taurum*, quapropter vos, Pierides, taurum pascite iam adultum, non vitulum, et eum non vulgarem; sed cui duplex sit nota generositatis; ut cornu petat etc. *C.*

DAMOETAS

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi;
Atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.

DAMOETAS

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

88. *Quo te quoque gaudet.* Subaudi venisse; pervenerat autem ad consulatum post triumphum Dalmaticum. Nam vicerat Salonas, civitatem Dalmatiae. Horatius: *Cui laurus aeternos honores Dalmatico peperit triumpho.*

90. *Qui Bavium non odit.* Pro poena ei contingat, ut diligat Maevium peiorem poëtam. Nam Maevius et Bavius pessimi fuerunt poëtae, inimici tam Horatio quam Virgilio. Vnde Horatius: *Mala soluta navis exit alite, Ferens olentem Maevium.*

88—89. Huic, qui te amet, opta triumphum tuum, consulatum, auream aetatem, ac perinde numem felicitatem. *C.*

88. *veniat, quo te quoque gaudet.* Quod primum occurrit, est, ut suppleas *pervenisse*, utque ad felicitatem omnino referas, quam apprecetur ei, qui Pollioni faveat. Cum quo convenit v. 89, in quo felicitatis aurei saeculi exprimitur, v. Ecl. IV, 25, 30. Si tamen Menalcae verba compares, et, quem expressit Maro, locum Theocrit. I, 20, Καὶ τᾶς βωκολικᾶς ἐπὶ τὸ πλέον ἵκεο Μώσας, apparere arbitror, hoc, *quo te quoque gaudet* pervenisse, ad facultatem cantus esse referendum. *H.* Sensus vs. 89 hic est: Carmina optima pangat, ita divino furore correptus, ut aetatis aureae felicitatem et bona cernere sibi videatur. *W.* Compara Theocr. V, 124 sq. — *Amomum* fruticis genus Indici, etsi, quale illud fuerit, nondum exploratum est.

90. Nihil his, quae alter subiicit, cum Pollione commune esse, censendum est: sed, quum iste bonum poëtam laudasset, ipse malum memorat, eiusque studiosis mala maxima precatur, nempe amare Maevium, peiorem etiam poëtam, Horatio Epod. x exagitatum. Bené sit ei, qui Pollionem, male ei, qui Bavium amat. *H.* Id oppositis declaratur. Ceterum proverbiis *iungat vulpes* ad arandum, *mulgeat hircos*, hic inest sensus: mala ipse carmina faciat. *W.*

92—93. Sequuntur sententiae temere arreptae, ut se certanti Damoetae offerebant. — *frigidus anguis* ex natura serpentum, ut et infr. VIII, 71. *H.* Perturbatio animi ipsâ verborum, quorum naturalis ordo, *o pueri, fugite hinc, frigidus latet*, positurâ pingitur, ut apud Soph. Ai-

MENALCAS

Parcite, oves, nimium procedere; non bene ripae
Creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat.

DAMOETAS

Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

MENALCAS

Cogite ovis, pueri; si lac praeceperit aestus,
Vt nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS

Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

MENALCAS

His certe neque amor caussa est: vix ossibus haerent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

1010, 41. — ψυχρὸν ὄφιν Theocr. XV, 58 dixit. *W.*

94. *parcite o. n. procedere*, cavete, ne procedatis, nolite procedere, oves Ex graecismo: φείδου προσῖλθεῖν. Adumbrata autem haec ex Theocr. V, 100 etc.

95. Terreat vos exemplum arietis, qui mas, et vobis fortior aegre periculum evasit. Videte ut nunc ad solem villos siccet. *C.*

96. *reice*, abige. — 98. *Cogite* ad umbram et frigus captandum; *praecipit lac aestus*, siccato ubere.

100. *Ervum* leguminis, nostratum *Wicken*, genus, bubus iam olim pastum dari solitum, ut ex Columella docent Intpp. Versus expressus ex Theocr. IV, 20, ut 102 ex IV, 15. — Mox 102 haud dubie cum viris doctis melius leg. *Hi certe (neque a. c. est) vix ossibus haerent.* H. *neque amor*, οὐδ' ἔρως, cui malo tamen occurrere posses. *neque* vel *nec* eadem fere significatione, qua *ne-quidem* usurpatum, in medio ponitur. H. Vossius vulgatam lectionem bene defendit. *W.*

102. Ab amore, o Damoeta, tuum pecus est morbidum, a fascino mei agniculi. *C.*

103. Fascinatorios oculos Persius nominat *urentes* Sat. II, 34. Non tantum oculis inest vis fascinandi, sed etiam vocem et oculos fascinando interficere docet Plinius lib. VII, 2. Vt occurreretur fascinationibus, veteres Deum excogitarunt Fascinum et Deam Cuninam, *quae infantes in cunis tuebatur, ne fascinum summovebat*, ut Lactantius I, 20. Plura de fascino Turnebus IX, 28. *Emm.*

DAMOETAS

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat caeli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

PALAEMON

Non nostrum inter vos tantas componere litis:
Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores

101. *Eris mihi magnus Apollo.* Relicto certamine, sibi proponunt aenigmata. Bene autem ait, *Eris mihi Apollo:* quia in rebus incertis sola opus est divinatione.

105. Simpliciter intelligam cuiuslibet loci puteum, in quem quum quis descenderit, tantum caeli prospicit spatium, quantum puteus patet, h. e. putei latitudo permiserit. In talibus Grammatici crucem sibi fixam esse putare non debebant. *H.* H. Vossio placuit, quod Grammatici tradiderunt: Asconio Pediano et Cornificio, de hoc versu consulentibus respondisse Virgilium: Caeli (Caelii) spatium significare sepulcrum Mantuani decoctoris, qui illud, possessione vendita, more solito sibi reservaverit; se haec de industria scripsisse, ut grammatici torquerentur. Et quominus de *puteo* cogites, obstant verba *quibus in terris.* Sed eadem verba *q. in t.* versu 106 non apte posita concedes, nisi *nascantur* pro nati sint accipere velis. Nam *hyacinthi* non in una terra nascuntur. *W.*

106. Nota res de hyacintho, v. sup. ad Ecl. II, 18, in cuius foliis passim literas AI inscriptas, sive ut *Αἶ Αἶ*, *heu! heu!* (quibus lamentationes Apollinis, Hyacinthum ereptum complorantis, notarentur. *W.*) sive ut Αἴαντος s. Aiacis nomen (et apud Sophoclem Ai. 430—33, Aiacis nomen ab αἶ, αἶ derivatur. *W.*) expressum esset, veteres memorabant. Cf. Ovid. Met. XIII, 398. — *Reges* duces Graecorum; vox Homerica. Apud Ciceronem Agamemnonem *rex regum.* H. — *inscripti*, habentes inscripta.

107. hoc si divinas, Phyllida solus habeto. — *Phyll.* quam uterque amicam sibi vindicarat, v. 76 sq.— 108. *Non nostrum* sc. est. — 109. *et quisquis amores* etc. Vt haec verba per se sensum idoneum habeant, non tamen, quid ad reliquam sententiam faciant, ab ullo interpretum monitum est. Referre interpretum commenta nil attinet; frigere enim ea cum ipso carmine necesse est; nec satisfaciunt ea, quae ad defendendum poëtam allata vidi. Verum Palaemon eiusmodi arbitrium facit, ut neutri palmam adiudicare ausit vs. 108. Hanc interpretatus est alius sententiam, utrumque parem esse, ut adeo alter, Menalcas, *vitula*, ab Damoeta in sponsione po-

Aut metuet dulcis aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

sita, Damoetas autem *poculo fagino* Menalcae dignus videri debeat. Iam quorsum reliqua: *et quisquis — — amaros* spectent, non facile dicas. Nam de amore non agebatur, nec de fausto vel infausto amoris successu, neque ad Phyllidem vs. 107 retrahi hoc potest. Theocritus VI, 46: Νίκη μὰν οὐδ' ἄλλος, *vicit neuter*; ἀνησσατοι δ' ἐγένοντο. *H.* Si versus 109, 110, ut H. Vossio visum, genuini sunt, cum eo *at* pro *et* scribendum, *quisquis* pro quisquis est vel quisque, atque verba *et-amaros* pro sententia generali accipienda sunt, qua Palaemon iuvenes, qui 64—83 et 100 res amatorias tractarant, ne in amores delaberentur, monuit. Ad lectionem codicis Med. aliorumque *metuat* recipiendum pronus essem, nisi *aut* praecederet. *W.*

111. *Claudite iam rivos.* Exisse Palaemon intelligendus, 'ut servis suis imperaret, ut rivos seu canales ad irriganda prata aperirent. Interea a Menalca et Damoeta arbiter advocatus, tum, finito certamine, ad servos se convertit; cf. Calpurn. II, 96, 97.

ECLOGA IV. POLLIO.

ARGVMENTVM.

In hac Ecloga interpretanda dici vix potest quam inanem operam et olim Grammatici et hinc viri docti, vana religione capti, navaverint. Vaticinationem Sibyllae de Christi natalibus *expressam esse*, quam *Virgilius ingeniose ad natales nobilis pueri transtulerit, iam* Lactantius Instit. *VII*, 24, statuit, *et* Constantinus M. *in* Orat. ad Sanctorum coetum, *graece reddita a non indocto homine*, Eusebii *libris* de vita Constantini *adiuncta (versus Graecos in Excursu I ad Bucolica emendatos exhibuit Heynius.* W.) *cap.* 19 *sq. demonstrare voluit; cuius auctoritatem quum olim plerumque Christiani homines (cf. Wernsdorf. Poët. Latin. min. T. IV, p.* 767 *sq.), tum recentioribus temporibus viri docti sequuti sunt plerique, de via ac ratione tantum solliciti, qua reconditum huiusmodi vaticinium ad Romanos pervenire potuerit. Sed haec opinio et certis rerum argumentis destituta, et ab Romanorum sentiendi ratione prorsus aliena est. Quis vero Scriptorum Latinorum superstitiones Iudaicas, nisi illas deridere vellent, adsciscere vel tractare dignatus est? Vt ordine agamus, videamus primo loco, quodnam carminis argu-

mentum sit per se spectati. Carmen bucolicum Pollioni Cos. inscriptum se exorsurum esse professus Maro 1—3 canit: agi nunc ultimam aetatem a Sibylla memoratam; inde antiquissimae rerum formae restitutionem, ἀποκατάστασιν, novum saeculorum ordinem, cum nova hominum progenie melioris aetatis vitam humano generi redituram esse pronuntiat; idque eventurum esse, puero aliquo nato in Pollionis consulatu; illum adscriptum heroibus orbis terrarum pacati fore rectorem. — 17. Iam vero meliorem illam aetatem, aetati aureae ac Saturniae similem, per gradus successuram, ita ut puero nato exordia—25, incrementa vero sua habitura sit, quando ille adoleverit—36, cumulata autem sit et perfecta ab omnibus partibus, ubi ille ad virilem aetatem pervenerit—46. Reliqua sunt exsultantis et vota facientis ac gratulantis poëtae.

Iam in his facile agnoscas, poëtam phantasmata poëtica ab aureae aetatis narrationibus petita cumulasse in certo aliquo temporis sui eventu declarando, quem paullo obscurius designavit, quoniam in vaticinium rem mutavit, atque vaticinantis verbis et phantasmatibus sensa sua exposuit. Solent autem poëtae cupide et ambitiose vaticinia argumenta carminum facere, quum ad enthusiasmum poëticum nihil sit accommodatius, quod multis exemplis doceri posset, si id nunc ageretur. cf. Horat. Od. I, 15. Summa sententiarum haec est: adventuram esse paulatim magnam temporum felicitatem; eamque mox initium habituram a natalibus pueri hoc ipso anno 714, Pollione consule, nascituri. Iam primum quid Virgilium adduxerit, ut tantam rerum conversionem insequuturam polliceri posset, quaerendum esse videtur. Scilicet inter omnes populos, magna in primis aliqua calamitate oppressis, vaticinia circumferri solent, quae sive graviora minantur sive laetiora pollicentur; eaque, necessaria rerum vicissitudine, nelioribus aliquando succedentibus temporibus, semper fere eventum habent. Nullo tamen tempore vaticiniorum insanius fuit studium, quam sub libertatis romanae finem et primorum Imperatorum tempora, quum bellorum civilium calamitates animos, terroribus omnis generis agitatos, ad varia portentorum, prodigiorum ac vaticiniorum ludibria convertissent. In primis autem Sibyllinorum oraculorum, quorum quum ante satis magna tum vero multo maior erat auctoritas, ingens vulgo habebatur copia. cf. Sueton. Octav. 31. Iam in magno illo numero vaticiniorum et oraculorum, partim superstitione partim fraudibus hominum celebratorum, unum fuit, quod magnam

aliquam felicitatem futuram promitteret, eiusque descriptionem ab iis, quae de saeculo aureo memorarant poëtae, mutuaretur. Quascumque autem in hoc genere descriptiones novae felicitatis habemus, sive in Orientis, sive in Graecis vel Romanis poëtis, eae omnes fere inter se similes sunt: bestiae ac ferae cicures, serpentes innocui, fruges nullo culto enatae, mare placidum, dii praesentes in terris aliaque eiusmodi in omnibus memorantur. Hoc igitur oraculo seu commento ingenioso Virgilius commode usus esse, et quae de aetate aurea, in primis ab Hesiodo, memorantur, ad ea tempora, quibus hanc eclogam scripsit, transtulisse videri debet. Praeterea ante oculos ei versabatur ab Etruscis profecta fama de octo saeculis genti Etruscae datis, et de saeculo nono inde a Sulla exorso, tum de decimo, periodi rerum, quae tum erat, fine. cf. Censorin. c. 17. Plutarch. in Sull. p. 456. *A. Servium ad Ecl. IX,* 47. (*Adde quod, pace, de qua infra memorabitur, Brundusii* 714 *firmata, optimas de libertatis bonis restituendis et augendis spes cum aliis haud dubie conceperat Maro. W.*) *Et haec quidem satis sunt expedita. Verum illud facit difficultatem, quod ad natales pueri alicuius circa id tempus, hoc Pollionis consulatu, nascituri omnia haec transtulisse videtur poëta, quod nemo ita intelligendum esse arbitrabitur, ac si puerum illum novi rerum ordinis auctorem diceret. Potius novi saeculi felicitas, pueri, qui tum exspectabatur, natalibus, tamquam epochae, alligari videtur. Iam qui ille puer, quae ea spes fuisset, ut cognosceretur, quaesitum est curiose, quinam illo anno nobilis puer natus, aut quod saltem puerperium nobilis feminae spem prolis futurae memorabilem ostenderit. Agebatur autem annus V. C.* 714, *C. Asinio Pollione et Cn. Domitio Calvino Coss., ut ex v.* 11 *et* 12 *patet. Vt alias virorum doctorum opiniones omittam, eo anno duo sunt eventa, ad quae narrata revocari posse putarunt. Primum post summos, ne bellum civile inter Octavianum et M. Antonium, qui ex Asia cum copiis in Italiam traiecerat, recrudesceret, metus Maecenatis et Pollionis opera Brundusii pax composita fuit, cuius quasi pignus Octavia, Octaviani soror, Antonio in matrimonium tradita est. Erat ea ex priore marito, C. Marcello, gravida, id quod disertis verbis Dio memorat lib. XLVIII, c.* 31. *Huius prolem futuram, M. Marcellum, generum post Augusti, de cuius laudibus in Aen. libro VI,* 862 *sqq. locus legitur praeclarus, intelligendum esse, fuerunt qui opinarentur. Et quum illa pace ac matrimonio confirmata tandem publica tranquillitas*

videretur, erunt fortasse, quibus satis commode Virgilius hunc tamquam fundum sui carminis fecisse videatur, ut ex eo tempore, rerum fortuna in melius mutata, auream aetatem esse reversuram diceret, eamque sententiam omnibus iis exornaret, quae a poëtis de felicitate eius aetatis commemorari solent. Sed hanc explicationem quum aliae difficultates, tum haec praecipue premit, quod puer, ex Octavia suscipiendus, ex priori matrimonio erat nasciturus, ita ut non appareat, quanta spes ex pueri illius natalibus de felicitate publica concipi potuerit. Aliam magnae exspectationis prolem ostendebant nuptiae Octaviani cum Scribonia eodem anno celebratae. Duxerat eam Caesar initio anni, quo Pollio Cos. fuit, eamque sub anni exitum, quo pax Brundusina facta est, partui vicinam fuisse, ex eo intelligitur, quod Iulia sub anni sequentis initium nata est. Quum in exspectatione esset Roma, quam prolem Scribonia editura esset, quippe uxor Caesaris triumviri, iam tum Lepidi et Antonii opibus praevalentis, potuit Virgilius filium indeque meliorem rerum conditionem augurari; eoque commento simul et gaudium suum testari et pueri summam fortunam declarare; quamquam de Augusto rerum domino eo anno nondum quisquam cogitare poterat. Sed huic opinioni aeque magnae obstant difficultates. Errat fere inter duo hos partus interpretatio, quum uterque habeat, quod iudicium inclinare possit.

Iam quod ad Pollionis filium, Saloninum, *vulgo e Servianis commentis ad V*, 11, *(idque ceteris doctius persequutus est Boecler. Diss. Acad. II, Tom. II, p.* 388) *aut ad Salonini fratrem*, C. Asinium Gallum, *ex alio istis commentariis assuto panno V*, 11, *res refertur, non magis fide historica nititur. Nam Pollioni illo anno puerum natum esse ignoramus. Esset adeo hoc, inferre aliquid de tuo in poëtam, et tum ex eo, quod intulisti, probationes petere.* H. *Novam ex his opinionem contexuit H. Vossius: Illum anno* 786, *auctore Tiberio, egestate cibi peremtum Asinium Gallum anno* 714 *natum et sequente, Parthinis devictis, a Salonis, urbe Dalmatiae, Salonini nomine insignitum fuisse. Eius igitur propedium instantes natales Virgilium, Pollioni patri et agellum suum servatum deben'em et pacem saluberrimam, nuper compositam, assignantem, hoc carmine ita celebrasse, ut et summam orbis terrarum post pacem felicitatem, et filium honoribus et rebus gestis insignem auguraretur.* W.

Quid autem, si ne locus quidem ariolationi est, quis puer ille fuerit, quem Maro nasciturum commemorat? Potest enim

ille nihil aliud voluisse, quam calamitosis bellorum civilium temporibus laetiora successura esse, quae poëta ingeniosus per aetates mythicas declarat. Quum autem funestum illud et ferreum saeculum non statim in aureum mutari posset, inversa ratione per gradus res ad hoc adducenda fuit. Quum autem melior rerum conditio esse nequeat, nisi homines meliores deterioribus successerint, eam rationem ingressus esse putari potest, ut novam progeniem prodituram esse diceret. Haec progenies primordia sua habeat necesse est; deflexit ergo orationem ad puerum illum, qui primus in huius saeculi auspiciis erat nasciturus. *Succurrebat iam vaticinium illud vulgatum de rege sive heroë venturo vel nascituro. cf. Suet. Aug.* 94, *quod sub Nerone iterum increbuit. Suet. Vesp.* 4. *Puerum illum* διογενῆ *herois nomine et dignatione recte impertiit, recte quoque* patrias virtutes *v.* 17 *commemorat; natus enim ille puer est a deo aliquo, tanquam heros. Manere tamen vel sic nonnulla obscura nec satis commode dicta, bene sentio; verum probe arrogantem esse necesse foret eum, qui hoc sibi sumeret, ut omnia a se in hoc carmine expedita esse pronuntiaret. Ipsa enim res, vaticinii indoles et lex, enuntiationis modus per mythica ornamenta audacem conatum refrenant. Sed et in hoc carmine poëtam ad sensum nostrum interpretabimur, ita tamen ut ad aliorum opiniones refellendas non descendamus. Ceterum ut argumentum ex vita rustica petitum dici nequit, ita illud sic tractatum esse apparet, ut sententiarum color et imagines rerum sive ab ea vita sive a vita antiquissimorum temporum arcessitae sint. Imitatione magnam huius carminis partem expressit Calpurnius Ecl. I,* 36 *sqq.* H. *Mihi quidem non sumo tantum neque arrogo, ut litem inter tantos viros de puero nascituro ortam componere me posse putem, sed id tamen, certo cuidam puero, qui id temporis exspectabatur, Virgilium hoc carmen consecrasse, repetita eius lectione, mihi persuasi.* W.

Sicelides Musae, paullo maiora canamus;
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae.
Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
Vltima Cumaei venit iam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

2. *Myricae.* Virgulta sunt humilia et sterilia, quod vulgo tamaritium dicitur.

4. *Vltima Cumaei venit iam carminis aetas.* Id est, Sibyllae, quae Cumana fuit, et secula per metalla divisit; dixit etiam quis quo seculo imperaret: et Solem ultimum, id est decimum voluit. Novimus autem eundem esse Apollinem. Vnde dicit, *Tuus iam regnat Apollo.* Dixit etiam, finitis omnibus seculis, rursus eadem renovari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes completo magno anno, omnia sidera in ortus suos redire, et referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est, ut omnia, quae fuerunt, habeant iterationem. Vniversa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc sequutus Virgilius, dicit reverti aurea secula, et iterari omnia quae fuerunt.

1. *Sicelides Musae*, Μοῦσαι Σικελίδες, pastoritii carminis praesides, Theocriteae, omninoque bucolicae. Σικελὸν μέλος Bion Idyll. VII, 1. Σικελικαὶ Μοῖσαι Moschus Idyll. III. Paullo altius se pro bucolico carmine aggredi argumentum bene praefatur, quia Pollioni, viro docto, illud dedicat et inscribit. Idem genus bucolicum porro *arbustis*, *myricis*, et *silvis* exprimit. *Myrica*, virgulti genus in Italia obvium, quod ripas fluminum obsidere solet. *Tamariscum* s. Tamaricem Gallicam Linn. esse docent viri docti. — 2. *Non omnis iuvant*, non omnes delectantur. — 3. *silvae sint consule dignae*, sit carmen hoc bucolicum satis ex dignitate Pollionis Cos. *H.* Carmen bucolicum tenue per *arbusta* et *myricas*, grandius per *silvas* significari statuens H. Vossius lectionem *sunt* recepit. *W.*

4. 5. Agitur iam ultima aetas in Sibyllinis carminibus memorata; iterum procedent saecula, quae fuerunt: 6. 7. redit nunc saeculum Saturnium, et cum eo hominum genus, quale saeculo illo aureo fuit. Itaque vs. 8, 9 subiicitur: puero nato fore ut ferrea aetas desinat, succedat aurea; per certos tamen gradus, quos secundum vitae humanae gradus constituit; per pueritiam 18—25 dum aetatis ferreae mala desitura, aureae bona aliqua reditura sint; tum per adolescentiam, qua perfectior quidem aetas, heroicae tamen similis, processura sit 26—36; cum virili autem aetate, tertio gradu ac progressu 37—45, perfectam ac plenam saeculi Saturnii felicitatem esse rediturum. Ita aetatem auream initia sua, incrementa et fastigium habituram esse, fingitur. Satis apparet, poëtica haec esse phantasmata; nihil historici argumenti, ne verum quidem vaticinium subesse, si nihil aliunde adsciveris. Carmen tamen tum supererat, quod ad Sibyllam Cumanam vulgo referri solebat, in quo, post dura et ferrea tempora, ubi *ultima aetas* (sive *saeculum decimum* vid. Arg. *W.*), quam de sua aetate

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta, fave, Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri

11. *Inibit.* Inchoabit, exordium accipiet: aureum scilicet saeculum; et ideo inibit, non init, quia consul designatus erat. Quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt. Alii Asinium Gallum fratrem Salonini, qui prius natus est Pollione consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem eius factam.

interpretatur poëta, advenisset, auream aetatem sive meliorum temporum ordinem denuo processurum esse, praedictum exstabat.

6. *Virgo*, Δίκη, Iustitia, ut Hesiod. Ἐργ. 256. Nota res vel ex Ovid. Met. I, 149 et Virg. Ge. II, 471, Hesiod. Ἐργ. 200. — *Saturnia regna*, saecula aurea. — *nova progenies*, novum hominum genus, quod succedat, nascitur, νέα πληθὺς ἀνδρῶν, h. meliores et iustiores, ut in novo rerum ordine et aurea aetate. Eadem v. 9 *gens aurea*. Hesiod. Ἐργ. 109, χρύσεον γένος μερόπων ἀνθρώπων. *H.* *caelo d. alto.* Ita *de caelo delabi* de viris virtute insignibus usurpatum vides. *W.* — *surget*, procedet, ortum et initium habebit. *H.* — *mundo*, orbe terrarum, ut Lucan. I, 160. *W.*

8. Convertit se ad Dianam praesidem parturientium, a qua petit, faveat parturienti matri, nascenti puero: et quo efficacius moveat, proponit Deae, quae secum apportet nascens Octavii filius, videlicet finem aetatis ferreae, initium aureae. *C.* — *quo*, nascente.

10. *tuus iam regnat Apollo.* Ultimum saeculum ostendit quod Sibylla Solis esse memoravit. *Serv.* Hoc sequi malim, donec verius quid edocear. *H.* — De vero Apolline capio, sed cum respectu ad Augustum, qui Apollinem se dici volebat, et eius cultu saepissime ornabatur. *C.*

11. Ab hoc ipso anno consulatus tui procedet novum saeculum; quod *decus hoc aevi*, praeclara haec aetas vocatur. — *inibit* Servius et vulgo interpretes accipiunt pro cursum inibit, exordium habebit, incipiet; quod absolute ita positum non occurrere bene notat Burmannus. Participium tamen saepe ita ponitur: *ineunte anno, mense; iniens aetas;* quidni etiam *annus init?* Nisi hoc teneas, dicendum: *inibit* seu *puer*, seu *progenies nova*, novum hominum genus, *decus hoc aevi*, praeclarum hoc aevum, hanc vitam, Pollione cos.; quae tamen minus commoda sunt. — 12. *magni menses*, illustres, insignes, memorabiles, ut v. 5, utpote saeculi aurei. Nimirum *magnus annus* est, utique hinc et *magni menses*. 13. *Te duce*, auspice, a tuo inde consulatu expiabitur primo omne scelus, quo contaminatum est hoc ho

Inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam adcipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,

14. *Irrita.* Ad nihilum deducta vestigia; et non dicit, *Iam irrita solvent terras formidine*: sed, fient irrita, et solvent terras timore. — *Perpetua.* Louga. Immo, solvent perpetua formidine, id est, solvent formidine in perpetuum.

18. *At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu.* Rhetorice digesta laudatio; non enim improvide in principio universa consumpsit: sed paulatim fecit laudem cum aetate procedere. — *Munuscula.* Bene in rebus minoria aetatis, usus est diminutione; ut nullo cultu, id est, inarata, sed sua sponte nata.

minum genus, scilicet ut castior et sanctior aetas succedere possit. — *sceleris vestigia.* Reliquias belli civilis spectari manifestum est: nam perpetuum hoc, ut de bello civili ἄγος, *scelus*, praedicetur; cf. Hor. Od. I, 2, 29. Nunc de illo tempore agitur, quum post Brundusinam pacem 714 Sext. Pompeius adhuc maria Italiae infestaret et commeatu Romam intercluderet. Pax quidem etiam cum hoc paullo post apud Puteolos inita; verum sequenti demum anno 715; v. Dio l. XLVIII, c. 36: partus vero ille pueri eodem anno exspectabatur, ut vs. 21 et 61. — 14. Ornatus versus pro eluentur, tollentur. *Irrita*, abolita. — *formido* est propter reatum ex scelere conceptum.

15. *Ille deum vitam a.* aget vitam deorum, et inter deos heroësque. In aurea aetate ὥς τε θεοὶ ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, Νόσφιν ἄτερ τε πόνων etc. cf. Hesiod. Ἐργ. 112 sqq. Erat porro hoc inter aurei saeculi bona, ut dii praesentes inviserent homines. Ovid. Fast. I, 247. Catull. Epith. P. et Th. sub fin. et passim — 16. *et ipse videbitur illis* sc. permixtus, h. e. iis admixtus erit, ἀναμὶξ ἐκάθητο, Aratus Phaenom. 104, quem ante oculos habuit. — 17. *patriis virtutibus*, h. omnino, maiorum; (sive dei, unde natus; si quidem explicationem in Argumento propositam amplecteris, cf 7 et 26. *W.*) Marcellorum nomen in annalibus Romanis clarissimum. Sin ad Scriboniae partum referas Eclogam, tanto manifestior res est de Scribonia gente. Enimvero alterum, *regere orbem*, in neutrum cadit, neque memorari potest quisquam illo tempore, de quo hoc praedicari possit. Est ergo hoc inter ea, quae grammatici appellant *indissolubilia*, δύςλυτα. Scilicet ad vaticinii indolem haec sunt referenda, non ad temporum eventa: cf. Argumentum extr.

18. Felicitatis *aureae* huius *aetatis*, ex versibus fortasse Hesiodeis l. l. 130 sqq. suborto commento, *initia* cum pueritia procedere facit; *incrementa* vero cum adolescentia; cum virili denique et perfecta aetate *vitam perfectissimam*. — *nullo cultu*, uti omnia in saeculo aureo nascebantur. Hesiod. l. l. vs. 118, καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. Hic tamen, utpote in infantia eius pueri, herbas tantum et flores sua sponte terra editos memorat. At fruges cum adolescentia v. 28, cum virili denique aetate omne genus pro-

Errantis ederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Vbera; nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis

19. *Errantes ederas passim cum baccare tellus.* Passim vagantes. Vnde antiqui lyrici dixerunt, flexipedes hederas, quod hac atque illac vagantur. Mire autem puerum laudat ex ipsis muneribus. Nam hedera indicat futurum poëtam: ut, *Pastores hedera nascentem ornate Poëtam.* Baccar vero, herba est, quae fascinum depellit, ut *Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Per quod pulcrum indicat puerum.

20. *Ridenti acantho.* Laeto, suavi, iucundo, fulgenti, ut, *ridet argento domus;* vel quod hians et patens nascitur: et est herba quae in Aegypto invenitur. — *Colocasia.* Hanc herbam videtur in honorem Augusti dixisse, quae Romae, post devictam ab eo Aegyptum, innotuit; et dicendo *fundet* abundantiam floris ostendit.

22. *Nec magnos metuent armenta leones.* Bona usus est moderatione, dicens: Erunt quidem maligni leones; sed minime armentis nocebunt.

ventus ex solo sua sponte nascetur v. 39. Ovidius Met. I, 108, *natos sine semine flores* dixit. — 20. *Colocasium* s. *colocasia* planta palustris Aegyptia, latissimis foliis, caule spectabili, quo quidam non minus ac radicis bulbo vesci solent; fabas esu gratas pro fructu habet. Circa haec tempora primum in Italia seri coeptam esse, ex Plinio colligere licet; notissima etiam nunc haec planta est inter Aegyptios, nomine *Culcas*. *Acanthus* h. l. est Aegyptia arbor, acaciae genus. Cf. ad Ecl. III, 45. — *ridens* est florens, pulcher.

21. *Ipsae*, sponte, nullo ducente, vt satis notum. Sic αὐταὶ pro αὐτόματοι Theocr. Id. XI, 12. Sic v. 23, *cunabula fundent ipsa flores*, quos *blandos* dixit, gratos seu colore et adspectu, sive odore et tactu; cf. Hom. Il. XIV, 347.

24. Aut *herba veneni* pro venenata (ut Iuv. III, 4, *litus amoeni secessus*; 48, *corpus exstinctae dextrae*. W.) aut *herba fallax veneni* est herba veneno fallaci, usu exquisitiore, ut *audax animi*. Ceterum *fallax* illustratur loco Ge. II, 152. — *nec miseros fallunt aconita legentes.* — *Occidet*, ut *herba moritur.* — 25. *Assyr. vulgo nascetur amomum.* Sed pro omni fallaci herba amomum illud, quod olim in Assyria pretiosum, ubique terrarum nascetur. V. ad Ecl. III, 8. *Assyrium* vero, quum Armeniae et Mediae ea planta esset.

26. Vbi attigeris iuventutem, in qua possis bonis studiis operam dare, poësi, historiae, philosophiae, tunc una tecum tellus maiora dabit incrementa, non munuscula, non flores blandos; sed segetes, uvas, mella. *C*

Iam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus,
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris

27. *Iam legere.* Id est quum coeperis imbui studiis liberalibus. — *Quae sit poteris cognoscere virtus.* Accessu enim aetatis quanta sit virtus agnoscitur, et cuius gloriae.

— 27. *Vbi adoleveris.* Splendide hoc enuntiatum; *heroum laudes* sunt facta laude digna, ut κλέα ἀνδρῶν ἡρώων apud Homer. Il. ι, 524. *Parens*, cuius *facta* legere poterit, si de Scriboniae partu agitur, est Octavianus; sin vero de Octaviae, C. Marcellus. Neutrum satis placet. Legunt nonnulli codd. *parentum*, quod est maiorum; cf. Not. ad v. 17. 27. *quae sit — virtus* pro virtutem cognoscere. — 28-30. maior terrae felicitas erit; nascentur sponte fruges, uvae; mel post *flores*, in teneris annis pueri natos; ut apud Ovidium Metam. I, 108, 109, *floribus mox etiam fruges* accedunt. *Molli arista*, h. laevi, quum nunc grana tenuibus quibusdam et acutis acubus, tamquam vallis, obsita sint. Proprie *aristae*, quum flavescunt, *molles* nulla ratione dici possunt. Communi tamen ratione *mollis arista* est adbuc in herba. Seneca Epist. 124, *cum folliculo se exserit spica mollis.* Ceterum poëta segetem sua sponte enatam, incultam, intelligere putandus; cf. Ovid. Met. I, 109. — 30. *sudabunt*, stillabunt, conf. VIII, 54. Videntur antiqui hoc aetatis aureae bonum dupliciter extulisse, ut aut mel, quod in quercubus apes faciunt, tam copiosum esset, ut in terram deflueret, ut Ovid. Am. III, 8, 40; Hor. Od. II, 19, 11; Epod. 16, 47; cf. Hesiod. Ἐργ. 233; aut ut folia ilignea mel eliquarent et sudarent pro glutine, quod nunc illa folia certis temporibus obsidet, et mel appellatur apud Plin. XVI, 8. Sic Ovid. Met. I, 112. Ge. I, 131, *melaque decussit foliis*, de Iovis aetate; et hunc in sensum dictum h. l.; quare et *roscida mella*, quae roris more per folia guttatim se colligebant. Eiusmodi mel ex certis arboribus, v. c. palma, in Media, Arabia, variisque Asiae locis legi memoratur; vid. Wesseling. ad Diodor. XIX, 94. Apud Constantinum 30: Σκληρῶν δὴ πεύκης λαγόνων μέλιτος ῥέε νᾶμα ex priore ratione exponitur: *Duris ex picearum truncis mellis latex fluxit.* Cf. ad Tibull. I, 3, 45.

31—36. Heroum erit haec aetas, nondum illa Saturnia, ad quam per illam exactam rerum orbis redibit. Enarrat hinc poëta ea, quae in heroica vita memorari solent. — *vestigia fraudis*, προτέρας ἄτης, quod v. 13 *sceleris vestigia nostri*, h. mala et vitia nonnulla, quae cum summa felicium temporum simplicitate et innocentia non satis conveniunt; ut navigatio, urbium munitio, aratio; quae omnia cum adulta pueri aetate cessabunt, vs. 37. H. *tentare* pro adire, navigare vid. not. ad Tib. I, 2, 47. Ceterum *Thetin* e codd. praefero. *W.*

Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus;
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;

35. *Heroas.* Quidam a terra dictos volunt, quod terra ἔρα dicta sit, unde initio nati creduntur homines, qui nomen a matre traxerunt.

38. *Cedet et ipse mari vector.* Necessario; siquidem *omnis feret omnia tellus.* Navigatio enim ex mercimonii ratione descendit. Sane vector, tam is qui vehitur, quam qui vehit, dicitur; est et nauta et mercator.

34—36. Indulget sibi poëta, dum adolescentiam pueri heroicae aetati assimilat, tribuens, quae illa aetate evenisse memorantur, Argonautarum navigationem et Achivorum ad Troiam expeditionem. Sunt vero plane adumbrata ex Hesiodeis v. 161 sqq. — *Tiphys*, Argonautarum gubernator. Argo, pro navis, a fabricatore nomen sortita. *C.*

37. Constantinus 37: Ἀλλ' ὅτ' ἂν ἠνορέης ὥρη καὶ καρπὸς ἵκηται. Cum virili aetate perfectum ab omni parte saeculum Saturnium, aurea aetas succedet. — 38. Omnium rerum ubique per terrarum orbem summa erit copia, *omnis feret omnia tellus*, ut navigatione bona externa petere necesse non sit. Ita ornat poëta illud quod simpliciter erat: tolletur navigatio. Ita et vitam populi iustitiam colentis exhibuit Hesiodus Op. 236, 237. — *H.* Verbis *et ipse*, etiam omnia mala aetatis praecedentis abfore, significatur. *W.*

42. *Nec lana discet mentiri*, quum alieno colore tinguitur, fucatur; quod tunc necesse non erit, quum nativus lanae color modo luteus, modo roseus futurus est. — (brevius, *tinctores* non erunt necessarii. *T.*) 43. *Ipse*, vide vs. 21. — 44. *mutabit vellera luto*, permutabit naturalem velleris colorem luteo colore, ut naturalis lanae color purpureus et aureus iam sit. (Ita ap. Tibull. I, 8, 43, *coma mutatur* pro color comae mutatur. Ad constructionem facit Tac. Ann. II, 6: *Rhenus id vocabulum mutat Mosa flumine.* W.) Pro coloribus materias colorum memorat. Sic Horat. Od. III, 10, 14: *tinctus viola pallor amantium*, violaceo colore, subpallido. Ita *luteum* seu *lutum*, ac *lutea*, herbae genus, qua tincta lana flavo et croceo colore inficitur. Notus eius usus etiam nostris

Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores,
Cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum;

tinctoribus sub nomine *Waude*. Cf. ad Tibull. I, 8, 52. *Sandycem* a Virgilio pro herbae tinctoriae genere habitam esse, post Plinium XXXV, 6 (23) credunt interpretes: de natura tamen coloris nihil dixit; coloris tantum genus indicare voluit, quo vellus ovillum splenderet, et ornate dixit quod erat: habebunt agni vellus rubrum, nemine tingente. *Sandyx* pro colore sandycia. Est vero coloris seu pigmenti genus factitium, ex sandaracha tosta et rubrica aequa parte admixta, vid. Plin. l. l. quo rubeus color efficitur Constantini Interpres l. l. 45, *purpuream Sandycem* appellat: Σάνδυκι πορφυρέᾳ λάχνην ῥυπόεσσαν ἀμείβων. 46. Tale saeculum fato decretum veniet. Ex Catullo LXIV, 321, 328. Volebat dicere: Currite, o fila fusis devoluta! Iam per ea neutur fata seu saecula. Ornate dixit: *currite o saecula talia*, tam felicia! *currite*, pro currite ducentes. Solent autem poëtae modo in nuptiis modo in natalibus Parcas adhibere fata canentes. — 47. *Concordes stabili fatorum numine Parcae. fata* sunt *stabilia*, immutabilia, iisque *numen*, h. vis et potestas aeque ac voluntas divina tribuitur. *Parcae concordes fatis*, h. in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis consensu statuentes eventus.

48. Dicere haec ἐνθουσιῶν de puero, am ad virilem illam aetatem adulto, existimandus est poëta, impatienter ferens moram, et iam animo praesentiens prodigia, quae magnam rerum mutationem portendent. — 49. *m. Iovis incrementum*, alumnus et nutricius, quasi qui increvit Iovis cura, θρέμμα Διός, διοτρεφής, ut Iove natus. *H. Iovis incrementum* h. e. cui Iupiter favet, adspirat. Ita apud Sophoc. Electr. 163 Διὸς βήματι, *gressu, quem Iupiter tuetur*. W.

50. *Nutantem*, gestientem, prae laetitia commoventem se, bonis futuris gaudentem et quasi renascentem. *L.* — Quum varia sit loci interpretatio, tenenda sunt saltem haec: Enarrantur prodigia, quibus instans rerum mutatio portendatur. Videtur sibi poëta iam videre ac sentire orbem terrarum concussum, ut terraemotus praecedat, quemadmodum adventu et apparitione, ἐπιφανείᾳ numinis, fieri sollemne est. Id ipsum poëta mox interpretatur de exsultatione et tripudio e sensu rerum laetarum ac faustarum imminentium. Mutata autem oratio: *adspice mundum nutantem*, h. e. motum, concussum, vide, quomodo mundus movetur! et *ut omnia laetantur* pro, omnia laetantia, universi laetitiam. Itaque motum terrae caelique fausta portendere ait, et verbis *convexo pondere* ornat *mundum* pro mundum convexum. Potest tamen etiam sic accipi, ut *convexo nutans pondere mundus* nihil aliud sit, quam poëtica descriptio caeli convexi, utque simpliciter sit: vide ut

Terrasque tractusque maris, caelumque profundum;
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

57. *Calliopea.* Graeca declinatio. — *Lino.* Linus vero quum nomen hominis dicimus, brevis est *Li.* Statius, *Medio Linus intertextus acantho.* Quum autem linum dicimus, filum significantes, *Li* longa est; quum producatur apud Graecos. Linus Apollinis et Psamatis filius, qui theologiam scribit.

58. *Pan etiam.* Redit ad numina rustica: nam satis excesserat dicendo Linum poëtam, et Orpheum theologum.

omnia laetentur. Nec aliter Graecus interpres 50: Κόσμου κητώεντος ὅρα εὔπηκτα θέμεθλα, Χαρμοσύνην γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης. Γηθόσυνόν τ' αἰῶνος ἀπειρεσίου λάσιον κῆρ. *H.* Mihi verba *Terrasque-profundum* explicatio *mundi*, atque cum vi et *Adspice* repetitum et *omnia*, ad *terras tractus*, *caelum* relatum, post *ut laetantur* insertum esse videtur. Praeterea recte viri docti hoc loco et Graecis familiarem constructionem *Adspice terras, ut laetantur* pro vulgari: Aspice ut terrae laetantur, notarunt, ut dicitur: *novi Marcellum quam tardus sit*, et graecum usum indicativi *laetantur* pro legitimo *laetentur* exemplis Ecl. V, 7. Ge. I, 57 comprobarunt. *W.* — Vulgo *laetentur.* T.

53. *O mihi t.* adumbratum ex Hesiodo l. l. 474 sqq.: sit mihi tam longa vita! quumque eius non nisi extrema pars ea tempora attingere posset, pro longa vita dixit: *longae pars ultima vitae.* Graecus interpres 53: Εἴθε με γηραλέον ζῶντά τ' ἔχε νήδυμος ἰσχύς, Σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν, ἐφ' ὅσον δύναμίς γε παρείη. — *Spiritus*, ingenii vis vigorque poëticus; et mihi sit *tantus* spiritus, *quantum* eius vel quantus sat erit ad facta tua dicenda. *H.* *Sat est* cum infinitivo more Graecorum construitur. *W.* 55—59. *Non me c.* Tanta erit tamque magnifica ac divina materia tuae laudis, ut ingenium meum ab ea excitatum, inflammatum et diviniore spiritu actum, supra omnes excellere et ipsos deos canendo vincere possit. — *Adsit*, uti invocati dii adsunt, opem ferunt, favent poëtis. — 58. *Pan etiam*, cod. Obl. *Pan deus.* — Arcades, intelligentes rantus iudices, quamquam Panis sui studiosi, mihi tamen palmam tribuent propter felicitatem argumenti. *H.* *etiam.* Ita Graeci καὶ repetunt, Demosth. p. Cor. 312, ὥςε καὶ ὧν καὶ ταῦτα. Non minus latina est lectio *dicet*, quam alii e codd praeferunt *W.*

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem;
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

61. *Tulerunt.* Matri decem menses attulerunt longa fastidia: quia praegnantes solent fastidia pati. — Donatus in Eunuchi prologo locum hunc citat, et *tulerunt* penultima correpta legit, ad similitudinem illius Terentiani versus: *Postquam Aediles emerunt*, ubi necesse est ultimum saltem pedem esse iambum. Agnoscit et Probus *tulerunt*, et Metaplasmum esse dicit media correpta syllaba, quae natura longa sit. — *Decem menses.* Quia mares in decimo nascuntur mense, feminae vero in nono.

60. *Incipe, p. p. risu cognoscere matrem*, h. e. ex eo, quod tibi arridet, matrem agnoscere. Poëta ἐνθουσιῶν exoptati saeculi fausta initia nondum videns, morae impatiens haec dicit pro vulgari: nascere, puer; nam decimus iam mensis agitur, iustumque matri uterum gerenti tempus expletum, ut satis iam magna oneris sui taedia ei sint. Exprimit rem valde iucundo signo (sic enim poëticae orationis natura fert), voluptate et laetitia matris, cum qua recens natum infantem intuetur, ut eo risu se quasi matrem probare videri possit. *H.* — *Risu cognoscere matrem*, i. e. e *risu cogn. m.* Nam sunt qui male *risu* pro *ridens* ad puerum referantur; nec tamen ellipsi opus erit. *T.* — Etiam Graecus interpres 60: Ἄρχεο, μειδιόωσαν ὁρῶν τὴν μητέρα κεδνὴν γνωρίζειν. 62. *cui non risere parentes*, h. e. arrisere. Exprimit id, quod iam dicendum erat: risum hunc matris ad puellum natum prodere laetitiam matris ex pulcro filio, inter heroas deosque aliquando locum habituro, a contrario; quae conversio a ratione poëtica non aliena est. Quem infantem recens natum tali cum risu non excepere gremio impositum parentes, de quo nato non laetati sunt, est is ingratus et invenustus homo, diis hominibusque invisus, itaque ad deorum vitam et consortium admitti non poterit, quod puero promiserat vs. 15. Designari autem recepti inter deos herois vita duabus rebus solet, convictu cum Iove et deae alicuius coniugio. Sic de Hercule Horat. Od. IV, 8, 29, *Iovis interest optatis epulis*, idemque Heben coniugio accepit, cf. Virg. Ge. I, 31. Haec interpretatio uti simplicissima, ita verissima est. (si quidem sententiam generalem expressam esse statues, unde consecutio temporum plana. Ceterum positura verborum *dea nec* pro *nec dea* magna vocabulo *dea* vis additur. Eadem sede idem ausus est Iuvenalis XIV, 43: *Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.* Aen. IV, 696. *Nam quia nec fato merita nec morte peribat.* Eandem licentiam in vocabulis *et — et* sibi sumpserunt Latini. Horat. Sat. I, 6, 11: *Et vixisse probos amplis et honoribus auctos.* — De repetitionis figura 62, vid. V, 12. *W.*) Ad Vulcanum non tam respici, quam ille pro exemplo memorari potest, quod quum eius deformiter nati adspectu Iuno non delectata fuisset, caelo deiectus, atque exclusus ille est ad tempus certe (nam aliis locis ac mythis in consilio Iovis nominatur) deorum consessu et convivio, et a Minerva spretus, cuius ille coniugium appetierat.

61. *Decem menses*, scilicet novem, per quos gestantem uterum incom-

Incipe, parve puer; cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

62. *Cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Sicut Vulcano contigit: qui quum deformis esset, et Iuno ei minime arrisisset, ab Iove est praecipitatus in insulam Lemnum. Illic nutritus a Sinciis, quum Iovi fulmina fabricasset, non est admissus ad epulas deorum. Postea quum rogaret, ut cum Minerva coniugium sortiretur, spretus ab ea est. Vnde divinos honores non meruit: ad quos aut per convivium numinum, aut per coniunctionem venitur dearum. Hinc est, quod Iunoni in lib. I Aen. 79, Aeolus agit gratias, quod per eius beneficium divinos honores meruit: ut, *Tu das epulis accumbere divum.* Alii dicunt quod quum Vulcanus parentes suos diu quaereret, nec inveniret, sedile fecit tale, ut cum eo qui sedisset surgere non posset; in quo quum adsessisset Iuno, nec posset exsurgere, Vulcanus negavit se soluturum omnino, nisi prius parentes suos sibi monstrasset, atque ita factum est ut in Deorum numerum reciperetur.

modo pondere gravasti; et decimus mensis, in quo puerperii duros dolores, et primi lactis laborem ac sequentes aerumnas perpessa genitrix languet; iterum, hanc specta, ut iterum consoleris; ut iterum rideat. *C.* Turneb. IV, 15, de Lunae mensibus explicandum hunc locum putat. *L.*

ECLOGA V. DAPHNIS.

ARGVMENTVM.

Convenerant Mopsus et Menalcas, pastores, ille fistula, hic cantu excellens, et se ad canendum mutuo invitant 1—19. *Postquam sub antrum concesserant, prior Mopsus* 20—44, *Daphnidis mortem luget; inde Menalcas succedens* 56—80, *eiusdem Daphnidis tanquam diis adscripti laudes persequitur. Mutuis hinc sibi muneribus datis discedunt. Etiam in huius Eclogae allegoria exculpenda molesti fuere interpretes. In Daphnide plerique Iulium Caesarem, eiusque necem et apotheosin* (*v. Vit. Virg. ad a.* 712); *nonnulli, iam ex antiquioribus, Maronis fratrem Flaccum, cui opinioni verba Menalcae* (*Virgilii*) 51, 52, *iam satis obstare videntur, aut Quinctilium Cremonensem anno* 730 *mortuum, aut, quod peius etiam, Quinctilium Varum, qui in Germania* 763 *occubuit, item Saloninum, Pollionis filium, quaesiverunt. Quodsi altiorem, quam verborum ratio fert, sententiam quaeren-*

dam putes, ad Caesarem ut opineris Virgilium respexisse, feram equidem, modo ne singula allegorice ad taedium interpretari ausis, quia illud saltem non incommode fieri potest; quod tamen cogat nos, nihil inest. (Si ad Caesarem, cui anno 712, a triumviris divini honores decreti sunt, respexisse putes Virgilium, eum, bello Mutinensi agris vicinis haud dubie vastatis, novisque malis ex divisione agrorum, veteranis promissa, post Philippos imminentibus, hoc carmine desiderium felicitatis priorum temporum Caesare dictatore expressisse, non incommode statues. W.). *Nam si carmen animo ab opinione aliqua vacuo et intacto legimus, nihil aliud poëta spectasse videri debet, quam ut Idylliorum Theocriti I et XIX imitationem institueret, et, ut Ecloga tertia duos pastores a conviciis ad cantum progressos, ita h. l., idque multo elegantius, duo alios pastores a mutuis laudibus ad certamen cantus procedentes induceret. Carminis argumentum sunt* Daphnidis laudes, *nobile haud dubie in vetustis carminibus pastoritiis argumentum ut ex nonnullis Theocriti in primis Idyll. I et VII*, 73 *sqq., locis apparet. Sed noster eam materiam ita tractavit, ornavit et amplificavit, ut generosum poëtae epici spiritum facile in eo agnoscas; quamquam singulae rerum imagines et characteres ex antiquissimorum carminum indole et colore ducti sunt. Locus, in qua conveniunt pastores, statim ab initio magna cum suavitate describitur; Tityro, Menalcae servo, gregibus utriusque traditis* 12 *successerant antro vitis agrestis palmitibus obducto. Carmen ad annum* 712 *(ab aliis in initium anni* 713. W.) *referri solet. vid. Vit. Virg. h. a.*

MENALCAS, MOPSVS.

MENALCAS

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere versos,

Menalcas. Virgilius hic intelligitur, qui obitum fratris sui Flacci deflet; vel ut alii volunt, interfectionem Caesaris. *Mopsus* vero Aemilius Macer Veronensis Poëta, amicus Virgilii.

1. *Cur non Mopse, boni.* Inducuntur duo pastores canere delectationem, unde et se laudantes sibi invicem cedunt.

1. *boni—inflare—dicere*, ἀγαθοὶ, ἐσθλοὶ συρίζειν, ἀείδειν, h. docti, periti. Theocrit. Idyll. VIII, 4: Αμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.

Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSVS

Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

5. *Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras.* Dicit quidem verecunde se illi obtemperare debere: ostendit tamen quid sibi placeat. Nam ex ipsa laude antri, et ex arborum vituperatione, quarum incertas umbras esse dicit, ostendit suam sententiam esse meliorem. Incertae autem umbrae sunt, et ex Solis circuitu, et ex mobilitate ventorum; quod ipse etiam dicit, *Zephyris motantibus umbras.* (In olim editis legebatur *motantibus*, quod praeferre videtur Heyne. *T.*)

6. *Antro potius succedimus.* Succedimus et dativo et accusativo casibus, sequutus tam veterem, quam nostram consuetudinem, suo more iungit; sive umbras succedimus, sive antro; quum alibi sequutus tantum antiquos, dativo tantum succedere iunxerit; ac *nostris succede penatibus*, et *successitque gemens stabulis.* Sallustius tamen succedere accusativo iunxit, sed ubi *prope* significat: *Quum murum hostium successisset, poenas dederat*: hoc est, quum prope murum accessisset. Succedere autem idem significat, quod et subire, id est, penitus intrare.

— *Calamos leves*, fistulam tenui arundine compactam.

4. *maior* natu. Sic *maximus* absolute Aen. VII, 532. Quanto haec iucundiora sunt Eclogae tertiae principio! — 5. *mutantibus* eas *Zephyris* reddit rationem adiecti *incertas*, quod non pro vituperio umbrae haberi debebat, quum sit longe elegantissima rerum imago. Sic *umbrae tremulae* apud Calpurn. Ecl.V, 101.— 6. *Adsp. ut antrum* speciosum est, silvestri labrusca diffusa per ambitum, unde rari pendent racemi: quo loco nullus pulchrior, et ad canendum aptior. *C.* — 7. *labrusca*, vitis agrestis, ἀγριάμπελος, v. Plin. XXIII, 1. Vitibus obductae speluncae, utpote quae amoenitate se commendant, passim laudantur. Habent scilicet poëtae ex Homeri splendida descriptione antri Calypsus Odyss. ε, 68, cf. 63. — 8. Pendet sententia ex superioribus: Mopsus quum de loco tantum dubitasset, in quo futurus cantus, certe de cantu ipso nunquam dubitaverat, imo se ad parendum alacrem dixerat: hanc alacritatem Mopsi ducit Menalcas pro argumento victoriae alienae, atque adeo veluti subterfugiens certamen: ait: non ego tecum certem; Amyntas solus certet, qui magnus cantor in his montibus: vel referri potest sententia ad quatuor versus Mopsi praecedentes, ut dicat Menalcas: certet tecum tantum Amyntas, non ego: nam versus quos nunc fudisti, praeclari sunt.

MOPSVS

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

MENALCAS

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.

10. *Phyllidis ignes.* Phyllis Sitonis filia, regina Thracum fuit. Haec Demophoontem Thesei filium regem Atheniensium, redeuntem de Troiano proelio, dilexit, et in coniugium suum rogavit. Ille ait ante ordinaturum se rem suam, et sic ad eius nuptias reversurum: profectus itaque quum tardaret, Phyllis et doloris impulsu, quod se spretam credebat, laqueo vitam finivit, et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, eius amplexus est truncum; qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Vnde etiam phylla sunt dicta a Phyllide, quae antea petala dicebantur. Sic Ovidius in Metamorphoseon libris.

11. *Aut Alconis laudes.* Hic Cretensis sagittarius fuit, comes Herculis; ita peritus, ut ictus eius non falleretur; namque positos supra capite hominum

9. Quid tu mecum certare posse Amyntam putas? Possit quidem, si certet superare Phoebum cantu: clarius; si Amyntas certet, aspiretque ad victoriam Phoebi, me quoque cantu aggrediatur, non aliter. *C.* — *Quid, si idem.* Aut dictum hoc cum sensu modestiae, ut Amyntam unum omnes superare dicat, nec mirum esse, se quoque ab eo superari; aut invidiose, ut laudem aemuli, quae eum pungit, ita elevet, ut ex audacia potius, quam artis confidentia, certare eum cum melioribus significet. *Hoc eum audere, ut se mihi aequiparet, mecum certet, nihil mirum, quum idem ille satis temerarius sit, ut vel cum diis congrediatur.* Firmes hoc ex vs. 15, *tu deinde iubeto certet Amyntas.* H. Tunc et versu 8 Amyntae audaciam tangi statues, *certet Amyntas*, credo certare Amyntam. Eadem notio coniunctivi *poeniteat* II, 34; cf. not. ad Tibull. I, 9, 63. Verbum *certet* vs. 9, quod significatione et constructione mutata repetitum placet, conatum cum aemulatione notat. Aen. V, 194, *neque vincere certo.* W. — Apud Theocritum dictum est sine obtrectatione et invidia IV, 8, *φαντί νιν Ἡρακλῆϊ βίην καὶ κάρτος ἐρίσδεν.*

10. Exacerbatum iuvenem lenit vir pastor, et primas offert in canendo. *C.* — Ex Theocr. I, 19. Nil nisi nota aliqua pastoritiorum carminum argumenta h. l. memorari, et vulgaria pastorum nomina recitari puta. *Iurgia Codri*, carmen, quo is cum pastore aliquo cantu contenderat. Nomen *Codri* alicuius infra VII, 22, 26 recurrit. Male hic aut Phyllis a Demophoonte amata, aut Codrus, rex Athenarum, nominaretur. *H.* *Incipe; pascentis;* repetitionis figura Virgilius non magis desiderium expressit, quam sententias inter se eleganter copulavit; cf. IV, 62. *W.*

MOPSVS

Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.

MENALCAS

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

MOPSVS

Sed tu desine plura, puer; successimus antro.

annulos traiiciebat; capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positis ex adverso gladiorum lancearumve mucronibus fiodebat; cuius quum filium draco invasisset, tanta arte suam direxit sagittam, ut ea currens, in serpentis deficeret vulnere, oec transiret io filii corpus. — *Iurgia Codri.* Codrus dux Atheoiensium fuit, qui orto bello inter Laconas et Atheoienses; quum respondisset oraculum, illos posse viocere, quorum dux ab hostibus fuisset occisus; et hostes scientes a Codro abstinerent, habitu humili profectus est ad hostium vicina teotoria: et illic iurgio eos in suam caedem instigavit, quum a nullo fuisset agnitus: et sic locum fecit oraculo; nam Athenienses eo proelio viceruot.

14. *Modulans alterna.* Secundum rhythmum componens. Alterna autem, varia, propter musicam: cuius sonus varius invenitur, ex pedum dissimilitudine. Significat autem cantaturum se epicedion et epitaphion. Nam epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto, sicut: *Extinctum nymphae crudeli funere Daphnin.* Epitaphion autem, post completam sepulturam dicitur; ut: *Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus.*

16. *Lenta salix quantum pallenti cedit olivae.* Rusticis utitur comparationibus. Salix autem vilissima est arbor, olivae comparatione.

14. *alterna notavi*, per alterna, alternatim canens versiculum, et euodem mox incidens in corticem. *H.* — *alterna*, videlicet, modo inflans fistulam, modo canens carmen. *C.* — 15. Haec cum irrisione arrogaotis Amyntae. Iis, quibus Bacchius noo vocabulo comprehensus *iubeto*, nisi interpunctio sequatur, in hac sede displicet, veluti apud Propert. II, 33, 9, *Quam te iussit habere* puellam *cornua Iuno*, accedo, utque h. l. optimorum codicum lectionem *iubeto ut* recipiant, auctor sum. *W.* — 16. v. Theocr. V, 92—95. — Extrema Mopsi iodicaruot, altius adhaesisse in animo iuvenis vulous illud de Amynta adducto secum in contentionem: quamobrem ita blandissime, et cum lenocinio Menalcas. — 17. *saliunca*, herba ignota, *fortasse nardus Celtica.* H. In hac comparatiooe species pulcra, non usus spectatur. *W.*

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant; vos coruli testes et flumina Nymphis;
Quum complexa sui corpus miserabile gnati
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis adtigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.

21. *Vos coryli testes, et flumina nymphis*. Bene testimoniis utitur, in rebus incredibilibus. Nam fletum facile dearum persona non recipit. Et bonis usus est gradibus: *fleverunt Nymphae*, quibus insita est naturaliter pietas: homines, ad quos mortis pervenit dolor: pecudes, quae licet ratione careant, tamen non carent sensu: ferae, crudelitate gaudentes. Quam rem rursus, quia incredibilis est, testimonio comprobat, dicens: *Hoc et montes loquuntur et sylvae*. Quod autem ait, *coryli et flumina*, usurpatum est; nam testes flumina non dicimus. Quoniam quae in is exeunt, neutrum in e mittunt, ut agilis, agile. Sed nec hoc teste, nec haec testia possumus dicere. Vnde per diffinitionem debemus dicere, testes mihi sunt; quae res? coryli et flumina. Sic Horatius: *Testis Metaurum flumen*. Propert. Eleg. II, 9: *Testes sunt sydera nobis*.

20. Lusus ingenii, non verus affectus ex funere vero carminis argumentum facit: luctus ex Daphnidis antiqui istius pastoris Siciliae morte. — *crudeli funere*, simplic. acerba morte. — 23. *astra vocat crudelia*; dicit, ea crudelia esse; sic vulgo. Quid si *astra crudelia vocat*, h. invocat, inclamat, deos et astra incusat? *H*. *deos vocare* est implorare, in auxilium vocare; *deos crudeles vocare* incusare ob praematurum filii exitum. Vtra explicatio apta sit, apparet. Mater eius fuit nympha. *W*.

24. Non pastores prae luctu armenta ad pascendum, nec post pastum ad flumina egerunt. Mosch. III, 23, 24; Nemes. II, 29, atque ea fuere impasta per illos dies. — 26. *graminis herbam* pro gramine puta hic et Ovid. Met. X, 87, Liv. I, 24 dictam esse, ut *cytisi*, *loti*, herbam, nempe quum de virenti germine fruticis cuiuscuuque agitur; nisi noto poëtarum more pro herba graminea dictum malis, quum *gramen ipsum inter herbas vulgatissimum sit*. Plin. XXIV, 19.

28. *montesque feri silvaeque loquuntur*. Montibus et silvis vocem dari satis notum est, et, si *ingemuisse montes silvasque* dixisset aut *queri* aut *loqui*, eodem, cum isto, sensu, nihil offenderet; cf. vs. 62. Sed hic est, *montes et silvae memorant*, *leones ingemuisse*. Itaque dicendus est poëta paullo durius expressisse idem illud, quod ante dixerat: *coruli testes et flumina Nymphis*; testantur leonum gemitus montes ex audito. *Leones* pastorem exstinctum deflere, ad luctus acerbitatem augendam magnam δεινότητα habet; nec de eo cogitandum, quod Daphnis in Sicilia obiit. At *Afros* pro epitheto ornante accipias, ut mea

Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
Instituit; Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Vt gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,

36. *Grandia hordea.* Vsurpative metri causa dixit; nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum singularis sunt. Vnde plurali in prosa uti non possumus: vina tamen possumus dicere Ciceronis exemplo; qui ait in praetura: *Vina, ceteraque quae in Asia facile comparantur.* — *Mandavimus.* Commendavimus vel seminavimus, et recte dicitur reddituris.

Armeniae tigres et supra *Cydonia mala*. Circumspectius hunc colorem servasse videas Moschum in epicedio Bionis, quod ante oculos habebat Virgilius, quum Daphnidem scriberet, uti Virgilium Nemesianus Ecl. I, 72—74. *H.* Et Theocritus *leones* Daphnidis mortem deplorantes fecit I, 72: Τῆνον χὠ 'κ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα. *W.*

29. Haec et sqq. simpliciter ita interpretanda sunt, ut ad augendas eius laudes et amplificandam dignitatem Daphnidem unum ex Bacchi commilitonibus et sociis fuisse fingat, qui sacra Bacchi instituerit inter pastores, atque caerimonias in Liberalibus sollemnes exhibuerit, inter quas Bacchi res gestae in primisque ad Indos expeditio, unde ille curru tigribus iunctis rediit, repraesentari solebant. Bacchum autem curru tigribus iuncto vehi, innumeris monumentis constat, cf. Montfauc. *Ant. expl.* vol. I, tab. 158. *H.* Inde a versu 29 docemur, quam egregie Daphnis de humanitate inter pastores instituenda et promovenda meruerit, ut tanto luctu dignus fuerit habitus. Particula *et*, alia eius merita omitti, significatur; *curru* pro currui. *W.* — 30. *thiasos inducere Bacchi* accipio pro simplici *ducere* choros bacchantium, quales saepe in anaglyphis et gemmis. — Versu 31 thyrsum describit, quem bacchantes gestabant.

32—35. Ex Theocr. VIII, 79. — 34. Ornavit hanc luctus descriptionem Moschus Idyll. III, 66. — *fata tulerunt*, abstulerunt, cf. IX, 51. Hom. Il. B, 302: οὓς μὴ Κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι. — 32. A sacris, quae ornavit, gradum facit ad ornamenta alia, rem esplicans comparationibus rusticis: *fuisti decus* etc. — 35. *Pales*, pabulorum Dea, Dea pastoralis, quae cum Apolline Nomio religiose colitur. *Em.* — *agros reliquerunt*, deliciis suis, Daphnide inquam, sibi ereptis, ut solitudinem agrorum fugerent. Summo cum affectu haec ad iacturae magnitudinem dolorisque gravitatem dicta sunt. *H.* Deos eum iis, quos fovent, venire et abire, poëtae fingere solent. Tibull. II, 3, 3, 4; et II, 6, 2, 4. *W.* Cum ea morte inque agrestium deorum di-

Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis; .
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MENALCAS

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo;
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.

44. *Formosi pecoris custos, formosior ipse.* Si ad Caesarem referas, hoc dicit: Boni populi, optimus imperator.

48. *Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.* Videtur allegoria quasi ad Theocritum et Virgilium respicere: hinc est: *Tu nunc eris alter ab illo.* Fabula de Calamo talis est: veteres Zephyro vento unam ex Horis coniugem adsignant; ex qua et Zephyro Carpon filium pulcherrimi corporis, editum dicunt; quem quum Calamus, Meandri fluvii filius, amaret, a Carpo mutua vice etiam ipse adamatus est. Sed Carpos, quum in Meandrum fluvium cadens, esset extinctus, Calamus suum patrem propter hoc scelus aversatus,

scessu agros summa sterilitas occupare debuit; ita versuum sequentium sententia exoritur. — 36. Privati te, privati numinibus quid non experti detrimenti sumus? nihil nobis pro votis successit: hordea etc. — 38. *Pro molli viola* v. Theocr. I, 132 sq. *purpureus narcissus*, a purpureo calyce. Alii ex Diomede grammatico *purpurea* praetulerunt; cf. Theocr. I, 133. — 39. *Carduus*, spinae genus. *Paliurus*, herba asperrima et spinosa. *L.*

40—44. Funebrem honorem et tumulum Daphnidis indicit. *Spargite humum foliis.* Haec, nisi de florum ac frondium sparsione exponi nequeunt. Horat. Od. III, 18, 14: *Spargit agrestes tibi* (Faune) *silva frondes*; cf. Ecl. IX, 19. Tumulum iuxta fontem factum intellige. Sic in honorem defuncti pastoris, noto more, humus floribus et frondibus spargitur; ac circa tumulum arbores seruntur, cf. Nemes. I, 64 sqq. — 43. Theocr. I, 120 sqq. quos versus mireris Virgilianis posthaberi. *hinc usque ad s. notus*, in pastoritio carmine non placet. At conf. Theocr. VII, 93.

45. V. Theocr. I, 1 et 7 etc.: VIII, 82, 83. *H.* Praeferenda videtur Probi Grammatici et codicis lectio *Tale tuum nobis carmen*, quod in vulgari positura verborum, ubi vocabulo *nobis* peculiaris vis per metrum additur,

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.

MOPSVS

An quidquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

MENALCAS

Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas

aufugit; rogavitque Iovem, ut finem suis luctibus daret, sibique mortem praestaret: ut amato post obitum iungeretur; quem, miseratione Iupiter ductus, in barundinales calamos verti iussit; qui semper circa oras fluminum nasci solent; Carpon vero in fructus rerum omnium vertit, ut semper renasceretur.

55. *Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.* Ac si diceret, scio esse optima quae dicturus es: frustra ea verbis extenuas, *qui* ille supra verecunde dixerat: *Quocumque modo tibi nostra vicissim.* Quidam per Stimichonem, Maecenatem accipiunt: nonnulli Stimichonem, patrem Theocriti dicunt.

57. *Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.* Meritum eius ostendit, qui summos circulos, et caeli secreta conscendit. *Ergo alacris silvas, et cetera rura voluptas.* Quae superius occupaverat moeror quod ad sidera abiit; nam supra ait: *Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.*

male *Menalcas* et *fessi* opponuntur. *W.* — 51. *tollemus ad astra*, h. in caelum et inter divos sublatum canam; nisi simplicius sit: celebrabimus, ut IX, 29 et sup. vs. 43. *H.* —54, 55. Et argumentum mihi placet, et tua argumenti tractatio per laudes aliorum iam mihi nota est. *W.*

56. Iam Daphnis deus factus celebratur; itaque ei, tanquam novo numini agresti, omnia tribuuntur, quae sive a deorum olim in terris praesentia repetebantur, sive deorum honoribus instituì solebant. Locus autem longe dulcissimus: Daphnis nunc in Olympum receptus est, 56, 57; quo eventu laetatur omnis rerum natura — 61; eique, tanquam deo, sacrum indicitur 80. — *Candidus*, splendens, micans, ut sidus. — 58. *alacris* ratio poëtica cum *voluptas* iungi docet. *H.* Forcellini *silvas alacres* h. e. laetas iunxit; de qua prolepsi Schaefer ad Theocritum p. 215 egit. *Cetera* bene adiectum; nam *rus* silvas et pascua complectitur. *W.*

Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas:
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

60. *Nec retia cervis Vlla dolum meditantur.* Adeo placet simplicitas Daphnidi, ut etiam ipse dolus, qui voluptati antea fuerat, conquiescat: scilicet venationis, et est Hyperbole.

64. *Ipsa sonant*, etc. De repercussione vocis Ecl. I, 5. Eleganter arbusta, silvae, dicuntur sonare, loqui, respondere, ut Ecl. X, 8: *Respondent omnia silvae.* — *Deus, deus ille, Menalca.* Hoc consonant, *Deus, deus est Daphnis*, quasi vox silvarum sit. Et multi sic distinguunt: *Ipsa arbusta sonant deus*; et subiungunt, *deus ille Menalca*, ut sit sensus: si enim rupes et arbusta deum dicunt, deus est, o Menalca.

66. *En quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo.* Fecit inquit, aras quatuor: tibi, o Daphni, duas, et duas aras Apollini, quae sin, altaria. Novimus enim, *aras* diis esse superis et inferis consecratas; *Altaria* vero esse superorum tantum deorum: quae ab altitudine constat esse nominata, quae nunc dat Apollini quasi deo: Daphnidi vero, aras ponit. Nam licet eum dixerit deum; tamen mortalem fuisse manifestum est. Sane quaeritur, cur duo altaria se positurum Apollini dicat, quum constet supernos deos impari gaudere numero; inferos vero pari, ut: *Numero deus impare gaudet*: quod etiam pontificales indicant libri. Sed constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem esse Apollinis potestatem: et eundem esse Solem apud superos; Liberum patrem iu terris; Apollinem apud iuferos. Vnde etiam tria insignia circa eius simulacrum videmus; *Ly-*

60. Illa silvarum et agrorum laetitia esse non poterat sine securitate, quam per *otia* declarat. Ab hac igitur enuntiationem mutuatur poëta. Et vs. 62 omnium rerum naturae ea laetitia communis esse ponitur. — 63. *Intonsi montes* sunt silvosi, incaedui. Aliter accipies *tonsae valles* Ge. IV, 277; *tonsa humus* Ovid. Rem. 192. — 64 O Menalca, ipsa arbusta resonant: Deus, deus ille! *H. sonant carmina* h. e edunt cantus, quibus Daphnin venerentur ac laetitiam prodant, ut 62 *montes laetitia voces iactare* dicuntur. *Sonare carmina* tribuitur lyrae apud Horatium Epod. IX, 5. Laetitiam illam animadvertit Menalcas; ei igitur rupes et arbusta acclamare finguntur: *deus, deus ille, Menalca.* W. 65. *felix* est propitius; v. Serv. et Intpp. Adde Aen. I, 330. — 66. Sacrum ei annuum promittit. *duas altaria Phoebo*, duas aras, Phoebo quae sint altaria; ut, quod discrimen inter utrumque esse proditur, poëta sequatur, Phoeboque tamquam ex superis

Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et quum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,

ram, quae nobis caelestis harmoniae imaginem monstrat; *Griphenoeum*, quod et terrenum numen ostendit; *Sagittas*, quibus infernus deus et nosius iudicatur. Vnde et Apollo dictus ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν. Hinc etiam et Homerus Apollinem, tam pestilentiae dicit, quam salutis auctorem; et Horatius ait, *condito mitis placidusque telo*, *Supplices audi pueros Apollo*. Vnde Virgilius rationis huius peritus, per altaria, supernum numen ostendit; per parem numerum, infernam indicat potestatem. Varro Diis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari adfirmat. Alii, altaria eminentia ararum et ipsa libamina, ut Aen. XII, 174, *paterisque altaria libant*.

70. *Ante focum si frigus erit, si messis in umbra*. Non frigori calorem opposuit; sed messem, quae est tempore caloris.

72. *Lyctius Aegon*. Cretensis: ut, Lyctius Idomeneus, a Lyctio urbe Cretae.

diis, altare, Daphnidi, heroi, aram dedicet. Non tamen placet in poëta ista grammaticum fortasse decens subtilitas. — 67. *novo lacte*, v. ad Ecl. II, 22. Describit autem 67, 68 libationem Daphnidi, tanquam heroi, faciendam lacte, oleo et vino, qualem Theocr. V, 53, 54. — 69-73. Ex multo suaviore loco Theocr. VII, 63 sqq. adumbratum. Etiam in ceteris sollemnibus ac festis diebus, seu hieme seu aestate celebrandis, inter epulas sacras in Daphnidis honorem *vino libabit*. — 71. *Vina Ariusia* ex promontorio et tractu Ariusio in Chio insula. — *novum nectar*; fuit scilicet vinum dulce, ut statim a vindemia eius usus esset. *Calathus* h. l. vasis et calicis genus. 72. *Lyctius* a Lycto, urbe Cretae. Theocr. l. c. 71-73. Inter epulas saltationes rusticae habebuntur.

74. Duo festa insigniora memorat, festum Nympharum et lustrationis agrorum, *quum sollemnia vota reddemus Nymphis*. Id fortasse, messe facta, cf. vs. 70. — *Lustratio agrorum*, sive ambarvalia moribus quidem romanis fiebant sub casum hiemis, iam vere sereno; v. Ge. I, 340 et ad Tibull. II, 1 pr. Fatendum tamen, ad Siculos potius ritus haec accommodata haberi, et Siculorum sacra agrestia intelligi debere. Nam Romanos sollemne Nympharum instituisse ignoramus. *H.* — 76, 77. Sensus vocabuli *semper* simplici imagine: dum rerum natura eadem erit, commode

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Vt Baccho Cererique, tibi sic vota quot annis
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.

MOPSVS

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta;

79. *Vt Baccho Cererique.* Haec enim duo sunt numina, quae et rustici maxime colunt; et quorum nomina communia sunt mortalibus cunctis. Sic in Georgicis: *Vestro si munere tellus, Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Cererem propter aridos, Liberum propter humidos fructus. Itaque nunc Daphnim dicit colendum, propter pecudum proventus.

81. *Reddam pro carmine dona.* Ille eum supra tantum laudaverat: hic et laudat, et de munere etiam cogitat.

82. *Nam neque tantum.* Quaedam per comparationam laudata maiorem emphasin habent, si negatio activa a parte orationis incipiat; ut *Non sic aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exit. Nec sic immissis aurigae undantia lora concussere iugis.*

enuntiatus est; cf. Tibull I, 4, 65, 66. *W.* 77. *dum rore cicadae* antiqua opinio. Theocr. Idyll. IV, 16; Scut. Herc. 395. *H.* De *dumque — dum* vid. VI, 67. *W.* 79, 80. Refertur Daphnis in deorum agrestium numerum, *damnabis tu quoque votis*, h. eo, quod rerum homines earum, quas a te precati erunt, compotes facies, obligabis eos ad vota, quae ea quasi sub conditione fecerant, solvenda. Formula sollemnis: *damnatus voti*, sed et *dam. voto* dicitur.

82—84. *neque me tantum iuvant* delectant *sibilus* etc. elliptice; supple quam iuvant tua carmina. *T.* — *veniens Auster* est oriens, flare incipiens; cf. Aen. X, 99, *venturi venti.* — 83. Certavit cum Theocr. I, 7, 8. — 85. *ante*, quam tu me dono ornes: versus 81 respicitur (quasi dicat: etsi nihil habeas, quo me dones, tamen te ego prius donabo hac fistula. *C.*). Commendat fistulam, ut magistram carminum II et III, quorum exordia hic posita. Ita Aeneis a Martiale VIII, 56, 19, exordio *Arma virumque* posito, adde eiusdem XIV, 183, laudatur. Vnde coniectura haud temeraria profecta est, Virgilium ipsum sub nomine Menalcae latere; cf. Ecl. IX, 10. — 88. cf. Theocr. VI, 43, 44. — *pedum*, baculum incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas pecudes a *pedibus*. Gr. καλαῦροψ, καλαῦροψ. *L.*

Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Haec eadem docuit, Cuium pecus? an Meliboei?

MOPSVS

At tu sume pedum, quod, me quum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

89. *Non tulit.* Non impetravit, saepius licet peteret a me. Ter. E. V, 8, 27: *Quodvis donum a me optato; id optatum feres.* — *Antigenes et erat tum dignus amari.* Aut pastorem quemdam pulcherrimum dicit; aut Choraulam significat, quem legimus admodum a Virgilio fuisse dilectum: non tulit autem, id non impetravit. — *Amari* pro, dignus qui amaretur.

90. *Formosum paribus nodis.* Et ab arte et a natura laudavit, vel ab aere; ut si dicas, pulcher est equus sella, pulcher fraenis. — *Paribus nodis.* Id est natura formosum; hoc est pulcrum aere artificium: vel *paribus nodis*, id est, pari intervallo.

ECLOGA VI. SILENVS.

ARGVMENTVM.

In exordio Eclogae, quae Varo *inscribitur, Virgilius, carmine epico haud feliciter tractato, redire se ait ad bucolicum, Vari laudibus satis profuturum.* 1—12. *Inde narrat, Satyros duo cum Aegle Nympha Silenum dormientem aggressos coëgisse, ut carmen diu promissum eaneret.* 30. *Cuius argumentum mythicum summatim exponitur.* 31—86. *Attigerat enim Silenus fabulas cosmogoniae* 31—40, *et tempora usque ad diluvium Deucalioneum* —42. *Inde ad heroum aetatem progressus, Argonautarum expeditionem*, 43, 44, *Pasiphaës infelicem amorem*—60, *poma Hesperidum et Phaëthontem* —63, *Grynei luci originem, Galli poëtae laude admixta* —73, *Scyllam* —77, *denique Tereum et Philomelam* —81 *cecinerat. Vespere ingruente, Silenus finem canendi facit.* — *Felix in huius Eelogae argumento, a poësi bucoliea non abhorrente, eiusque tractatione fuit Virgilius. Iucundissimis enim, dulcissimis, ac puleherrimis rerum imaginibus omnis haec narratio distincta est, ubi Silenus ex antiquissimorum poëtarum ac philosophorum rationibus originem rerum canit,*

atque per fabulas ornatum poëticum maxime admittentes vagatur. Non enim, quare ad Epicuri potissimum placita v. 31 *sqq. referam, video; quid, quod quatuor elementa, e quibus universum ibi construitur, quae ad Empedocleam rationem pertinent, ab Epicureorum principe Lucretio I,* 717, *exagitantur? Et nititur tota de Virgilio Epicureae philosophiae sectatore fabula fide Pseudodonati et Servii, hoc est, vanissimorum hominum, qui grammaticorum nomina mentiti sunt. Fuit autem antiquissima aliqua fabula de Sileni philosophia et reconditioribus disputationibus super natura et moribus. Locus erat hac de re classicus in Theopompi Thaumasiis, unde excerpta particula apud Aelian. Var. Hist. III,* 18, *ubi vid. Intpp. et quos laudant. Virgilium eas tantum fabulas secutum esse apparet, quae et frequentatissimae in veterum carminibus essent, et ornatum poëticum in primis admitterent. Itaque alias disertius exponit, aliarum non nisi argumenta commemorat, et delectationi adeo studet, ut inter antiquas illas fabulas Galli sui meminerit. Quis Varus fuerit, cui hoc carmen inscriptum, cuiusque Ecl. IX,* 26—29 *meminit, vix ad liquidum perduci posse puto, quum tot gentium, ut Quinctiliae, Pompeiae, Atiae, Liciniae, cognomen illud fuerit, neque in aliis scriptoribus de hoc Varo quidquam memoriae proditum sit. Ex Virgilio haec colligi possunt: fuisse Maroni illum benevolentissimum, rebus bellicis* 5 6 *clarum, et magnis meritis in Mantuanos in agris eorum a militum iniuria vindicandis conspicuum, pro quibus IX,* 27—29, *nominis immortalitas ei promittitur. Quae praeterea de hoc Varo ex commentis grammaticorum vel de coniectura disputata sunt, vid. congesta atque examinata in Excurs. II, p.* 192, *et apud H. Vossium p.* 290 —293.

Ceterum pro Silenus *in aliis praescriptum est* Varus, *quam inscriptionem versu* 12, Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen, *male defendi video.* Varo *saltem melius conveniret, quam* Varus.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, neque erubuit silvas habitare Thalia.
Quum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.
Nunc ego; namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella;

1. *Prima Syracosio dignata est ludere versu.* Character mixtus: nam et poëta praefatur, et cantare Silenus inducitur. — *Syracosio.* Quia Theocritum praecipue sequitur; quamvis multi alii bucolica scripserint.

3. *Quum canerem reges et proelia.* Quum canere vellem: et significat aut Aeneidem, aut gesta regum Albanorum: quae coepta omisit, nominum asperitate deterritus. Alii Scyllam eum scribere coepisse dicunt; in quo libro Nisi et Minois regis Cretensium bellum describebat; alii de bellis civilibus dicunt: alii de tragoedia Thyestis. — *Cynthius.* Apollo, a Cyntho monte Deli, in quo natus est. — *Vellere aurem*, est commonefacere. Virg. ult. vs. in Copa: »Pone merum, et talos: pereant, qui crastina curant. Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio.« In auribus enim memoriae sedes. Hinc antestatio apud Rumanos, id est, testis tactio, in qua solent vadantes adversarios suos, apprehensa auricula eius, quem testari volebant, quo scilicet eius rei memor esset, interrogare eundem, licet antestari? qui si licere responderet, obtorto collo reus in ius trahi poterat. — Aurem autem ideo vellit, quia memoriae consecrata est; ut frons Genio; digiti Minervae; genua Misericordiae.

1. *Syracosio — versu*, Theocriteo, v. Ecl. IV, 1. — *Prima* intelligunt, significare Maronem e Romanis se primum ad tenue hoc carminis genus descendisse. Melius de eius aetate accipias, quod in adolescentia iis carminibus se dedit, non epicis (vs. 3 *reges et proelia*), a quibus revocabat eum Apollo. *H.* Tum *Thalia*, ut *Musa*, pro cantu dicitur. *W.* — 2. *silvas habitare*, ad genus bucolicum refertur; v. ad Ecl. IV pr. Adde 1, 2. — *Thalia* omnino pro Musa dicta videri potest; nisi ea proprie hic memorata est, quia bucolica eius fidei ac praesidio credita habebantur; cf. Schol. Apoll. Rhod. III, 1. — 5. *deductum carmen*, tenue, ut pastoritium, esse, ex ipsa sententia apparet; a lana in filum deducta est hoc petitum. Ex Afranio et Cornificio usum vocis illustrat Macrob. VI, 4, p. 595, 96. Sed proprie de quocumque carmine usurpatur *deducere*. H. Iuv. VII, 54, *qui nihil expositum soleat deducere*, ubi vid. Rupert. *W.*

6. *qui dicere laudes tuas cupiant*, qui carmen epicum condant. Magna vero cum venustate rem ad Vari laudes trahit, quasi hoc epici carminis argumentum constitutum habuisset. *H.* Et ita esse, H. Vossius statuit. *W.* — 7. *tristia* epitheton bellorum perpetuum, nec singularem vim h. l. ha-

Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho:

9. *Non iniussa cano.* Vel ab Apolline, vel ab Augusto, vel a Maecenate. Sive, nihil iniussa mens inchoat; et hoc ideo, quia dixerat, *Cynthius aurem vellit* — *Haec quoque.* Licet vilia, sicut Theocriti. Et hoc dicit: si quis, licet rustica, legere fuerit ista dignatus, tuas tamen in his laudes inveniet. Nam per myricas et nemora, bucolica significat.

11. *Nec Phoebo gratior ulla est.* Nec enim pagina ulla Apollini est gratior, quam quae Vari nomen gestat in titulo. Quod ideo dicit, quia hanc eclogam constat in honorem Vari esse perscriptam. Dicitur enim ingenti favore a Virgilio esse recitata: adeo ut quum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro, quam in fine Lycoridem vocat, et spectaret Cicero; stupefactus, cuius esset, coepit requirere; et quum eum tandem aliquando agnovisset, dixisse dicitur, et ad suam, et illius laudem: *Magnae spes altera Romae.* Quod iste postea ad Ascanium transtulit, sicut commentatores loquuntur.

13. *Pergite Pierides.* Hortatur Musas ad referenda ea quae Silenus cantaverat pueris. Nam vult exsequi sectam Epicuream, quam didicerat, tam Virgilius, quam Varus, docente Sirone: et quasi sub persona Sileni, Sironem inducit loquentem. Chromin autem et Mnasylum, se et Varum vult accipi Quibus ideo coniungit puellam, ut ostendat plenam sectam Epicuream, quae nihil sine voluptate vult esse perfectum. Sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Virgilio; sed a Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum a Midae regis pastoribus, dicit crapula madentem, et ex ea soporatum, illos dolo adgressos dormientem vinxisse; postea, vinculis sponte labentibus, liberatum, de rebus naturalibus et antiquis Midae interroganti respondisse; quem alii Mercurii filium, alii Panos et Nymphae, alii ex guttis cruoris Caeli natum esse dixerunt. — *Chromis et Mnasylus.* Nomina satyrorum.

15. *Inflatum venas.* Figurate loquutus est, et *semper* bene addidit, id est, consuetudine vini, et non interdum temulentum esse.

bet. — 8. conf. I, 2. — 9. *Non iniussa cano*, sed ab Apolline iussa; cf. Ecl. VIII, 11; tenui ea quidem carmine: si tamen non infeliciter a me elaborata erunt, ut sint, quibus placeant, haec ipsa quoque laudes tuas ornabunt. — 10. *myricae — nemus* pro rure et pastoribus; cf. ad vs. 2 et Ecl. IV, 2. *Pagina* pro carmine ausus est hoc loco primus Virgilius. *H.* *Pagina sibi praescripsit* pro vulgari: pagina, cui praescriptum est. *W.*

13. *Pergite Pierid.* Agite, favete Musae. *W.* — 14. *somno iacentem*, καθ' ὕπνον κατακλιθέντα Soph. Philoct. 30. — *Iaccho* pro vino Colu-

Serta procul tantum capiti delapsa iacebant,
Et gravis adtrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi; nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat; iniiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naïadum pulcerrima; iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri, satis est potuisse videri.

20. *Timidis.* Timentibus. Nam timidus est, qui semper timet: timens vero, qui ad tempus formidat ex causa. Aut revera timidis: quia pueris per aetatem naturaliter timor est insitus, et timentibus ne, dum vincula iniicerent, expergefieret. — *Videnti.* Pro vigilanti.

24. *Solvite me pueri.* Quia putaverant eum corona ligari posse. — *Satis est potuisse videri.* Sufficit enim, quia potui a vobis, qui estis homines, videri. Quod ideo dicit, quia ἡμίθεοι, quum volunt, tantum videntur; ut Fauni,

mella etiam X, 309, *madefactus Iaccho.* W. — 16. *Serta procul tantum* c. Hoc in loco *procul tantum*, quo modo bene iungi possit, difficile dictu est. Omnibus espensis, ita statuo, ut graece dictum accipiam δεικτικῶς, ut πόῤῥω τόσον, ut saepe τόσον et τοῖον etiam apud Homerum; cf. Od. ο, 404, 450. Graecum esset. Κρατὸς ἀπο τόσσον, h. ἄποθεν τόσον, tantillum, non adeo longe. Alii *tantum* pro *modo* cum *delapsa* iungunt. (Laudatur Valer. Flacc. VIII, 289: *Et tantum deiecta suis a montibus arbor*: at ibi certe male ita accipitur *tantum*. W.) *capiti* graece pro a capite. *H.* Ita Ovid. Met. VI, 592, *lateri vellera dependent.* W. *procul iacebant*, ut Prudent. Psychom. 687: *Scissa procul palla structum et serpente flagellum Multiplici media camporum in strage iacebant*; et *longe lapsum temone* Aen. XII, 470. — 17. *gravis cantharus*, vino plenus, inquit Burmannus; malim omnino vas magnum et capax designari. *pendebat* sc. semisupinus, tantum non eversus (manibus non emissus, vel ex zona pendens. *L.*). *attrita ansa*, frequenti usu.

19. *iniiciunt vinc. ex ipsis sertis*, vincula sertacea. Quod Satyri illi Silenum vinciunt, ad notam antiquitatis opinionem, vates, qui canere recusent, per vincula ad id cogi posse, ei, qui Proteum a Menelao vinctum hunc ipsum Silenum ita ad Midam olim perductum recordabitur, referendum esse constabit. 21. *iamque videnti*, espergefacto. Causam pingendi afferunt sive locum ac petulantiam, sive honorem, quod antiquissimo more, qui deinceps in deis agrestibus perstitisse videtur, deorum simulacra minio pingebantur; cf. Ecl. X, 27. Praeferendum prius, petulantiam Nymphae repraesentari. — 24. *satis est potuisse videri*, videri me vincere potuisse. *H.* Ad dicendi genus comp. Ovid. Heroid. XII, 75: *Perdere posse sat est, si quem iuvet*

Carmina, quae voltis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta

Nymphae, Silenus. Potest et aliter intelligi, *Solvite me*: Sufficit enim quod talis vobis visus sum, ut etiam ligari possim.

30. *Rhodope et Ismarus.* Montes Thraciae, in quibus Orpheus consueverat canere. Et hoc dicit: non tantum isti montes gaudent cantante Apolline vel Orpheo, quantum cantante Sileno laetatus est mundus. Namque etiam paulo post dicturus est: *Et invito processit vesper Olympo.*

31. *Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina.* Variae sunt Philosopborum opiniones de rerum origine. Nam alii dicunt omnia ex igne procreari, ut Anaxagoras: alii ea humore, ut Thales Milesius. Vnde est: *Oceanumque patrem rerum.* Alii ex quatuor elementis, ut Empedocles: secundum quem ait Lucretius: *Ex imbri, terra, atque anima nascuntur et igni*: Epicurei vero, quos nunc sequitur, nihil horum comprobant: sed dicunt duo esse rerum principia, corpus et inane. Omne enim quod est, aut continet, aut continetur; et corpus volunt esse atomos, id est, quasdam minutissimas partes quae τομήν, sectionem non recipiunt. Vnde et atomi dictae sunt, quas Lucretius minutiores dicit esse illis corpusculis, quae in infusis per fenestram radiis Solis videmus: dicit enim illas nec visum posse recipere. Inane vero dicunt spatium, in quo sunt atomi. De his itaque duobus principiis volunt ista quatuor procreari, ignem, aërem, aquam, terram: et ex bis cetera; ut illa duo elementa atomi et inane sint: haec vero quatuor syntheta, id est composita ex illis duobus, praestent originem aliis omnibus rebus. Hac autem ratione comprobat, ex atomis et inani originem rerum esse: quod nihil est in rerum natura, quod non et corpus habeat, et recipiat sectionem; et quia recipit sectionem, indicet etiam inanitatem. Ergo *uti magnum per inane coacta semina*: Canebat, inquit, mundi principium, id est quemadmodum collectae et coactae atomi per magnum inane, fuissent origo ignis, aëris, terrarum, et maris: nam *semina* atomos dicit. Dicimus autem haec atomus, et hae atomi.

ipsa potestas. W. — 26. Huic *aliud mercedis erit*, vis non ingrata puellis.

27. *in numerum*, ad rhythmum saltare. *Serv.* ἐν ῥυθμῷ, κατὰ ῥυθμὸν ὀρχούμενοι ad numeros, motus et gressus. — 28. *motare*, frequentativum, a *moveo*. — 29-30. *Nec tantum* — quantum illa, quae vs. 27, 28 memorata fuerant, cantu Sileni. Non autem carminis dulcedo in modorum quaerenda concentu, sed in argumenti mythici novitate et fabularum suavitate. *H.* *mirantur*. Vsum praesentis pro perfecto in comparatione notabis. Conf. Tibull. II, 4, 55, *quidquid habet Circe*. W.

31. Ex Apollonii Argonaut. I, 490 sqq. petitum hoc exordium. Adde

Semina terrarumque animaeque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paullatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant submotis nubibus imbres,

33. *Liquidi simul ignis.* Puri, i. e. aetherei, quem Cicero ignitum liquorem dicit. Lucretius: *Devolet in terram liquidi color aureus ignis.* — *Vt his exordia.* Ex seminibus, hoc est atomis. — *Primis.* Pro principiis, quae enim Graeci στοιχεῖα, nos principium appellamus.

36. *Et rerum paulatim sumere formas.* Canebat etiam quemadmodum terra rerum sumpserit formam.

37. *Iamque novum ut terrae stupeant lucescere solem.* Canebat quemadmodum post haec stupeant terrae Solis ortum. Alii *terrae* ad homines referunt, pro, qui in terra sunt.

Lucret. V, 456 argumentum frequens vetustissimorum carminum de rerum origine ex elementis iisque antea confusis. *coacta* dixit semina, quae passim per vacuum ferebantur, nunc ad quatuor rerum genera seu elementa reducta. *magnum inane*, et *animae*, pro aëre, et *liquidus ignis* Lucretiana oratio. *H.* *primis* h. e. elementis Lucret. IV, 487, *exordia*, quae primum elementis coactis enata sunt. *W.* *tener orbis*, ut *tenerae res* Lucret. I, 479, 480: *Dum tempestates adsunt, et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis auras*, et Ge. II, 343, *Chaos cuixum terras* dixit. Manil. II, 13: *orbemque sub illo Infantem; primum titubantia Sidera corpus.* H. *tener* ad elementa coeli tenerrima retulit H. Vossius. *W.* — 35. *Tum durare solum et d.* Cecinit tum, ut terra coeperit indurescere et solidari, atque aquas discretas et a superficie intra certos fines et littora depulsas mari includere; et 39 paullatim herbis arboribusque vestiri; cf. Lucret. V, 731. *H.* *durare*, duritiem sumere, neutrorum more; de quo usu, si idem metaphorice positum *se obfirmare* frequenter notare recordaberis, vix erit, quod dubites. *W.* *formae rerum* sunt ea, quae, exclusis aquis, in superficie telluris apparuere. — 37. *stupeant —cadant* etc. tempus praesens pro praeterito: canebat, ut stupuerint, ceciderint etc.; sed valet hoc ad vividiorem orationem, ut quasi in rem praesentem adducamur. Dicta vero haec ornate pro: ut sol et coelum factum sit. *H.* Iunge, *cadant nubibus submotis altius* h. e. quae tum altius levatae erant. Iam coepisse et solem splendere et pluviam decidere, canit Maro. — *cadere nubibus*, ut Ovid. Metam. XI, 516, *cadunt nubibus imbres.* Constructionem vid. ad Tibull. I, 6, 53 illustratam. Ceterum consecutio temporum *canebat ut —fuissent—concreverit — coeperit — stupeant*, erunt quibus singularis prorsus videatur. Nam ad *perfectum* et *praesens* requiritur *canit*, non *canebat*.

Incipiant silvae quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montis.
Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.
His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum

41. *Hinc lapides Pyrrhae iactos.* Fabula talis est: Iupiter quum perosum haberet, propter feritatem Gigantum, genus humanum, scilicet, quod ex illorum sanguine editi erant mortales; diluvio inundavit terras, omnesque homines necavit, exceptis Pyrrha et Deucalione, qui iu monte Atho liberati sunt: sed hi ex responso Themidis, saxis post tergum iactis, genus hominum reparaverunt: et Phyrra quidem reparavit feminas, Deucalio mares. Quod autem dicit *Regna Saturnia*, fabularum ordinem vertit. Nam quo tempore Saturnus regnavit, in terris non fuit diluvium. Alii Saturnia regna, pro Iovis accipiunt, cuius regno diluvium factum volunt sub Deucalione et Pyrrha; non aureo seculo, quo Saturnus regnavit.

42. *Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.* Et hic fabulae ordinem vertit, quae talis est: Prometheus Iapeti et Clymenes filius, post factos a se homines, dicitur auxilio Minervae caelum ascendisse: et adhibita facula ad rotam Solis, ignem furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati dii, duo mala immiserunt terris, febres et morbos: ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum: et adhibita est aquila, quae eius iecur exederet. — *Caucasiasque refert volucres.* Bene volucres, in genere, sine distinctione: quia alii vulturem, alii aquilam cor Promethei erodere fabulantur. *Lem.*

43. *His adiungit Hylan.* Hylas Thiodamantis filius, ob speciem Herculi fuit carissimus; quem sequutus navigantem cum Argonautis, in finibus Ponti iuxta Moesiam, apud fontem Calciamnis, quum aquatum isset, a Nymphis raptus est, nec unquam potuit reperiri. Postea quum esset cognitum, quod perisset in fonte, ei statuta sunt sacra, in quibus mos fuerat, ut eius nomen clamaretur in fontibus. *Lem.*

Sed ubi dicta vel sensa referuntur, verbi narrandi cogitandive, unde illa pendent, vel praesens vel praeteritum usurpatum est, aut usurpari potuit. Hinc, quum scriptores ad id tempus, quod eligere poterant, non vero usurpaverant, verborum sequentium tempora dirigere haud cunctati sint, tot *orationis obliquae* mutationes et variationes repetendae sunt. *W.* — 39. *Incipiant silvae* quum primum silvae inciperent enasci cum animantibus. *montes ignotos*, in quibus tum primum ferae vagabantur. Malunt alii ex codicibus duobus lectionem *ignaros*, idem significantem, quod *ignotos*; cf. Aeneid. X, 706. Sed hic usus vocis *ignarus* pedestribus quoque scriptoribus, ut Tacito, frequens.

43. Ex insignioribus antiquitatis mythis sunt Argonautica et res Herculis. Ex his unus laudatur Hylas, Argo ad Mysiam appulsa, a Nymphis raptus, et ab Hercule frustra quaesitus. *H.* *quo f.* ad quem fontem. Hylam sive Ascanium fluvium fuisse mythogra-

Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah! virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,

47. *Ah! Virgo infelix.* Ad hoc attinet quod ait *solatur*: ut quod amat taurum, fortunae magis videatur esse, quam morum. Virgo autem a viridiore aetate: nàm iam mater fuerat Phaedrae, Ariadnes, et Androgei. — *Quae te dementia cepit.* Hic obiurgare magis, quam consolari videtur; an quia consolantis et hoc officium est, ut moerentem *strictim* et obiurget.

48. *Proetides implerunt falsis mugitibus agros.* Proetides, Proeti, et Stenoboeae, sive Antiopae secundum Homerum, filiae fuerunt, Lysippe, Ipponoë, Cyrianassa. Hae se quum praetulissent Iunoni in pulcritudine: vel ut quidam volunt, quum essent antistites; ausae sunt vesti eius aurum detractum in usum suum convertere: illa irata, hunc furorem earum immisit mentibus, ut putantes se vaccas in saltus abirent, et plerumque mugirent, et timerent aratra; quas Melampus, Amythaonis filius, pacta mercede ut Cyrianassam uxorem cum parte regni acciperet, placata Iunone, infecto fonte, ubi solitae erant bibere, purgavit, et in pristinum sensum reduxit.

phi tradunt. *clamassent*, nomine vocassent; cf. Aen. IV, 674, *morientem nomine clamat.* — 44. Et Pers. II, 23, *Hylā, Hylă.* Secunda in vocativo, ante vocalem more Graecorum corripienda, in priore verbo arsi producitur, ut Ecl. IV, 24, *Actaeo Aracyntho.* Ad metri rationem et repetitionis usum compara Soph. Elect. 148, *Ἆ Ἴτυν, αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται.* Adde Valer. Flacc. III, 596, *Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat Avia.* W. Ad antiquiores mythos referendi sunt Cretenses, inque his Europae genus, Minos, cui nupta Pasiphaë, Solis filia; cf. Apollod. III, 1. Eius amor tauri mirum phantasma poëticum, quod ornari poterat. *solatur amore iuvenci*: elegans conversio pro eo, quod simpliciter erat: *Pasiphaës amores canit*, cf. 62; quae fabula ad rerum praesentissimas imagines revocata apponitur. — 47. *virgo* h. l. ut puella, omnino pro femina; nam nupta illa erat Minoi. Ad morbum hystericum hoc malum referendum. — 49. *Secuta*, eodem sensu, quo Ecl. II, 64, *Florentem cytisum sequitur lasciva capella*, idest appetit; cf. ibidem notata. *T.*

51. *in levi fronte*, id est humana; nam ferae hirta sunt fronte, atque hispida. *C.* — 52. *erras*, vagaris per montes tauri amati inveniendi causa.

Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nym-
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus; (phae,
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia. Forsitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortinia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae

54. *Ilice sub nigra.* Vel umbrosa, vel revera nigra: nam ilex talis est. — *Pallentes ruminat herbas.* Revomit, et denuo consumit. *Atque iterum pasto pascitur ante cibo:* sic Ovidius. Ruminatio autem dicta est a ruma, eminente gutturis parte: per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. Pallentes autem, vel aridas, vel quae ventris calore propria viriditate caruerunt.

61. *Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.* Mala, quibus acceptis a Venere, Hippomenes vicit Atalantam puellam Sciriam cursu potentem, quae multos sponsos superatos occiderat. *Lem.*

62. *Tum Phaëthontiadas.* Clymenes et Solis filias: quae dum extinctum fra-

At ille, spreto tuo amore, tanquam superbus aliquis puer, *inter herbas ac flores* recubans etc. — 54. *pallentes herbas*, χλωρὰς, virides, iam Ecl. II, 47; III, 39; V, 46: *ilex* vero *nigra* a nigricante virore. — 55. *claudite Nymphae.* Vt concitatior et acrior reddatur narratio, ingeniosa orationis conversione Pasiphaë exclamans inducitur. Observari illa iubet silvae exitus, ne taurus, quem quaerit, ad stabula armentorum elabatur. — 56. *Dictaeae:* a monte Cretae Dicte. — *nemorum saltus* sunt hic aditus ad silvas, angusti fere, asperi et confragosi, quae loca proprie *saltus* dicuntur; cf. Aen. XI, 904, 5. *H.* — *Si ferant*, in his consilium Pasiphaës. Vsui particulae *si*, satis crebro, *si* cum optativo respondet; cf. Aen. I, 181. *W.* — 58. *Errabunda bovis vestigia*, h. gressus bovis errantis; πλανοδίας βοῦς dixit Auctor hymni Homerici in Merc. 75. — 60. *Gortynia stabula* a Gortyne seu Gortyna, Cretae urbe; ut sit, spreta Pasiphaë, aliam amicam sequutus, ad stabulum vaccae perducatur, quum ille e Gnossicis armentis esset. Vix tamen cogit poëtica ratio *Gortynia* tam anguste accipere; est enim omnino ornatus causa appositum, quia res in Creta agitur, et intelligenda stabula vaccae nota et consueta.

61. Atalantam canit, Schoenei f. v. Ovid. Met. X, 560. Novum hoc, quod aurea poma ex Hesperidum hortis petita sunt. Potest tamen *Hesperidum mala* pro *aureis* (cf. III, 71) dixisse. Vulgatior forma est, ex agro Veneri in Cypro sacro illa fuisse apportata; cf. Ovid. l. l. 645. *H.* — *Tum* in enumerando ter positum; *quid? quod* apud Ovid. Met. X, 615-18, quater, sed melius. *W.* — 62 *musco circ.* h. canit, quemadmodum

Corticis, atque solo proceras erigit alnos:
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum;
Vtque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Vt Linus haec illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en, accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat

trem flerent, conversae sunt in arbores: ut hoc loco dicit, in alnos: ut in decimo, in populos; ubi etiam plenius haec dicta est fabula. Mira autem est canentis laus, ut quasi non factam rem cantare, sed ipse eam cantando facere videatur. Sane ingeniosi hominis mentionem cum re, quae animam non habet, miscuit: sorores Phaëthontis succina flevisse dicitur. *Lem.*

67. *Vt Linus.* Apollinis filius: Ordo autem est, haec illi ut Linus dixerit — *Divino carmine.* Id est, vaticinans, qui divina canebat. — *Pastor.* Quaeritur, cur *pastor* dixerit; nisi forte quod se Poëta sub pastoris persona inducit.

Phaëthontis sorores (Solis, qui *Phaëthon* vocatus est Aen. V, 105, unde patronymicum *Phaëthontiades*, et Clymenes filiae. *W.*) muscoso cortice circumdatae, et in alnos, sive in *larices*, ut communis fabula fert, mutatae fuerint. Dicunt enim poëtae ea *fieri*, quae *facta* narrare volebant, et tribuitur poëtae ac vati, tanquam auctori, id, quod contigisse carmine suo exponit: ut sup. 46, *solatur*, et IX, 20, *induceret.*

64. Praeclarum hoc commentum ad Galli laudem. Occupatum eum in re poëtica (ad Musarum recessus errantem) duxit Musa in Heliconem, ubi totus Musarum chorus ipsi assurgit et Linus (Apollinis filius) fistulam Hesiodeam donat. Habuit autem ante oculos fabulam de Hesiodo in Theog. 22 sqq. cf. Nicand. Theriac. 11, 12. — *Permessus* fl. Boeotiae ex Helicone monte descendens. Est hic mons intell. in *Aonas* (pro *Aonios*, ut apud poëtas *Gallus* pro Gallicus. *W.*) *montes*, *ab Aonibus*, primis Boeotiae incolis, dictos, vid. Strabo IX, p. 615. *adsurrexerit*, honoris testificatio, aevo iam heroico frequentata. Il. α, 533. *H.* Notanda sunt verba *ut Linus*, sine copula adiecta. Cf. V, 77, *dum—dumque—dum.* W.

67. *Vt Linus.* Duplici haec modo iungi possunt, aut *pastor carmine divino* pro carminis divini (vaticinans), aut *dixerit carmine divino*, quod praefero. Cur Linum *apio coronatum* dixerit, causa non constat; nisi ad argumentum lugubris cantus in eius mortem spectat, de quo multa vel in Pausania occurrunt. *H.* Malim iungi *past. d. c.* h. e. auctor divini carminis. *W.* De Lino v. Ecl. IV, 56. — *Ascreus senex* Hesiodus, a vico Boeotiae Ascra. Quod vulgo Orpheo tribuitur, silvas canentem secutas esse, ad Hesiodei cantus praestantiam transfertur.

Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,

73. *Nequis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.* Sensus hic est: Si tu Grynaeum laudaveris nemus, in nullo se tantum Apollo iactabit.

74. *Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama sequuta est.* Scyllae duae fuerunt, una Phorci et Cretheidos Nymphae filia, pulcherrima: quam quum amaret Glaucus marinus deus, dum ipse amaretur a Circe, et eam contemneret; illa irata fontem in quo Scylla solebat se abluere, tinxit venenis: in quem quum descendisset puella, media sui parte in feram mutata est. Hanc postea Glaucus fecit deam marinam, quae classem Vlyssis, et socios evertisse narratur. Quidam Scyllam hanc a Neptuno amatam dicunt, et per Amphitritem, coniugem Neptuni, metuentem pellicis formam, venenis Circes in monstrum marinum esse mutatam. Altera vero Scylla fuit, Nisi Megarensium regis filia: contra quos dum devictis iam Atheniensibus pugnaret Minos, propter filii Androgei interitum, quem Athenienses et Megarenses dolo necaverant, adamatus ab Scylla est, Nisi filia: quae ut hosti posset placere, comam purpuream parentis abscissam ei obtulit: quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Modo ergo Virgilius, aut Poëtarum more miscuit fabulas, et nomen posuit pro nomine: ut diceret Scyllam Nisi pro Phorci: sicut alibi: *Domitus Pollucis habenis Cyllarus*; quum Castor, domitor equorum fuerit.

72. *Grynei nemoris dicatur origo.* Miraculum Apollinis, qui serpentem ibi occidit. Gryneum nemus, es in finibus Ioniis, Apollini a Gryno consecratum: vel a Gryna Moesiae civitate; ubi est locus arboribus multis, iunco, gramine, floribusque variis omni tempore vestitus; abundans etiam fontibus, quae civitas nomen accepit a Grygno Eurypili filio, qui regnavit in Moesia, qui adversus Troianos Graecis auxilium tulit. *L.*

72. *Grinium*, τὸ Γρύνειον, seu *Grynia*, oppidum Aeolidis in Asia minore, fano et oraculo Apollinis nobile. — *His tibi dicatur.* Accipe hos calamos (fistulam), quos tibi dant Musae; his canes originem Grynei nemoris, atque ita suaviter, ut quamvis Apollo plura habeat loca sibi sacra, tamen hoc uno potissime glorietur tuis versibus nobilitato. *C.* — Quo nihil aliud significari potest, nisi Gallum aut fabulam ab Hesiodo in parte aliqua τῶν ἠοιῶν memoratam tractasse, aut ad Hesiodi imitationem scripsisse opus, quo oraculi Grynei vel Apollinis Grynei fabulae, satis magnum argumentum carminis, exponerentur. — 73. Nota forma, cf. Callimach. in Del. 269.

74. *Quid loquar.* Pergit commemorare Silenii carminis argumentum, non Galli versuum, fabulas strictim percensens. Quid loquar, ut Scyllam aut ut Tereum mutatum narraverit, h. fabulas de Scylla et Tereo. Confudit duas Scyllas, alteram Nisi, Phorci alteram; quod et alii poëtae fecere. Perizon. Animadv. hist. c. 9. De sociis Vlyssis, dum praetervehuntur, a Scylla devoratis nota fabula.

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante

76. *Dulichias vexasse rates.* Ithacenses, a monte: Dulyrhium insula est (ex Echinadibus, pro Ithaca Propertius II, 14, 4, cum aliis dixit. *W.*) ubi mons est Ithacus: in qua fertur habitasse Vlysses: eoque et ipse Dulichius, et Dulichias habuisse rates dicitur. *Vexasse rates* autem, per Tapinosim dictum est. Nam non vexavit, sed evertit; quod Probus vult hac ratione defendere: dicens *Vexasse* venire ab eo quod est veho, vecto, vexo; ut vexasse sit portasse, et sine dubio pro arbitrio suo evertisse. *Vexasse* est enim vis quaedam alieni arbitrii, non enim sui potens est, qui vehitur. Bene ergo inclinatum verbum est: nam qui fertur, et raptatur, et hue atque illue distrahitur, *Vexari* proprie dicitur. Cato in oratione de Achaeis, *Quumque Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* — Cicero in Verrinis, *Sed ut a barbaris praedonibus vexata esset.* — Item alibi *fana vexata, direptae urbes reperiuntur.*

78. *Terei.* Tereus rex Thracum fuit, qui quum Atheniensibus tulisset auxilium, ae Pandionis Athenarum regis filiam nomine Prognen duxisset uxorem; et post aliquantum tempus ab ea rogaretur, ut sibi Philomelam sororem suam videndam accersiret; profectus Athenas dum adducit puellam, eam vitiavit in itinere, et ei linguam, ne facinus indicaret, abscidit; inclusamque in stabulis reliquit, ementitus coniugi eam periisse naufragio. Sed Philomela rem, in veste suo cruore descriptam, misit sorori: qua re cognita Progne Itym filium interemit, et patri epulandum adposuit. Alii Tereum finxisse socero dicunt Prognen uxorem mortuam, et petisse Philomelam in matrimonium, et hoc dolore compulsam Prognem occidisse filium, et epulandum patri apposuisse: quos quum Tereus agnito scelere insequeretur, omnes in aves mutati sunt; Tereus in upupam; Itys in phasianum; Progne in hirundinem; Philomela in lusciniam. Quidam tamen eos navibus effugisse periculum, et ob celeritatem fugae, aves appellatos volunt.

— *quam fama sequuta est*, quam ferunt, habentem inguina succincta canibus marinis, ex alvo eius prodeuntibus, infestasse Vlyssis ratem. — 76. *vexasse*, habuisse hoc vocabulum paullo maioris atrocitatis significatum ap. veteres contendunt et defendunt Virgilium Gellius N. A. II, 6; Macrob. VI, 7; Serv. ex Probo h. l. Videtur expressisse Homericum βλάπτειν. *H.*

80. Nota vel ex Ovid. Met. VI extr. fabula. Poëta eos sequitur, qui Philomelam in hirundinem mutatam esse memorant, quod multi fecere, ut e. Apollod. III, 14, 8. Appositis autem epulis ex Itys filii membris paratis, (*dapes — dona*) illa cum Procne sorore statim profugit in silvas, insequente cum ferro Tereo. Hinc illud: *quo cursu deserta petiverit.* Tereo instante, sorores in aves mu-

Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere lauros,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles:
Cogere donec ovis stabulis numerumque referre
Iussit, et invito processit Vesper Olympo.

85. *Cogere donec oves stabulis.* Ordo est; cogere donec oves stabulis vesper iussit, et invito Olympo processit. Et ex eo quod dies invitus abscessit: et ex eo quod nimio audiendi desiderio vesper exortus est, cantilenae voluptas ostenditur. Est etiam Solis laudatio, cuius lucis claritas tanta est, ut ea Olympus laetetur.

tantur; tum Philomela, hirundo facta, *aedes suas circumvolat*, quasi pristinae sedis desiderio. Ciris 51: *ut — tenui conscendens sidera penna Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis.* Ovid. Met. II, 490. *Quo cursu* — et *quibus alis* dicta eleganter pro quomodo, cf. Aen. I, 750. *Et tecta ante sua* iungenda [illegible]nt, ut apud Ovid. Met. VI, 490, *quondamque suis in agris.* Hunc in modum omnis loci difficultas tollitur. *H.* H. Vossius eos sequitur, qui Philomelam h. l. in lusciniam mutatam *tecta sua circumvolitasse ante*, quam deserta petivisset, statuerunt, et *dona* ad caput Itys in ora patris missum refert. *cursu*, ut Aen. VI, 194 de volatu. *quibus alis* ad genus mutationis pertinet, *ante.* Membris ita transpositis pro ordine solito: quibus alis supervolitaverit, et quo cursu deserta petiverit, per particulam *ante* consecutio temporum saepe demonstratur; vid. Pers. II, 31: *Ecce avia — cunis exemit puerum frontemque — lustralibus ante salivis expiat.* Ceterum versus 79, 80, 81, versui 78, *ut narraverit Tereum mutatum*, explicationi adiecti sunt; vid not. ad Tibull. I, 8, 57. *W.*

82—84. Canit Silenus, ut respondent valles; canit omnia illa, quae Eurotas audiit ex Phoebo apud se canente, beatus tanti numinis praesentia. *C.*

83. Amavit Hyacinthum, Oebali filium, Spartanum, Phoebus; vid. Ovid. Met. X, 162 sqq. ad Eurotae itaque, qui Laconicae fl. est, ripas saepe lyra cecinit. — *meditante*, canente, v. ad Ecl. I, 1. *pulsae*, scil. vocibus, sonis, ut resonarent. *H.* — *referunt*, illa *omnia.* *lauros*, alii praeferunt *laurus;* regionem Amyclarum ad Eurotam arboribus optimis consitam fuisse, refert Polybius V, 19. *W.*

84—86. Silenus usque ad noctem canit. Sed quam ornate hoc poëta extulit! — *numerum referre*, cf. Ecl. III, 34. — *Vesper* est Hesperus, Veneris stella. — *invito Olympo*, quod coelum aegre ferebat, nocte ingruente carmen finiri.

ECLOGA VII. MELIBOEVS.

ARGVMENTVM.

Meliboeus pastor narrat, ut, aberrantem caprum quaerens, in Corydonem caprarium et Thyrsin ovium pastorem inciderit, cantu certaturos, utque Daphnidis, iudicis inter illos futuri, hortatu apud eos assederit, cantantes auditurus —20. Inde Corydon primas, Thyrsis secundas partes carmine amoebaeo, e dramatico genere, ita sustinet, ut quemadmodum Ecl. III distichis, sic iam tetrastichis seu quaternis versibus comprehensa carmina decantent, sena uterque, Corydon diversi quaeque argumenti exorsus, Thyrsis similia aut contraria afferendo. Locus, in quo consederant, est amoenissimus: sub umbrosa quercu a Favonio leviter agitata, inter apum susurros, in vicinia Mincii fluvii, et quidem ea parte, qua armenta potum ducebantur. Etiam in hoc carmine putidum est referre, quas allegorias commenti sint interpretes, quum haud dubie nihil aliud spectarit poëta, quam ut ad Theocritei Idyllii VI imitationem illud carminis amoebaei genus exprimeret, quod narratione pastoris alicuius, qui interfuerat certamini, continetur. Hanc eclogam nova arte ac varietate expressit Gesnerus in Lyca et Milone. *Propertius II, 34, 67 hoc carmen respicit:* Tu canis umbrosa subter pineta Galesi Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus. *H. Vere anni 716 hanc eclogam scriptam esse, sunt qui opinantur.* W.

MELIBOEVS, CORYDON, THYRSIS.

MELIBOEVS

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Conpulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,

2. *Compulerantque.* Compellere proprie est in unum locum, vel diversa, vel diversorum animalia cogere. Cicero sic aiebat in Pisone: *omni pecore compulso.*

1. *arguta ilice*, levi cum susurro ac murmure, seu sibilo venti, agitata. Sic Graecis arbor ᾄδει, συρίζεται, μελίζεται, ψιθυρίζει. Expressum vero hoc initium carminis ex Theocr. Idyll. VI, 1 sq. et VIII, 1 sqq. Ipsa

Huc ades, o Meliboee; caper tibi salvus, et haedi;
Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra:
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci;
Hic viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere; alternos Musae meminisse volebant.

9. *Caper tibi salvus et hoedi.* Aut quia in capro est spes hoedorum: aut intelligimus, istum etiam hoedos perdidisse, sed nescire: quod tamen ille quasi divinus indicat. Potest tamen etiam scire, sed levius damnum maioris contemplatione contemnere.

13. *Mincius.* Fluvius. Intelligamus Venetiam, quae est haud longe a Mincio, cuius est delicias commemoraturus. Alii dicunt loca ipsa *prata iuvenci* appellari.

14. *Neque ego Alcippen nec Phyllida habebam.* Has duas intelligamus amicas esse cantantium. Nam hoc dicit: nec Alcippen habebam, ut ille: nec Phyllida, ut alter, aut, ut plerique putant, nomen villicae.

16. *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.* Figurate loquutus est, magnum certamen, ille cum illo: ac si dicas, magna contentio est cum Cicerone Virgilius; et videtur nominativum pro genitivo posuisse, nam *Corydonis* facit.

prospectus describitur. *W.* — 10. *Et si quid cessare potes*, si cessare paululum potes ab labore, in quem natura te, mens, animus semper inclinat. *C.* — 12. Mincius enim non longe a Mantua lacum efficit, et palustres ripas habet; cf. Ecl. I, 49, 52 et Notas; — *sacra quercus*, respectu quercus Dodonaeae; *habitae Graiis oracula quercus* Ge. II, 16, cf. 24. Ornamenta petita ex Theocr. I, 105, 107, conf. Ecl. I, 54 sqq. 14. Curae domesticae urgebant, at duo praeclari pastores cantu certabant. — *Depulsos a lacte agnos*, h. a matribus; vid. Ecl. I, 22; III, 82: itaque infirmos et curae diligentioris egentes. — *Et certamen erat*, h. e. certantes, qui contendebant inter se, ut Aen. V, 339, *tertia palma Diores*, victor. — 19. *alternos Musae meminisse volebant.* Si haec vera lectio, nec versus ab aliena manu est, in hunc modum exponenda haec est: Musae, *quae amant alterna*, Ecl. III, 59; hanc legem carminis dicebant, ut alternos versus meminissent seu recitarent, h. e. ut versibus alternis canerent. *H.* Vt infinitivus *contendere* habeat, ex quo pendeat, varbum, quale est *coe-*

Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

CORYDON

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS

Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;

25. *Pastores nascentem poëtam.* Verecunde loquutus est, non iam Poëtam dicens, sed nascentem. Sane hoc loco carmen exprimitur Amoebaeum. Nam quum Corydon petiisset, ut esset Codri similis: hic se adeo Codrum superare dicit, ut se in eius invidiam possit movere. Hedera autem corouantur Poëtae, quasi Libero consecrati, quia ut Bacchae insaniunt (Sic Horatius: *Vt male sanis adscripsit Satyris, Faunisque, Poëtas*), vel quod semper virent hederae, sicut carmina aeternitatem merentur.

26. *Rumpantur ut ilia Codro.* Extremae indignationis causa, rumpi dicuntur ilia. Cic. in Vatin. c. 4: *Vt aliquando ista ilia, quae sunt inflata, rumpantur.* Facetissima est comparatio apud Horatium Sat. II, 3, et Martialem Epigr. X, 69, stulti Otacilii, cum rana, quae quum bovi invideret magnitudinem, rumpebatur. Sic Codrus invidia laborans ilia dicitur ducere, quum spiritus anhelantem et auspirantem deficit. *Lem.*

pere, h. l. necessarium est; itaque versus 19 abesse nequit. In sensus bonitate nil desiderabis, modo usum verbi *meminisse*, e graeco ductum, teneas. *Meminisse rem* est eam respicere, curare, aggredi, tractare. Hom. Od. γ, 141: ἔνθ' ἤτοι Μενέλαος ἀνώγει πάντας Ἀχαιοὺς νόστου μιμνήσκεσθαι ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης. — 20. *Hos-illos;* primas egit Corydon, Thyrsis secundas. *C.*

21. *Libethrus* fons Boeotiae cum antro in Helicone, ubi coluntur Musae: a Libethro poëta, qui primus harmoniam tradidit, et arcem Musis consecravit. *L.* Strabo IX, p. 629 A, τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον. Musae inter Nymphas referri aliis visae sunt; at deae loci, Nymphae, a pastore pro Musis invocari poterant, vid. X, 1. *H.* — 22. *Codrus* nomen pastoris iam sup. Ecl. V, 11. — 23. *aut si non p. o.* versus facere proximos (ita explico neutrum *proxima*, absolute positum) eius versibus, pro, si eum aequare carmine non licet; *proximus* h. l. dignitate et praestantia; cf. Obss. ad Tibull. III, 5, 3. — *sacra*, Cybelae. Ovid. Met. X, 103, 4; aut aequare Codrum vult pastor aut omne cantus studium abiicere. Tum Thyrsis iactanter, superare se Codrum, pronuntiat, vel cum eius invidia.

25. *crescentem poëtam.* De se loqui Thyrsin puta. Obtrectat scilicet lau-

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem,
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota

30. *Ramosa cornua.* Vt, *cornibus arboreis.* Plin. XI, 37: *Spargit cornua in ramos, ut cervorum.* Phaed. I, 13: *Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.* Superbiunt enim cornibus, quibus amissis, invia petunt, et latent, velut inermes. — *Vivacis cervi.* Vt enim Plinius dicit in naturali historia: Quum se cervi gravatos aetate cognoverint esse, serpentes requirunt, et eos flatu ad se tractos, quum comederint, iuvenescunt et revertuntur rursus in actum priorem; diu enim vivere dicuntur.

31. *Si proprium hoc fuerit.* Quod supra petierat, scilicet, ut talia carmina faceret, qualia Codrus effecerat. Proprinm sane veteres perpetuum, stabile, firmum. Terentius: *Ego deorum vitam ea propter sempiternam esse arbitror, quod eorum voluptates propriae sunt*, id est firmae et perpetuae. *Si proprium*, alii hunc Myconem alieni pecoris custodem volunt, et sic dicere; interim hoc tibi caput Delia dedico: si proprium hoc meum pecus fuerit, plus dabo, id est simulacrum faciam.

dibus Codri. — 27. *ultra placitum*, plus, quam ipsi placet h. videtur; immodice et praeter veritatem me laudaverit Codrus. Est autem fascini genus notum, ut immodica laude efferantur ea, quibus quis invideat. — De *baccare* vid. ad Ecl. IV, 19. *H.* Nomen *vates* venerandum esse, et superare nomen *poëta*, et hic locus, quo *vatem futurum* se iactat Thyrsis, nomine autem *poëtae* se nunc iam dignatur, demonstrat, et H. Vossius ad IX, 32, 34, recte notavit. *W.*

30. Mirantur, quod de alieno pastore agat Corydon. Sed fert carminis amoebaei ratio, ut etiam aliorum facta ac dicta exponantur; conf. Ecl. III, 90, 91, 96-99. Sequitur autem epigrammatis genus, seu votum a pastore Micone Dianae factum, cui similia sunt in Anthologia Graeca. Supplendum vero: Micon tibi *dicat*, quod, te propitia, feliciter venatus est. *H.* Epigrammatum est, plura etiam omitti; vid. Arrian. I, 16 f. *W.* — *si proprium hoc fuerit* incertam habet interpretationem, quia ex verbis non diserte apparet, quid sit illud, quod per *hoc* designetur. Quum dicentur spolia ferae ex felici venatione, illud *hoc* antecedentibus annexum ad *felicem venatum* referas, qui prioribus versibus significatur, atque illa verba Miconi tributa interpreteris: si tam felici venatu perpetuo uti contigerit. Idque optimum mihi videtur. *H.* Nec rara sunt loca, in quibus pronomina ad rem referuntur, quam in prioribus magis significavit, quam elocutus est scriptor. *W.* *Proprium* aliquid dicitur, quod est perpetuum, usu et fructu certum et stabile, ut inf. Aen. VI, 772, *propria haec si dona fuissent.* Alii apud Ser-

Quum primum pasti repetent praesepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

THYRSIS

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, proiecta vilior alga,
Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

CORYDON

Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,

41. *Sardois herbis.* In Sardinia enim nascitur quaedam herba, ut Sallustius dicit, apiastri similis: quae herba comesa hominum rictus dolore contrahit, et quasi ridentes interimit. Vnde vulgo σαρδίνιος γέλως.

39 sq. Sic sup. vs. 26, *Arcades* pastor memorat, qui inter Mantuanos vivebat. Quamquam hoc ipso minor carminis suavitas esse debet, quod in vera vita istae fabulae minus iucundae sunt. De *Hybla* cf. Ecl. I, 55, *hedera alba* v. ad Ecl. III, 39.

41—43. Cum asseveratione Thyrsis amoris sui impatientiam declarat. Per *Sardoas herbas*, batrachii s. ranunculi genus intellige, cuius magnus in Sardinia erat proventus; vis eius caustica, ut, si cruda folia cuti imponantur, pustulas, ut ignis faciant, Plin. XXV, 13; succus autem potus insanire facit, et inter alias membrorum contractiones eos oris spasmos efficit, ut ridere videantur, hinc de risu Sardonio res notissima. — *amarior*, nam δριμύτατον appellat Dioscorides; et hinc amaror *mellis Sardoi*. — 42. *Ruscus* virgultum breve, acutis foliis et pungentibus; vid. *Serv.* h. l. et Ge. II, 413; *alga*, herba marina vario genere, quae tempestate in littus eiici solet, vid. ibid. —43. Quanta venustas in illo Theocr XII, 2, οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι! *H.* Ovid. Her. XI, 29: *Et nox erat annua nobis.* W. — 44. *si quis pudor*, increpat boves: pudeat vos pastos tam tarde domum procedere; et me ab amicae amplexu distinere. *H.* Formula interponi solita, si quem ad recte agendum incitandum esse putamus. Iuven. III, 154, *Exeat — si pudor est.* Ad totum versum cf. X, 77. *W.*

45—48. Corydon umbrae ac frigoris iucunditatem aestivo tempore, alter 49—52 hiemis lenimenta ex foco accenso praedicat. — *somno mollior herba*, ex Theocr. expressum Idyll. V, 51, εἴρια ὕπνω μαλακώτερα. Add. XV, 125. *mollis somnus*, sollemni epith. Ge. II, 470, non minus ac *mollis herba*; hinc comparatio ducta. Ceterum vs. 45—60 cum Theocrito certavit Idyll. VIII, 33 sqq. — 46. *arbutus*, v. ad Ecl. III, 82. *rara* vero *umbra*, aut ut ad naturam arboris humilis nec patentis admodum respi-

Solstitium pecori defendite; iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

THYRSIS

Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, et adsidua postes fuligine nigri:
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

CORYDON

Stant et iuniperi, et castaneae hirsutae;

47. *Iam venit aestas Torrida.* Iam venit, iam appropinquat: non enim dicit aestatem esse, quum adhuc turgere gemmarum palmites dicat. Et bene tarde froodere vites commemorat in Venetia, quae est provincia frigidior. *Torrida.* Calore sicca.

ciatur; aut ut de tempore verno cogites; aut ut *rara* tantum ad oroatum spectet, propter intervalla frondium, ut Ecl. V, 7. Dictum vero pro: *et arbute, quae tegis eos*, h. arbuti, quae tegitis fontes cum herba. — 47. *Solstitium pecori defendite*, h. e. solstitium aestivum; cf. not. ad G. I, 100, et id pro: calorem ac vim solis, aestivo solstitio, a pecore prohibete; pro vulgari: pecus a sole, adversus aestum defendite. Ex Graec. ἀμύνειν, ἀλάλκειν; cf. Horat. Od. I, 17, 3. Cic. Cat. mai. 53: *uva vestita pampinis nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores.* H. Persius I, 83, *pellere capiti pericula* similiter dixit. *W.* — Vs. 48, *turgere* ὀργᾷν; quod in Italia fit Maio appropinquante.

49. *taedae*, ligna, e picea seu pinu. Versus ex Theocr. XI, 51. — 50. *postes fuligine n.* utpote in paupere tugurio sine καπνοτόχη. — 51. Ex Theocr. IX, 12, 13, et 19, 20, 21. — 52. *numerum lupus*, ut numerato pecori parcat (numerus eum non deterret. *W.*) Ita nec torrens curat ripas, quin imbribus auctus exundet.

53. Iam supra monitum, in his carminibus, quae per alterna eduntur, siogulis tetrastichis singulas sententias memorari, inter se diversas et a variis rebus et locis petitas, uti h. l. seuteotiam prodit Corydon, cui nihil cum superioribus commune est. Pastoritia eoim imagine petita ex Theocr. VIII, 41—49, hoc tantum eloqui vult: esse quidem eius loci ac montis iucundissimam naturam, quum sit arboribus consitus iisque frugum plenis, at Alexidis discessu omnem istam rerum suavitatem tolli (cf. Ecl. V, 32 sqq.) Alioqui non posset post memoratam aestatem 45, et hiemem v. 49, nunc de auctumnali tempore agi vs. 53, 54, aut ab eodem pastore amor *Galateae* vs. 37, *Alexidis* vs. 55, et *Phyllidis* vs. 63, iactari. Maiore cum arte et suavitate Popius *Pastoral.* I, 68 sqq. *castaneae hirsutae* exteriori cortice seu echino; v. Calpurn. Ecl. II, 83. — 54. Vid. Theocr.

Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma;
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS

Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit;
Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.

CORYDON

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:

62. *Formosae Myrtus Veneri.* Myrtum ideo dicatam Veneri volunt; quia quum a mari exisset, latuit in myrto, ne nuda conspiceretur; vel quia fragilis est, ut amor inconstans; vel quia iucundi odoris, ut, *sic positas quoniam suaves miscetis odores.*

VII, 144. *H.* — *quaque* ex emendatione Gronovii ad Livium III, 22, 6 recepit Heynius, hoc ordine verborum: *poma sua sub quaque arbore.* H. Vossius lectionem codicum *quaeque* retinens *sua* monosyllabum esse posse ex Lucret. III, 1038, *sis* pro *suis* ostendit. Et iam summus Bentleius de metris Terentianis post. med. contendit, epicis Latinorum licuisse *meum, tuum, suum* contrahere; unde licentiam in comicos transisse. Et latinum esse credes *poma iacent sub arbore sua.* Itaque lectionem *quaeque* restituendam puto. — 55. *rident. Ridere* de rebus dicitur pulcris et venustis ad adspectum. Ovid. Met. XV, 204, *florumque coloribus almus ridet ager.* In Cir. 103, *Purpureis late ridentia litora conchis.* Ecl. IV, 20, *ridenti acantho.* W. — 57. *vitio aeris*, int. aestum et nimium calorem. — 58. *Liber p.* aret vinea; exsiccatae sunt nimio aestu vites, folia amiserunt. *Serv.* — 60. *Iupiter* de aëre, ut Ge. II, 325, ex mythis physicis, in quibus Iupiter et Iuno aërem superiorem et inferiorem designant; quod et ipsum vereor ut pastoris ingenio accommodatum sit. *H.* *Iupiter plurimus* dictum est, ut Ge. I, 187, *nux plurima*; Ge. II, 166, *Italia plurima.* W. — *Iupiter plurimus descendet.* Aër enim in pluvias solutus, irrigabit arva pluviis ad fertilitatem sufficientibus et necessariis. Inde *Iupiter pluvius.* Tibull. I, 7: — *Arida nec pluvio supplicet herba Iovi.* L.

61. *Populus Alcidae gratissima.* Quia ea velatus ab inferis rediit, quam Homerus ἀχερωΐδα dicit, ab Acheronte ad superos translata; qua corona usus duplici colore foliorum, geminos labores superorum inferorumque testatus est. Qui Herculi sacra faciebant, et heroës, multis per-

tempore animo meo Corydon nobilis ille et praeter omnes excellens cantu pastor habetur. Dure tamen quin fieri dicam, totumque versum habeam inertem, a meo sensu impetrare non possum. Sed fortasse a Virgilio profectus non est. Theocriteus, unde expressus, multo lenior, Idyll. VIII, 92, Κὴκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο. *H.* II. Vossius versum etiam bonum iudicavit. Sed quamquam *Corydon* praestantem poëtam significare potuit, acumen tamen repetitionis nominis in pastoritio certe carmine placere non potest. De locutione *esse alicui*, pro existimari ab aliquo, vid. Not. ad Tib. IV, 13, 4. *W.*

ECLOGA VIII. PHARMACEVTRIA.

ARGVMENTVM.

Duorum pastorum carmina, alterum ex Theocr. Idyll. III, alterum ex Idyll. II expressum, recitantur a poëta, tanquam qui ea audierit 1—5, 62 63. *In Damonis carmine* 17—61 *gravis dolor et aegritudo pastoris alicuius, cui Nisa, amata puella, Mopsum rivalem praetulerat, praeclare exponitur; in Alphesiboei carmine* 64 *ad fin. mulier Daphnin, amatorem suum, a quo se desertam esse putabat, incantationibus magicis ad se revocat. Habendi enim hi sunt lusus duorum pastorum, amores aliorum, non suos commemorantium. Vtrumque carmen per se sibi constat, neque ullo ea tenentur vinculo, nisi quod a pastoribus recitantur, qui inter se certasse videntur, si quidem proprie dixit Maro v.* 62 respon*derit. Artem et spiritum poëtae in neutro carmine desideres. Nam ipsa incantationis magicae descriptio non abhorrens ab hoc poëtices genere argumentum videri debet; recte enim et ex natura nostra, quum agrorum et silvarum solitudine mire affici animi nostri et ad religionem componi soleant, pastoribus proclivius et pronius in superstitiones et magicas rationes ingenium tribuitur.*

Inscripta vero est Ecloga Asinio Pollioni v. 6—13, *qui anno* 714 *in Illyricum exercitum ducebat, et tum sive pedestri itinere Istriam emetiebatur sive maris Illyrici oram legebat, ut ad Parthinos perveniret, qui versus Macedonicos fines non longe a Dyrrhachio sedes habuere. Ad extrema enim huius anni, quo Pollio consulatum gessit, referenda esse res videtur; nam sequenti anno VIII Kal. Nov. triumphum de Parthinis habuit Asinius.* H.

Huaci opinionem vid. in Vita Virg. a. 714.— *Commemoratio* lyncum *v.* 3, *quas in Italia nusquam fuisse testatur Plinius* 28, 8, *cum usu* tibiae, 21, *quam pastoribus Italicis usurpatam esse negant*, *fecit*, *ut H. Vossius rem in terra peregrina agi iudicaverit. Eam autem in iugis Pindi collocandam esse*, *idem et ex* ortu Oetaeo *Hesperi v.* 30, *quae verba proprie ab illo accipiuntur*, *et ex ritibus magicis*, *quippe quibus Thessalia famosa*, *coniecit*. W.

DAMON, ALPHESIBOEVS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus;
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.
Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,

1—4. Cantus praestantiam ita declarant poëtae, ut pecudes, feras, inanimata etiam illo moveri et delectari dicant, X, 8; Calpurn. II, 10, (*imm. herb.* Hor. Od. I, 15, 30, *graminis immemor*. W.) Flumina requierunt *mutata suos cursus*, graece pro mutato suo cursu; quamquam *requiescere* cum casu quarto nonnunquam iungi docent interpretes, ut in Cir. 233, *flumina requiescunt cursus*. Calpurn. Ecl. II, 15 ita expressit: *Et tenuere suos properantia flumina cursus*. — *Lyncas* vero in tali carmine, quod ad Siciliam pertinet, nolis esse memoratas.

6—13. Pollioni, a quo iussus erat vs. 11 carmen bucolicum condere, eclogam hanc inscribit Maro, pollicens carmen maius, quo eius laudes comprehendat; quae duplicis generis sunt, et rerum gestarum vs. 8, et operum poëticorum vs. 9, 10. Inceptam orationem deserit, interponens ἐνθουσιῶν illa: *en, erit unquam — tibi desinet*. Iunges: *Tu mihi — accipe carmina*. H. Interpunctionem post verba *Tu mihi*, Heynio improbatam, retinui, quum et sententia illa verba ad *accipe* referri postulet, et constructio *accipe mihi* graeco usu firmetur. Hom. Il. β, 186, δέξατό οἱ σκῆπτρον, *accepit ab illo*, cf. Hermannus in Comment. de metr. Pind. quae collegit p. 273. *W*. Abundat ex more *mihi*. In illis *seu — seu* color ductus ab invocatione deorum: quocumque in loco tu versaris, v. c. Theocr. I, 123, 4. *Timavus*. In Carnorum finibus, inter Aquileiam et Tergeste, qui tractus totus saxeus et scopulosus est, apud vicum S. Ioannis, non longe a castello Duino (Tywein), complures (modo septem, modo novem numerantur) ingentesque inter rupium antra aquarum fontes prosiliunt, qui

Sive oram Illyrici legis aequoris; — en erit umquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet; — adcipe iussis
Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum

9. *En erit.* Ecce iam aderit. Nam *en*, unum optantis est; ut, *en erit ille dies*; aliud confirmantis; ut, *en erit, ut liceat.*

11. *A te principium: tibi desinet.* Sic et Homerus, ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Horatius: *Prima dicite mihi, summa dicende camoena.*

12. *Atque hanc sine tempora circum inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Allegoricῶs dicit. Debet etiam carmen meum florere inter tuos plures triumphos. Nam victores Imperatores lauro, hedera coronantur poëtae. Verecuode autem ait *serpere*, hoc est humiliter procedere. Alii ideo lauri et hederae simul mentionem factam accipiunt, quoniam Apollo carminum deus; idem Liber pater putatur. Quidam, sicut dictum est, in Pollionem dictum trahunt; qui tunc Illyricum petebat espugnaturus Salonas, et inde ad orientem ad Antonium profecturus. Lauro autem triumphantes coronantur; hedera poëtae: Pollio et Imperator est et poëta. Cur tamen triumphantes lauro coronentur, haec ratio est: quoniam apud veteres a laude habuit nomen, nam laudum

post brevem cursum in unum flumen coëunt, quod, vix mille passuum viam emensum latum altumque uno ostio in mare exit. Hine *magnus Timavus.* Vid. Aen. I, 244. *superans* h. e. transcendis, Ge. III, 270. In bellum Asinium ire in argumento notatum. (Ex Ruaei, Pollionem redire statuentis, interpretatione, quam H. Vossius sequitur, *superas* significat navigando praeterveheris Istriam; cf. Aen. I, 244. Tum verba *oram legis* notant: seu longius abes. Nam e Parthinis redeunti primum ora Illyrici, deinde Istriae, ubi Timavus, legenda fuit; cf. Claud. VII, 119. Aen. I, 243, 244. *W.*). Verbis *oram legis* secundum litus navigationem esse factam ostenditur, neque aliter es Ionio mari in ioteriora Adriae navigationem institui posse, docuit Wood Ess. p. 54 sqq. cf. Aen. I, 244. — 10. *Sola Sophocleo....* tragoedias tuas, Sophocle dignas, sive Sophocleam gravitatem ac maiestatem exprimentes, ut IX, 35, *Vario et Cinna digna dicere.* Asinium Pollionem tragoedias composuisse, supra vidimus Ecl. III, 84 sq. *H.* — *Sola Sophocleo digna cothurno.* Ac si diceret, quamquam impar sit ingenium meum laudibus tuis: nam tuae laudes merentur exprimi Sophocleo tantum cothurno, id est, sublimi charactere, et gravi stylo, qualis tragoedias decet. *L.* — 11. *tibi desinet* carmen, Musa, in te desinet; laudes tuae perpetuum meorum carminum argumentum erunt; ita haec exponi malim; conf. Theocr. XVII, 1. — 12. Permitte, ut inter laudes tuas bellicas etiam hic ex poëtico encomio honos tibi accedat, neve Musam meam dedignare. Haec vero quam eleganter expressit poëta!

Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet: semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor:
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.

26. *Mopso Nisa datur.* Honesta turpissimo, pulcra deformi. — *Quid non speremus amantes. Speremus* pro *timeamus*; ut, *hunc ego si potui tantum sperare dolorem*; vel quid non speremus perversi accidere, quum hoc mihi acciderit? Difficile esse putamus, qui aliquid amamus, ut ea, quae amamus, assequi possimus.

27. *Iungentur iam gryphes equis.* Vtrum idem iugum subibunt? ut dicuntur iungi iumenta. An coitu iungentur? Gryphes autem genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus, postrema parte leones sunt, alis et facie aquilis similes, equis vehementer infesti, Apollini consecrati.

30. *Sparge marite nuces.* Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse

:is. — 20. *al'oquor*, incusandi eos causa.

21. Versus intercalaris ad imitationem Theocr. I, 64, II, 17 etc. factus. *Maenalios* intell. Arcadicos, pastoritios, quales a pastoribus cani soliti in monte Arcadiae, Maenalo; unde sqq. versus 22—24 subiicit. *H.* De *tibiae* usu vid. Arg. *W.* — 22. *loquentes*, idem quod *argutae*, vento sonorae; vid. Heins. cf. VII, 1, aut, quod cum Servio melius statuas, resonantes cantu; quia adiectum est: *semper pastorum ille audit amores.* 24. *non passus inertes* esse, sed iis ad canendum primus est usus, ut II, 32 docemur. *H.* Ne in pastore, cui certum est mori, versus 22—24, quibus adiectum *Maenalios* explicatur, prorsus displiceant, iis hunc mecum tribuas sensum: Maenalus infelices semper audit amores. *W.*

26. *datur*, nuptum (ut *traditur* usurparunt. *W.*); *quid non speremus amantes?* nihil non nunc exspectare licet. *Sperare*, cf. Aen. IV, 419 generali notione, ut ἐλπεσθαι Dicta haec cum indignatione et dolore videri possunt, ut illa vs. 30 etiam cum sarcasmo. — 27. *iungentur* amore. Color ductus ex Theocr. I, 132. — 28. *ad pocula*, ad potum.

29. *novas incide faces*, incisis lignis para taedas ad novam nuptam domum ducendam. Epitheton *novas* ornat simpliciter. *H.* — *tibi ducitur uxor*, id est, sub tuo nomine aliis ducitur: ut eam non ipsi, sed aliis servituram significet; scilicet eius corruptoribus. *L.* 30. *Sparge m. nuces*, qui anti-

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro, dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
Hirsutumque supercilium, promissaque barba;
Nec curare deum credis mortalia quemquam!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala,

rationem, ut Iovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Iuno. Nam nuces in tutela sunt Iovis. Vnde et iuglandes vocantur, quasi, *Iovis glandes*. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut, rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellae vox virginitatem deponentis, possit audiri. Modo tamen ideo dicit, *Sparge marite nuces*, ut eum culparet infamiae. Nam meritorii pueri, id est, catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi servitio, nuces spargebant, id est, ludum pueritiae: ut significarent, se puerilia cuncta iam spernere. Dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere, quod proiectae in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad reformandam optimum est: vel ideo a pueris aspergeudas nuces cum strepitu et convicio flagitari, ne quid nova nupta audiat adversum, quo dies nuptiarum dirimatur. Quidam putant quod haec esca ad incitandam Venerem faciat.

quus in nuptiis Romanorum mos erat, quem poëta ad vitam pastorum traduxit. Spargebantur autem nuces, nupta iam in domum et thalamum deducta, itaque nocte iam orta, quae tuam, inquit, in gratiam solito citius oritur; hoc enim est: *tibi d. Hesperus Oetam.* Catull. LXIV, 328. Haud dubie Graecus aliquis poëta primus hac formula proprie usus erat, qui aut in locis, Oetaeis montibus subiectis, vixit, aut rem in iis locis gestam, si recte coniicio, Pelei et Thetidis nuptias, narravit; inde hoc in sollemnem poëtarum usum versum est, et quidem promiscue, modo in ortu, modo in occasu solis ac diei, quum uterque ab Hespero vel Lucifero designari soleret, ut sidus illud ab Oeta in conspectum venire diceretur. Maroni praeivit Catull. 62, 7, *Oetaeos ostendit noctifer ignes.* Proprie loquitur chorus Thebanorum apud Senec. Herc. F. 133. (Et hoc loco proprie loqui Damonem statuit H. Voss. vid. Arg. *W.*) Porrigitur Oetaeorum montium iugum ab oriente versus occidentem; vid. Strab. IX, p. 655. Itaque in iis, qui illum tractum habitabant, fuere, quibus Veneris seu Hesperi stella, quoties post solis occasum in conspectum veniebat, ab Oetaeis montibus oriri videri potuit heliace; cf. Culic. 202.

32. *O digno c.* cum contemptu irrisio: nam non minus rusticum et multo se deformiorem esse eum innuit, cuius causa periura fieri illa sustinuerat; hoc vs. 35 a causa exprimit; cf. Theocr. XI, 31. *H.* *nec — quemquam*, nec periurii poenam a deis metuis. *W.* Superbia tua damnata est turpi marito, dum credis nullum deorum curare mortalia. *L.*

37. *roscida mala*, rore matutino adspersa, δροσόεντα. *saepibus in n.*

(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem;
Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus;
Iam fragilis poteram a terra contingere ramos.
Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis, edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Conmaculare manus: crudelis tu quoque, mater.

39. *Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus.* Id est, *tertius decimus.* Alter enim de duobus dicimus. Et vult significare iam se vicinum fuisse pubertati, quod de duodecimo anno procedere non potest. Bene cum annis iungit habitum corporis. Nam et in iure pubertas ex utroque colligitur.

47. *Saevus amor docuit natorum sanguine matrem, etc.* Quasi novam artem insinuavit et infudit, et fabulam, omnibus notam, per transitum tetigit. Quis enim ignorat Medeam ab Iasone contemptam suos filios peremisse?

h. in horto prope saepem. Adumbrata suavissima in toto hoc genere ῥῆσις ex Theocr. XI, 25—29. — 39. *Alter ab un.* h. duodecimus.

43. *Nunc scio*, sero scil. Ex Theocr. haec Idyll. III, 45 sq.; sed multo is modestius et ex imperiti pastoris persona decentius. *cotibus* pro cautibus. — *Tmaros* Epiri mons, sub quo Dodona, Strabo VII, p. 505: *Rhodope* Thraciae. — *Garamantes*, extremas, ut veteres credebant, Africae supra Getuliam partes incolens populus, saevus, quasi a consortio humanitatis remotus; quem a pastore iactari quis, quaeso, ferat? conf. Aen. IV, 365 sqq. — 45. *edunt*, pro ediderunt, genuerunt, ut in prosa oratione dicendum fuisset. *H.* Etiam poëtae. Et tamen sup. VI, 30, *mirantur* similiter posuit Maro; nec melius *vindicat* Aen. IV, 228. Sed vid. not. ad Tibull. II, 4, 55. *W.*

47. Haud dubie Medeam filios suos ex Iasone perfido marito mactantem respicit; cuius dum immane facinus ad Amorem refert, refugit simplicis pastoris animus horrore ad memoriam tanti sceleris; itaque ad corrigendum id, quod dixerat, subiicit: *crudelis tu quoque mater.* Etsi enim ad ultima mala impellere infelix amor possit, at tale tamen scelus nemo, nisi ipse immani ingenio sit, suscipiat. Quum tamen semel contra Amorem causam suscepisset, neque omnem propterea ab eo culpam removeri vellet, in dubitationem incidit, ita tamen, ut denique culpam utrique communem esse decernat. Haec ut recte, uti feci, defendi posse arbitror, ita tamquam praeclare dicta extolli nolim. Inest enim ieiuni et inepti lusus nescio quid; nec tollitur illud, si mater

Crudelis mater magis, an puer inprobus ille?
Inprobus ille puer; crudelis tu quoque, mater.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia versus.
Nunc et ovis ultro fugiat lupus; aurea durae
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricae;
Certent et cycnis ululae; sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter Delphinas Arion.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite silvae;
Praeceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.

56. *Delphinas. Nas* ideo brevis est, quia Graeca declinatio est, sicut *Arcadas accensos monitu.* Nam omnia Graeca nomina, quae nominativo plurali *Es* terminant, ut Arcades, Naiades, delphines, accusativum pluralem corripiunt.

58. *Omnia vel medium fiant mare.* Medium fiat, id est, ut nihil sit nisi mare, hoc est diluvium fiat medium: optat enim confusionem elementorum. — *Vivite silvae.* Valete, non enim bene optantis est, sed renuntiantis.

59. *Praeceps aërii specula, etc.* Quidam hoc ideo dictum putant, quod apud Leucaten soliti erant se praecipitare, qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant, quos amabant. Sic et in Ciri v. 301, et Aen. IV, 586.

Venus sit. — *Improbus* vero nil aliud, quam *crudelis, saevus* Aen. II, 80; X, 727, unde fere permutatur cum *impius*. cf. Anth. Lat. I, p. 358. *H.* In verbis *imp. ill. p.* repetes crudelis magis. *W.*

52—56 ex Theocr. I, 132—136. Nihil est praeter naturam factum, quod nunc non expectes. 53. *aurea mala*, v. ad III, 71. — 54. *myricae*. v. ad Ecl. IV, 2. *H. Pinguia* vide naturam succini ita Tacito descriptam Germ. cap. 45. — *sudent* ibid. *tura balsamaque sudantur*. — 55. *certent cycnis*, Graeca constructio verborum certandi, a Latinis recepta. Vid. Obss. Aeschyl. p. 164 sqq. Theocr. I, 136, σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο. *W.*

56. Orpheus in s. h. Tityrus, rudis cantu, nunc inter reliqua, quae contra rerum naturam fient, erit alter Orpheus et Arion. Poëtica exornatione adiecit utrique determinationem ab externa aliqua ratione: uti Ecl. VII, 68.

58. *medium mare*) *medium* interdum non ita definite, sed paullo pinguius dici, dudum docuere viri docti; ita est altum mare. Alioquin est quod in mediis terris est; nunc agitur de illuvie aquarum terras obruentium. —59. Respicere putatur ad scopulos Leucatae promontorii, Sapphus iactu nobiles. — *Specula* pro cacumine, ex σκοπιά. Expressit autem Theocr. Idyll. III, 25. — 60. *hoc munus*, int. carmen,

Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.
Haec Damon: vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEVS.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,
Verbenasque adole pinguis et mascula tura:
Coniugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus: nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel coelo possunt deducere Lunam;

quod cecinit, non mortem, quae non posset esse *munus*. Respexit ad Theocr. III, 27 et XXIII, 20, 21. *H.* Vossius *munus* laetitiam ex morte explicans, ut acerbe dictum ad Nisam refert. Assentior. *W.* 63. *non omnia p. o.* Alphesiboei carmen, tamquam doctius, recitandum ad Musas refert. Causam per proverbium reddit: se ei recitando non aeque ac superiori carmini parem esse: *Non omnia possumus omnes.* est autem hoc, quod sequitur, carmen ex Theocriti Pharmaceutria Idyll. II, adumbratum. Mulier aliqua venefica inducitur amatorem suum, a se abalienatum et in urbem ex agro profectum, magicis sacris ad se revocans. Loquitur vero cum Amaryllide, sacrorum horum administra.

64. Apparatum sacri magici curari iubet misera amans. Stat ara; affertur aqua lustralis, coronatur ara, verbena cum ture accenditur. —*molli*, quia lanea. cf. Ge. IV, 348; Theocr. Idyll. II, 2. —65. *Verbenasque*. Verbenae dicuntur virgulta quae semper virent iucundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. Nam ideo et pingues ait; quamvis hoc et de palma et de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt; omnia tamen haec a viriditate verbenae appellantur. *L.* —*Masculum tus* vocabant veteres optimum ac praestantissimum; idem *stagonias* appellatum, in guttae speciem rotundum: ut ex Dioscoride ac Plin. XII, 14 docent interpretes. —*adole* pro incende. Videtur *olere* ab initio notionem augendi habuisse, sed substitisse denique in uno rerum genere, quod incrementum habet continuum, seu quod continuatur, scilicet flammae in fomite nutritae; unde *adolere* est cremare; tum fumi et odoris ex cremata victimae carne vel ture, nude *olere* est odorem emittere. Nonnulla de his iam in Periz. ad Sanct. p. 757, occurrere video. Grammatici in explicando voc. *adolere* nugantur. *H.* Forcellinius tamen aliam explicationem praetulit. *W.* —66. *sanos avertere—sensus.* Servius, a sanitate mutare, pervertere. Scilicet dictum pro vulgari: *ad insaniam amoris* deflectere, ut animus aberret. Theocr. l. l. v. 3, Ὡς τὸν ἐμοὶ βαρὺν εὕντα φίλον καταθύσομαι ἄνδρα, *ut sacro facto incantem.* —*Coniux* simpl. amator, ut sup. 18; et sic Gr. ἀνήρ, ut Theocr.; *carmen* de magica formula.

69. De his teratologiis magicarum

Carminibus Circe socios mutavit Vlixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco; numero deus inpare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo; et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit

75. *Numero Deus impare gaudet.* Aut quemcumque superorum, iuxta Pythagoreos, qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo initium, et medium, et finis est: aut revera Hecaten dicit, cuius triplex potestas esse perhibetur: unde est, *Tria Virginis ora Dianae.* Quamvis omnium prope deorum potestas triplici signo ostendatur; ut Iovis trifidum fulmen; Neptuni tridens; Plutonis canis triceps: Apollo, idem Sol, idem Liber, vel quod omnia ternario numero continentur, ut Parcae, Furiae, Hercules etiam trinoctio conceptus. Musae ter ternae, novem; et septem chordae, septem planetae, septem dies nominibus deorum, septem stellae in Septemtrione, et multa his similia: impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest; par numerus mortalis, quia dividi potest; licet Varro dicat Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitum; ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari.

artium ad poëtas plurima, ut solent fere in his munifici esse, loca collegere interpretes; v. ad Horat. Epod. V et XVII; Lucan. VI, 420 etc.; Tibull. I, 2, 45 et h. l. Cerda aliique; itaque hic paucissimis defungi licebit. —71. *cantando* pro incantando, fascinando. —*frigidus* ex natura anguium dictum, et male alio trahitur. cf. supra III, 93. —*rumpitur*, disrumpitur. Etiam hoc memorari solitum fuisse, uno Ovidii loco docebimus Am. II, 1, 25: *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.* in quem sensum *rumpi* ut accipiamus, suadet sermonis ratio et usus.

73. Dum haec loquitur, maga imagunculam, Daphnidis incertum an mulieris, manu tenere eamque tribus filis, diversi quoque coloris, circumdare putanda est. *H.* H. Vossius novem licia, terna unius coloris, intelligit, secutus Cirin 371; sed hoc vereor ut Latinitas patiatur. *Terni* pro tres Aen. V, 560. *W.* —75. *deus* universe, quum proprie sit Hecate, cui magica sacra fiunt. —77. *ternos —colores*, tria fila diversi coloris, unumquodque suo nodo, nectit, praefata: sit Veneris hoc vinculum, se velle; scilicet ut ea vim habeant devinciendi amatoris animum. Iubet eam accelerare; cf. Theocr. II, 18, 19.

80. Duas Daphnidis imagines, alte-

Vno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragilis incende bitumine lauros;
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Talis amor Daphnin, qualis, quum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec serae meminit decedere nocti:

82. *Sparge molam.* Far et salem. Hoc nomen de sacris tractum est; far enim pium, id est, mola casta, salsa (utrumque enim idem significat): ita fit: virgines Vestales tres maxime ex nonis Maiis ad pridie Idus Maias, alternis diebus spicas adoreas in cornibus messuariis (l. cornibus messoriis) ponunt; easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt; Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adiecto sale cocto, et sale duro. Igitur quod id sacris mola casta dicitur, ideo Virgilius in quinto Aeneidis *farre pio* enuntiavit: quid enim est pium? nisi castum, quoniam piare est propitiare, quod accidere non potest nisi caste inservitum erit rebus sacris. Hic autem dicendo *asperge molam*, rem ipsam proprio nomine memoravit, unde in secundo Aeneidis, *et salsae fruges*, et in quarto, *ipsam molam.*

ram e limo, e cera alteram, igni admoveri puta. cf. Theocr. II, 28. — *sic nostro D. a.* scil. liquescat molliaturque in amorem mei, obdurescat vero et obfirmetur animo ad constantiam amoris. — 82. *molam*, far et salem, ut etiam Theocr. v. 18 et 21; pro sulfure *bitumine* illitas lauros memorat. *H.* Bituminis usus erat in sacris, quae incantamenti aut expiationis causa diis inferis fiebant. Apud Claudianum de VI cons. Honor. 324, *lumen* (facis lustralis) odorem *sulfure caeruleo nigroque bitumine fumat.* Haec Forcellinius. Bitumine illitas fuisse lauros, verbis Maronis non inest. *W.* — *fragiles* Lucretii VI, 111 auctoritate a sono ex fragore explicant *crepitantes in flamma*, quod ominis loco in hac arbore observabatur. Theocr. l. l. v. 24; cf. Tibull. II, 5, 81, 83. — *in Daphnide*, ἐπὶ Δάφνιδι, in Daphnidem, quod in Daphnidem vertat, ut is eodem modo flamma amoris consumatur; vide Theocr. l. l. v. 23 sq.: Horat. Epod. V, 81. Scilicet magicae hae rationes fere symbolicae sunt, quarum congruentiam et similitudinem physicum aliquem effectum habere, stultitia hominum credidit. *H.* H. Vossius proprie posita statuit verba *in Daphnide*; laurum in imaguncula cerea Daphnidis esse repositam. *W.*

85. Optat ut Daphnis amet aliquam eo modo, quo bucula etc. — 88. *nec serae—decedere nocti* quasi ab ea cedere iussa; elegantius ad poëticam rationem, quam *sera nocte redire.* Locus omnino pulcherrimus, in quo Varium expressit noster, ut Macrob. docet Sat. VI, c. 2. Simillima haec sa-

Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit
Pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando: debent haec pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris: nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris,
Atque satas alio vidi traducere messis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput iace; nec respexeris: his ego Daphnin

102. *Ne respexeris.* Nolunt enim se videri numina, nisi ex necessitate nimia. Vnde pro miraculo dictum est, Aen. II, v. 591, *Alma parens, confessa deam.* Quod non faceret, nisi in periculo filii.

cris magicis Aen. IV, 498 sqq. 93. *debent haec pignora D.* exspectat hoc a defossis sub limine vestibus, ut ad eas Daphnis vel invitus retrahatur. Variavit Theocriteam rationem l. l. v. 53, 54. 59, 60. *Liminis* autem sollennis mentio in poëtica oratione, quum aut admittuntur aut admitti cupiunt, aut excluduntur amantes. — 95. Lecta in *Ponto*, quae terra pro Colchide usurpatur (cf. Iuv. XIV, 104. *W.*), venena commendantur, quia Medea iis usa erat. *H.* Comprobat venenorum effectum, ut Tibullus I, 2, 45, magae peritiam. Ad v. 98 cf. Tib. I, 2, 47; ad 99, Tib. I, 8, 19. *W.*

97. *His ego saepe lupum fieri.* Est enim opinio quosdam homines, artibus quibusdam in lupos mutari. De fabula luporum in homines conversorum, Plin. VIII, 22. Lycanthropia vero est morbus melancholicus, quo qui afficiuntur λυκάνθρωποι dicuntur: lupos enim imitantur, in quos se conversos putant: noctu exsilientes, et ad diem usque inter sepulcra diversantes: eorum praepallet facies, sitibundi, etc. *Rhodig.*

101. Novum et fortissimum post cetera incantationis genus adgredi videtur, ut cinerem ex ara in aquam fluentem pone caput iaciat: quod partim cum expiationis, fluminis aqua viva fieri solitae, ritu, partim cum eo more coniunctum esse puto, quo diis inferis aliquid devovetur; conf. Theocrit. XXIV, 91—94. *H.* Conf. Claud. de VI cons. Honor. 329. — *rivo* in rivum. Vid. Aen. X, 683. *iacere se fluctibus.* Ita *coniicere* construitur. *W.* — 102. *transque caput*, capite averso; iterumque praeceptum incul-

Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Adspice: conripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est; et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi omnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

103. *Nihil ille deos, nil carmina curat.* Satis est, quod putat artem magicam nil valere. Quidam sic intelligunt, quamvis ille haec omnia contemnat.

107. *Nescio quid certe est.* Hoc non iungendum superiori, est enim aliud prodigium. — *In limine latrat.* In loco ubi amati vestes obruerat; canis enim latratus prae gaudio, domini demonstrat adventum.

catur, *ne respexeris.* L. — 103. *nihil ille deos*, qui interim cantandum vocati erant. Quaodoquidem omni magico ritu nihil adhuc effeci, experiar novissimum. Sed ecce v. 105 priorum effectum animadvertit.

105. Non necesse haec ex alia quam veneficae persona dici. Ipsa simul cum ministra admovere cineri manus poterat. — *Cinis corripuit tremulis flammis*, h. flammae ex cinere moto corripuere aram, exarsere; res ominosa, ut nolum. — 107. *Nescio q. est* certe aliquid; evenit, quod veneficio efficere volui.

ECLOGA IX. MOERIS.

ARGVMENTVM.

Ad urbem Mantuam haedulos deportanti Moeri, villico senio iam fracto, (*qui homines et ipsi servi erant, v. sup. ad Ecl.* I, 28; *cf. Cic. Verr. III,* 50, §. 119) *adiungit se in itinere Lycidas carminum studio flagrans pastor; a quo causam viae rogatus Moeris calamitates suas, dominique Menalcae iniurias ac pericula inter eundum, id quod aliquantum iucunditatis habet, commemorat; quumque sermo ad Menalcae carmina deductus esset, v.* 17, *recitat uterque nonnulla ex iis fragmenta ac loca, partim ex Theocrito versa, uti tota carminis forma ex eius Idyllio septimo ducta est; partim ad temporum conditionem v.* 27 *et* 46 *sqq. accommodate a Menalca composita. Quo consilio carmen conscriptum sit, Maronisque sub Menalcae nomine, ut supr. V,* 85, *fortunam et calamitatem in eo adumbratam esse, ex ipso satis manifestum fit. Virgilius, quum anno V. C.* 713, *agri Mantuani a veteranis, quibus Cremonenses non sufficerent, occuparentur, agellum suum beneficio Octaviani, pro quo ecloga prima gratiam retulit, primo quidem obtinuerat, illiusque incolumitatem fore perpetuam vicini crediderant;* 7—10. *Sed non ita multo post a militibus illis, Octaviani etiam iussa spernentibus, inscio patrono, possessionibus suis non sine magno vitae periculo eiectus est;* 2—4, 16. *H. — Sua igitur ut recuperaret, composuit hanc eclogam Maro; atque conditionem indignam poëtae praestantis, dum promissis confidit, miserrime bonis suis privati praeclare expressit. Haec si ponas, et cur maxima pars eclogae* 19—50 *in laudibus praestantiae poëseos Menalcae versetur, et cur Octaviano ille Caesarem inter deos beneficos referendo aduletur, v.* 47, *et Vari etiam gratiam quaerat, v.* 27, *sponte patebit. Iam animum mihi adverte ad urbanitatem Maronis, de certis Octaviani promissis, quamquam spe firma mox sua recuperandi nititur v.* 55—67, *nil memorantis, nec veteranos vehementer incusantis v.* 12, *et speciem prae se ferentis, se pro agro toto Mantuanorum restituendo laborare, v.* 27. W. — *Alia apud Servium narrata incerta fide nituntur. — Scriptum hoc carmen eo anno, quo agri Mantuani et Cremonenses a veteranis occupati sunt, paulo post primam eclogam.* (*Si verum est, eclogam primam*

auctumno anni 713 esse conscriptam, hanc, quum de aestate agatur, v. 60, in vernum anni 714 referri cum H. Vossio velimus. W.) *Carmen spiritum Virgilii et dignitatem epicam prodit, etsi in summa argumenti equidem non multum ingenii agnoscam.*

LYCIDAS, MOERIS.

LYCIDAS

Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

MOERIS

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus haedos.

1. *Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem.* Haec Ecloga dramatico charactere scripta est. Inducuntur enim duo pastores coëuntes in agro Mantuano: et haec Ecloga continuum, ut Servius dicit, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit. Sane hoc continet: Virgilius postquam pene occisus est ab Ario centurione, Romam revertens, mandavit procuratoribus suis ut agros suos tuerentur, et ad praesens obsequerentur Ario. Ergo modo Moeris procurator eius, secundum praeceptum patroni, portat hoedos Mantuam, quos Ario offerat. Sequitur alter pastor, et eum, quo pergat, interrogat: ille deflet suas miserias; et hinc iam variae praestatur occasio cantilenae. *Taub.*

6. *Illi.* Ario centurioni. — *Quod nec bene vertat.* Quae res in perniciem vertatur eius; id est, malo omine hoc munus accipiat. Tractum autem hoc est ab Hectore et Aiace. Nam Hector dedit Aiaci gladium, quo se Aiax postea interemit. Hector vero baltheum accepit ab Aiace, quo circum patriae muros tractus est. Postea inde et illud comicum natum est, *Dii bene vortant, quod agas.* Plerumque enim bona in peius, mala mutantur in melius.

1. Forma ducta ex Theocr. VII, 21 sq. *ᾆ πόδες ἄγον*, Theocr. XIV, 42; *pedes* sc. ducunt. 2, *vivi pervenimus* sc. eo, ut possessor advena agelli nostri diceret; sed ellipsis dura. *H. nostri*, ut servi loquuntur; cf. 12 et I, 8. Sic *tua* v. 30 accipe. —4. *coloni*. Virgilium intelligi, docet v. 16. *W.* —5. *victi*, oppressi, afflicti, quibus id, quod victis solet, contigit, ut fundos amitterent. —*quod nec bene vertat*, quae res in eius perniciem vertatur. (Interposita haec, ut apud Ter. Ad. II, 2, 17: *quae res tibi vortat male. W.*)

LYCIDAS

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique iugum demittere clivo,
Vsque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

MOERIS

Audieras; et fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacumque novas incidere litis
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS

Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca?

11. *Audieras; et fama fuit.* Benevolentiam quidem Augusti etiam fama vulgavit: sed eam belli Actiaci necessitas impedivit. — *Sed carmina tantum Nostra valent, Lycida, tela inter Martia.* Hoc etiam Cicero ait pro Milon. 10, *Silent enim leges inter arma.* Sensus tamen est: sed videlicet hoc tempore, id est in hoc bello, poëmata nostra non valde admittuntur. *Carmina* autem nonnulli, quibus sibi Pollionem intercessorem apud Augustum conciliaverat, accipiunt; quo fugato, rursus de praediis suis fuerat Virgilius expulsus.

— 7. Situm agri Virgiliani puta fuisse hunc, ut ille inde a collium clivo usque ad Mincium fl. et fagos pertineret. cf. Ecl. I, 47 sqq. — *subducere se* colles dicuntur, qui ex alto in planum deducuntur, decrescunt, iidem colles *demittunt iugum molli clivo*, quum dorsum collis molliter declive lenem ad planitiem descensum praebet; v. 9. *fracta* procella et vetustate.

13. *aquila veniente*, irruente. In animo habuit poëta Lucret. III, 751: *tremeretque per auras Aeris accipiter fugiens, veniente columba. Chaoniae* vero *columbae* solenni epitheto a Dodonaeo luco et oraculo per palumbes edito. Erat autem Dodona urbs Epiri, vetustissimis temporibus a Chaonibus habitata. cf. Strabo VII, p. 498 C. *H.* Octaviani iussa et voluntatem veterani feroces non satis curasse videntur. *W.* — 14. *quacunque* ratione, nisi augurio monitus fuissem, ut quovis modo iurgia cum veteranis in agros irrumpentibus praeciderem, capitis periculum una cum hero Menalca adiissem. — *cornix.* Cic. de div. I, 39, *cornix a sinistra facit ratum.*

18. *solatia r.*, carmina erepta. *H.* — *solatia* carmina Virgilii, quippe qui

Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret, aut viridi fontis induceret umbra?
Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras:
« Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;
« Et potum pastas age, Tityre; et inter agendum
« Occursare capro, cornu ferit ille, caveto? »

MOERIS

Immo haec, quae Varo nec dum perfecta canebat:
« Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
« Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!)

28. *Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae.* Bene ingemit Mantuanorum infelicitatem, quibus sola obfuit vicinitas Cremonensium. Nam Cassii, Bruti, et Antonii copias Cremonenses susceperant: quos etiam ipso bene

carmine quiuto agricolas consolatus sit, appellari notavit H. Vossius. — *Nymph.* Daphnin flentes. *W.* —25. *Spargeret—induceret*, h. caneret, ut spargeretur—ut induceretur; aut ut sparsa floribus esset terra, utque fontes arboribus consiti essent, uti Ecl. VI, 62. (Melius accipies *spargeret, induceret* pro: quis auctor esset carmine etc., si memineris iussa Mopsi V, 40, *spargite—inducite. W.*) Respicit autem Ecl. quintam, in primis v. 20 et 40, ubi vide. Vtrumque vero dici, et *fontibus inducere umbras*, et *fontes inducere umbris*, quum per se satis constat, tum docet Burm. ad h. l.

21. *Vel quae* scil. quis cancret ea, quae (talis, qualia) nuper, quum caneres, ex te non sentiente addidici, quando ad Amaryllida te conferebas. *Amaryll. del. n.* Aut communem utriusque amicam dicere voluit, aut meam amicam, quod posterius magis placet. *H.* H. Vossio Moeri canenti tribui quae cecinerit, placet. *W.* Tum subiicitur v. 23—25 breve carmen ex Theocr. III, 3—5 ad verbum conversum.

27—29. Aliud breve carmen. Aut quis haec caneret, quae etc. Nexus sententiarum hic esse videtur; si modo Mantua ab interitu servata fuerit, nomen tuum per totum agrum Mantuanum celebrabitur. Seusum posteriorum ita elocutus est, ut laudes Vari cantus amantissimis cycnis, quippe quibus Mincius abundaret, Ge. II, 198, 199, celebrandas traderet. Quod enim sensum humanum tangit, id cum omni rerum natura, animata et inanimata, poëtice communicatur. *De Varo* vid. ad Ecl. VI pr. Meritum eius aliquod fuisse apparet in agris Mantuanorum a veteranorum iniuriis vindicandis. *superet modo M.* h. incolumis et salva sit, agris redditis; quo facto, Virgilio quoque suae possessiones conservabantur. —28. *vae miserae n.* Scilicet quum Cremonensium, qui Cassii et Bruti partes secuti

« Cantantes sublime ferent ad sidera cycni. »

LYCIDAS

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos;
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:
Incipe, si quid habes. Et me fecere poëtam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores; sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna

excusat, dicens *miserae Cremonae;* quae etiam si vellet, minime tamen tantis copiis posset resistere. *Nimium* autem *vicina;* id est, usque ad periculum. Nam ortis bellis civilibus inter Antonium et Augustum, Augustus victor, Cremonensium agros, quia pro Antonio senserant, dedit militibus suis; qui quum non sufficissent, his addidit agros Mantuanos: non propter civium culpam, sed propter vicinitatem.

30. *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Taxus venenata arbor est, quae abundat in Corsica: haec autem insula graece Cyrne dicitur, a Cyrno Herculis filio. Vnde fecit hanc derivationem *Cyrneas taxos*, id est Corsicanas, quibus pastae apes, mella amarissima faciunt.

33. *Me quoque dicunt Vatem pastores.* Magna verecundia suum meritum extenuat. Nec enim ait, probant, sed dicunt: nec docti, sed pastores: quibus tamen ipse non credo.

35. *Vario videor.* Varius poëta fuit: de hoc Hor. I, Sat. 10, 44: *Varius ducit forte epos*, ut nemo. Item I, Od. 6: *Scriberis Vario fortis, et hostium Victor.* Nam Varus dux fuit, cui supra blanditur; qui nonnulla carmina scripsit. Nonnulli sane Alfenum Varum volunt; qui licet iurisconsultus et successor Servii Sulpicii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur; sed hoc, teste Horatio, falsum est, qui Varium poëtam laudat.

fuerant, agri ei militum numero, cui assignati erant, non sufficerent, proximi agri Mantuani additi sunt, licet ea urbs in Augusti partibus fuisset; vid. Vitam Virg. a. 713. *H.* Martiali VIII, 56, 7, hic locus observatus est *Iugera perdiderat miserae vicina Cremonae* (Virgilius). Ceterum usu temporis *canebat* et Lycidae illud Varo compositum carmen innotuisse docemur. *W.*

30. *Sic* nota obtestandi formula; cf. X, 4. Sensus est hic: sic apibus et gregibus tuis bene eveniat. *Incipe* canere, cf. V, 10. (Add. Iuv. IV, 34, *incipe, Calliope.* W.) *si quid habes*, quod memineris es Menalca auditum, cf. 38. — 33-36. Theocritea VII, 37—41 sua fecit. *H.* De discrimine vocum *poëta* et *vates* vid. Not. ad VII, 28; *digna* cf. VII, 22. *W.* — 35. Varius nobilis Thyestae, tragoediae, auctor. Donat. V. V. §. 53. — *Cinna* Smyrnam scripseral, carmen, quod decem annis elimavit; v. Catull. 95; cf. Martial. X, 21. — 36. Anserem aliquem eius temporis poëtam, de quo Ovid. Trist. II. 435; Prop. II, 34, 48, agit, et ad quem Cic.

Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

MOERIS

Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
« Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
Fundit humus flores; hic candida populus antro
Imminet, et lentae texunt umbracula vites.
Huc ades; insani feriant sine litora fluctus. »

LYCIDAS

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.

MOERIS

« Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce Dionaei processit Caesaris astrum;

44. Non satiatur Lycidas audiendo Moerin, imo inescatus dulcedine suavissimorum carminum, quae audivit, pergit hunc in modum: optima sunt quae recitasti; sed quid dicam, qualia illa sunt, quae te ego canentem, solum, audieram nocte quapiam serena, et innubi? memini certe rhythmos, et cantum, verba exciderunt. *Cerda.*

Phil. XIII, 5, respicere putatur, hic tacite vellicari, docet Servius. Sed *inter olores* non nisi *vero anseri* locus est, et expressisse nostrum Theocritea Idyll. VII, 47 probabilius fit; *arguti* sunt canori.

39. Ex Theocr. XI, 42—49, 63 sq. cf. V, 46 sq ductum; sed oratione variata. Nobile vero bucolici generis argumentum Polyphemus Galateae Nymphae amore captus; cf. Bion. Idyll. XV, 3, et fragm. XII, 3. Mosch. Idyll. III, 59. —40. *ver purpureum* pro pulcro, ut notum, a splendore purpurae petitum, non a colore. —42. Frondes vitium memorat, utpote in vere.

46. *antiquos* pro *antiquorum.* —46-50. Persuasio vulgi tum erat, stellam crinitam, quae inter ludos D. Iulio ab Augusto V. C. 711, a. C. 43 (secundum H. Vossium mense Iul.) habitos apparuerat, et quam a. 1680, iterum in hominum conspectum venisse Halleius aliique docti viri opinati sunt, animam Caesaris in caelum recepti esse; v. Sueton. Caes. c. 88. Plin. II, 23. Dion. XLV, 7. Sen. Q. Nat. VII, 17. Ea poëta ingeniose ita utitur, ut Caesarem inter deos ruris relatum esse fingat. cf. Ge. I, 26, 27, 42. Ceterum illam stellam in numis gemmisque conspici notum est. — 47. *Dionaei*, quod Caesar genus ab

Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes. »
Omnia fert aetas, animum quoque. Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles:
Nunc oblita mihi tot carmina. Vox quoque Moerin
Iam fugit ipsa: lupi Moerin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

LYCIDAS.

Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor; et omnes,

57. *Tibi silet aequor*. In tuam gratiam. Et hoc dicit: ut possis canere, cuncta siluerunt.

Iulo, isque ab Anchisa et Venere, ducere credebatur, mater autem Veneris *Dione*. *Iulium sidus* Horat. Od. I, 12, 47. — *processit*, orta est stella; cf. sup. Ecl. VI, 86. Eius vero stellae ortus bonum frugum proventum portendere et maturare fingitur. *H.* *duceret colorem*, in se duceret, acciperet, h. e. varia fieret. Idem apud Iuv. 2, 81. Similiter Ovidius dixit *trahere colorem*. W. — *Insere* cf. I, 74.

51. *Omnia fert aetas, animum quoque*. Memoria deficiente, puta Moerin subito obticuisse, nec, quod coeperat implere potuisse; itaque addit cum dolore: Omnia aufert, eripit, aetas, etiam animi vires, memoriam. Atqui saepe ego me, dum puer essem, memini totos dies aestivos cantando exigere; nunc tot carminum oblitus sum, ipsa etiam vox me deficit. —52. *condere soles* h. e. exigere dies usque ad solis occasum. De latinitate conf. Hor. Od. IV, 5, 29. *H.* — *oblita* passive; ut apud Val. Fl. I, 792, *oblitos dolores pati*.

54. *Lupi Moerim videre priores*. Hoc etiam Physici confirmant: quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Vnde etiam proverbium hoc natum est, *Lupus est in fabula*: quotiens supervenit ille de quo loquimur, et nobis sui praesentia amputat facultatem loquendi. Theocr. Idyll. XIV, 22: Οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες. Plin. VIII, 22: *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius: vocemque homini quem priores contemplentur, adimere ad praesens*. Tritum nimis est, quam ut Plautinum illud illustretur, Stich. IV, 1, 71, *Lupus est in sermone*. L.

56. *Caussando* u. causas et excusationes afferendo differs meum desiderium canentem te audiendi. Lucr. I, 399: *Quapropter, quamvis causando multa moreris, Esse in rebus inane tamen fateare necesse est*. — 57. *aequor*, int. lacum, in quem non longe a Mantua fl. Mincius diffunditur. *H.* *aequor* de flumine placido et tranquillo. Aen. VIII, 89, 96. *W.* — *Sterni*, στορεῖσθαι, καταστορεῖσθαι, (v. c. Theocr. VII, 57) de tranquillitate

Adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum
Incipit adparere Bianoris. Hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
Hic haedos depone: tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque, minus via laedat, eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

MOERIS.

Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

63. *Nox pluviam ne colligat ante, veremur*. Aër enim aut cum ortu Solis, aut cum occasu mutatur frequenter: quod Aeneide etiam saepius indicatur.

64. *Vsque eamus*. Iugiter eamus, sed *Cantantes*: ita enim minorem itineris sentiemus laborem.

65. *Cantantes ut eamus*. Cantando quomodo tempus fallatur, multis exemplis enarrat Ovid. Trist. IV, 1. — *Hoc te fasce levabo*. Si cantantes ierimus, hoedorum te onere ipse relevabo. Nam fascem ait onus: sic Ge. III, 347: *Iniusto sub fasce viam quum carpit*.

66. *Desine plura puer*. Ac si diceret, nimii desiderii es: desine plura dicere —. Blanda obiurgatio quum quis quasi puer ineptire videtur, et nimis acriter in re levi instat. — *Quod nunc instat, agamus*. Nos Centurionem placemus: nam cantare otiosorum est.

maris sollenne, ut et *silere*, σιγᾷν, ut Theocr. II, 38: Ηνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ'ἀῆται. — 58. *ventosi ceciderunt murmuris aurae*, in soluta oratione: murmur aurae vel aura cecidit. Pro hoc diceres: *aura murmurans*, idque exquisitius *aura murmuris*. H. De hoc exquisito genitivi usu vid. Not. ad IV, 24; *cadere* de vento Ge. I, 354. *W*. Ante oculos habebat Theocriti suavissimum versum: τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει ἄσυχα καλάζοντα Idyll. VI, 11, 12; cf. II, 38.

60. *Bianorem* eundem cum Ocno et conditorem Mantuae, h. l. et ad Aen. X, 198—200 Servius facit. Sed verius est, fuisse virum clarum, heroem Mantuanorum. Maro autem vestigia pressit Theocriti VII, 10, 12. — *stringere* simplic. est decerpere, amputare; cf. ad Ecl. I, 57; Ge. II, 368. — 62. *tamen veniemus*, etiamsi paullulum quiescentes dederimus operam cantilenae. — 63. *nox pluviam ne colligat ante*, quum vespera nubes in pluviam colligantur. — 64. Pressit vestigia Theocr. VII, 35, 36. — 65. *hoc fasce*, haedorum, quos portat, onere. — 67. *ipse* Menalcas.

ECLOGA X. GALLVS. (1)

ARGVMENTVM.

C. Cornelius Gallus, *de quo supra ad Ecl. VI, 72 actum, amicam Lycoridem habuit; quam etiam elegis celebravit, saepe a Propertio, Ovidio, Martiale, aliisque laudatis. Servius adeo ad v. 1 huius eclogae et Donatus Vita* §. 38 *libros eius quatuor fuisse* Amorum *memorant, sub nomine* Lycoridis *editos. Is a perfida amica desertus, magno dolore oppressus, in hoc carmine tanquam pastor aliquis in Arcadiae montibus ac silvis, sub antro aliquo proiectus, amores suos deflere fingitur. Obiurgat Virgilius Musas, quod solae non adfuerint Gallo, curis amoris confecto* 8—12; *quum tamen amoris et miserationis affectum testatae sint etiam res inanimatae, arbores et saxa* —15; *tum greges cum pastoribus* —20; *accesserint denique consolandi causa dei ipsi Apollo, Silvanus, Pan* —30. *Tum Gallus in questus erumpens sortem suam et infaustum amorem deplorat, querens quod sibi non fuerit conditio pastoris Arcadici, amore felici fruentis; a qua praesentem suam fortunam, ubi perdite amata Lycoris in terris longinquis alium foveat, tantopere recedere* — 50. *Inde subitum consilium pastoris more vivendi, fistula canendi et venandi* —60; *sed repente in tanto amoris aestu solatia inde nulla cernens, praesidia contra amoris vim prorsus non quaerere constituit* —69. *Accedit exordium cum epilogo,*

(1) Hic est Caius Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Aegypti praefectus, fuit eximius poëta: nam et Euphorionem (ut supra disimus) transtulit in latinum sermonem, et amorum suorum de Cytheride libros scripsit quatuor. Hic primum in amicis Augusti Caesaris fuit: postea quum venisset in suspicionem, quod contra eum coniuraret, occisus est. Fuit autem amicus Virgilii; adeo ut quartus Georgicorum a medio usque ad finem eius laudes teneret; quas postea iubente Augusto, in Aristaei fabulam commutavit. Hic autem Gallus amavit Cytheridem meretricem libertam Volumnii, quae, eo spreto, euntem Antonium ad Gallias est sequuta: propter quod dolorem Galli nunc videtur consulari Virgilius. Nec nos debet movere, quod quum mutaverit partem quarti Georgicorum, hanc eclogam sic reliquit. Nam licet consoletur in ea Gallum, tamen altius intuenti vituperatio est; nam et in Gallo impatientia turpis amoris ostenditur: et aperte hic Antonius carpitur inimicus Augusti, quem contra romanum morem, Cytheris est in castra comitata.

quibus singularem suam Galli amorem testatur Maro. Habet hoc carmen miram artem primum in eo, quod, ad maiorem Galli dignitatem, omnia non modo ad vitam pastoritiam, sed ad tempora heroica, in quibus permixti mortalibus dei vivebant, relata et ex sensibus et opinionibus istorum saeculorum adumbrata sunt; quare ferre debemus, si qua paullo altiore ac graviore spiritu hic dicta reperiamus: deinde vero, quod impotentis et spreti amoris aestus ille ac furor, in omnes partes animum rapiens, ipsum legentis animum commovere videtur; quamquam hac in parte Theocriti vestigiis institit, Idyll. I, unde, quae de Daphnide dicta sunt, in Gallum transtulit, ut multa tantum Latinis verbis reddiderit; in aliis autem cum eo certaverit. Vniverse vero a simplicitate et venustate pastoritii carminis et Theocritea suavitate in plerisque recessit.

Iam de Lycoride *addunt interpretes, Servio duce: fuisse eius verum nomen* Cytheridem, *et esse eandem cum Antonii amica illa, mima, ex Ciceronis Philipp. II, 24, 25; ad Att. X, 10 et 16; ad Div. IX, 26, cf. Plutarch. Vita Antonii p. 74 ed. Brian.; Plin VIII, 16, infami, cui, Volumnii Eutrapeli libertae, nomen verum fuit* Volumnia. *Quod quamquam de eo valde dubito, ut ferri potest, ita illud alterum, quod, de temporum ratione securi, contendunt ex Servio ad v. 1, eam propterea Gallum destituisse, quod Antonium in Gallias euntem secuta sit, quo v. 22 sqq. 46 sqq. referunt, fidem non habet. Nam Cytheris anno 710 ab Antonio iam dimissa erat, vid. Cic. Philipp. II, 28, § 69; haec autem ecloga ante annum 717, quo Antonius in Oriente fuit, scripta non est. Nam anno 717 ineunte, M. Agrippa L. Caninio Gallo Coss., ab Agrippa consule exercitus Romanus in Gallias ductus Rhenum transiit; quo referendi versus 46 47 23, vid. Vit. Virg. a. 717: ex quo exercitu militem aliquem sequi potuit Lycoris, dum Gallus sub Augusto ad Pompeianas classes ab Italiae litoribus arcendas in armis erat, aut in alia expeditione versabatur.* H.

Vt argumentum amor Galli insanabilis *naturam rei pastoritio carmine tractandae acciperet, alia detrahenda addendave, alia mutanda erant. Vnde illud fingitur, Gallum sub sola Arcadiae rupe iacentem de amore questum esse. Nam alioquin commemoratio montium, pastorum et deorum agrestium aliena esset 16—30; neque appareret, unde ipsi pastori Galli militantis amores innotuissent. Sed quam commode miles stipendia in*

Campania fortasse faciens in Arcadiam subito transferatur, vix perspicies, neque ex hac parte inventionem Maronis laudabis. W.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. Neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam;

1. *Extremum laborem.* Non quod mihi laboriosum est (nam scribere, apud poëtas ludus est; ut, *et ipsum Ludere quae vellem calamo permisit agresti*) sed rem tibi laboriosam, scilicet ut Nympha virginitate gaudens, praestes de amoribus cantilenam. Vnde et rogat dicens, *Concede.* Et verecunde pauca postulat, et eam adiurat etiam. Invocatio cum Propositione. Et *extremum laborem* vocat, ultimi carminis Bucolici poëma. Ita Hercules apud Propert. IV, IX, 17: *nostrae labor ultime clavae.* Postremum autem hoc Bucolicum fuit, scil. scriptione; sed tempore prius Bucolico quinto, in quo caedes Caesaris defletur. *L.*

1. *Arethusam*, Nympham Ortygiae in Sicilia, ut in carmine bucolico, pro Musa invocat; cf. Ecl. VII, 21. Quidni enim pastor Siculus, ut Pana aliosque deos agrestes, ita numina locorum invocet? Neque ideo Nymphae mutantur in Musas. Vid. Theocr. VII, 91; Mosch. III, 77. *H.* *Concede lab.* h. e. permitte ut in extremo hoc argumento elaborem, atque in eo me adiuves; cf. VII, 22, *concedite carmen.* W. — 2. *sed quae legat ipsa Lycoris*, scil. ut et erubescat de levitate sua ac perfidia, et tam bonum ac constantem amatorem indigne deseruisse eam poeniteat. — *Lycoris.* Pro Cytheris; licet enim poëtis alia nomina pro aliis ponere. De Galli amoribus hi versus increbuerant: « Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit. » Nobilis satis fuit meretrix. Ovid. de arte am. III, 537: « Vesper et Eoae novere Lycorida terrae. » *L.* — 4. Concede mihi extremum hunc laborem, sic accidat, quod optatissimum est, ut videlicet, labenti tibi subtus mare Doris amara non misceatur: ad signandum mare *Doridem* dixit, alludens ad Nympham Arethusam. Alius poëta diceret: o Arethusa, non se tibi mare salsum misceat: quanto melius; non se Doris misceat Arethusae, non Dea maris Nymphae Siciliae. *C.* — 4. *fluctus Sicanos*, maris Siculi, Ionii; unde *Doris amara* pro aqua salsa ac marina (saltem pro mari.) Doris enim Oceani filia, Nerei coniux. Nota est vel ex Moschi fragm. VII de fonte hoc Siciliae et eius cum Alpheo, flumine Elidis, intercursu fabula; vid. Ovid. Met. V, 494 sqq. cf. Aen. III, 694; ornavit Statius Silv. I, 2, 203 sqq.; Theb. I, 271; IV, 239, ubi

Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera adtondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.
  Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aonie Aganippe.

10. *Indigno.* Vel meretricio, vel magno. Nam et Ennius ait, *Indignas turres*, id est, magnas. Alii *indigno*, non quia Cytheris pulcra non fuerit, sed quia Gallus ab ea spretus sit.

nostrum expressit. — 6. *sollicitos amores*, qui animum sollicitum reddunt, cruciant; πολυκηδής, πολυμέριμνος; Theocr. X, 20, ὦ φρόντιστος Ἔρως.

7. *Simae.* Graecum est nomen: id est pressis naribus. Vnde et simias dicimus: quod epitheton Theocritus dat praecipue apibus, Vide Plin. XI, 37: *Et altior homini tantum, quem novi mores subdolae irrisioni dicavere, nasus. Non alii animalium nares eminent. Avibus, serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactum, sine naribus. Et hinc cognomina Simorum, Silonum.* L. — 8. *Non canimus surdis.* Posset quis obiicere: nemo te audiet, versus perdes, iactabis carmina inani studio silvis et montibus: solvit hoc: non, inquit, o Nympha, canimus surdis; silvae istae et nemora, amorem Galli miserantes respondent, reddunt omnia quae dicimus, Echo remittente voces. *C.* — 8. *respondent*, resonant, per echo. *H.* *Respondere* cum accusativo iungitur, ut ἀποαμείβομαί τι graece dicunt; vid. Westerh. ad Terent. Andr. V, 2, 8. *W.*

9 sqq. Queritur admirabundus, Naiades tunc non repertas neque in alienis, neque in propriis locis, ut Gallum solarentur amore indigno. *C.* — Solae Naïdes non affuistis Gallo moerenti. Ex Theocr. Id. I, 66 sqq. — 10. *indigno—amore*, quo dignus non erat; quum *meliore flamma*, ut Hor. Od. I, 27, 20 loquitur, dignus esset non obnoxius tam constans amator, ut a perfida et levi puella sperneretur. *H.* Ex codicibus antiquis alii *peribat* praeferunt, sed rationes eorum non sufficiunt. *W.* Parnassus, Pindus et Helicon memorantur fontium, qui in iis sunt, respectu, quos Naides frequentare putandae sunt. Non vero hic de Musis quaeritur. — 12. *Aonie Aganippe*, fons in Helicone, monte *Aoniae*, quo nomine Boeotia ab Aonibus, antiquis incolis, insignita est. Forma adiectivi *Aonie* pro Aonia graeca est. Apud Silium XIV, 515 versus similiter desinit: *Ortygie Arethusa*; cf. Ecl. II, 24. *H.* Ceterum versus certe 11, 12 sensu carere mihi videntur, nisi statuas *puellas Naides* esse pro Musis. *Puellae* appellantur Musae innuptae; sed ut Musae intelligantur, necesse est accedat adiectum, ut *Pierides* apud Iuv, IV, 35: *Narrate, puellae Pierides; prosit mihi vos dixisse puellas.* Ita h. l. accedit *Naides* h. e. fontes sacros colentes. Similis causa, cur *sorores Pierides* dixerint veteres, et *sorores Naides* vid. Culic. 18, *Pierii*

Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum, nostri nec poenitet illas;
Nec te poeniteat pecoris, divine poëta:
Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio; tardi venere bubulci;
Vvidus hiberna venit de glande Menalcas.

laticis decus - sorores Naides. A fontibus consecratis *Musae* et *Nymphae* vocatae sunt, sed, apud Latinos certe, adiecto, quo declararetur, Musas esse intelligendas, vid. VII, 21. Notatu dignum, quod ex Xantho (vid. Hist. Gr. fragm. ed. Creuzer p. 156) servatum est: Lydos Nymphas nomine Musarum appellasse. — 14, 15. Si *Maenalus* et *Lycaeus*, τὸ Λύκαιον, montes Arcadiae, Gallum defleverunt; necesse est in Arcadia tum fingi illum sola sub rupe iacentem; cui et reliqua accommodata. Ipse ibi, vs. 26 et 16, Gallo adfuit.

16. Dicit oves pabulo abstinuisse, et flentes stetisse circum Gallum, quem hortatur ne poeniteat ovium, et pecoris, et hoc duplici ratione: prior; nam neque oves poenitet flere amores Galli: quo loci illud *nostri* hanc habet significationem: non poenitet illas neque tui, neque mei; tui flentis tuos amores; mei canentis amores tuos. Posterior; nam Adonis, qui formosus, et carus Veneri, oves quoque pavit. *C.* — *nostri nec poenitet illas* proprie est, contentae sunt nobis pastoribus; tum cum vi dictum pro: gaudent nobis, cantibus nostris delectantur, et nunc etiam nobiscum lugere sortem nostram non dedignantur; nec tu aut curam eorum te indignam indica, aut in meo carmine sub pastoris persona exhiberi dedignare. Etiam Adonis pastoris munus ac nomen non detrectavit. *H. Poenitere* de iis, quae contemnimus. Cic. Acad. IV, 22: *Quid eum Musarchi poenitebat?* W. — 18. *Formosus Adonis*. Adonis διὰ τὸ κάλλος a Venere adamatus, post per apri ictum exstinctus. Filius fuit Myrrhae, quae gravida ex Cynara patre, eiusque vim fugiens in silva se abdidisse fertur; et mutata dicitur in arborem eius nominis. *L.*

19. *Venit et upilio*. Ad consolandum Gallum accessere etiam pastores; et primum quidem venere ovium custodes, tum *bubulci tardi* a lento et tardo ingressu boum, quos pascunt. — 20. *Vvidus h.* Venit etiam subulcus Menalcas; de quo, id quod maxime in subulcum convenit, addit: eum modo de nocte in silvis ad pastum gregis glandibus legendis vacasse. Hinc *uvidus* a rore matutino. — *hiberna glande*. In hiemem a poëtis Italis referri solet glandium colligendarum tempus v. Ge. I, 305. Sic arbutorum Ge. II, 520, ubi de hieme agitur. Lucret. V, 938: *quae nunc hiberno tempore cernis Arbuta*. Sed si hieme a glandibus colligendis Menalcas e silvis revertitur, illa, quae memorantur in hoc carmine, Gallum sub rupe iacere vs. 14, et ferulis florentibus ac liliis ornatum Silvanum

Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentis ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit; quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat.

22. *Galle, quid insanis.* Vult spem amoris desperatione sanare. — *Tua cura Lycoris.* Pene irrisorie dictum est *tua cura*, id est, pro qua tu ita sollicitus es, te relinquit. Et bene quum alii interrogent, quasi deus Apollo divinat.

venisse, huic tempori non congruunt. *H.* Hinc *hiberna* accipi video pro ea, quae per hiemem in silvis iacuit. At *hiberna pira* apud Plin. XVI, 26, huic interpretationi non favent. *W.* — *unde amor iste*, h. e. a qua puella; quam puellam amas? τίνος ὦ 'γαθὲ τόσσον ἔρασσαι; vs. 78.

21. *Apollo—Silvanus—Pan.* Comparari cum his possunt illa Moschi III, 26 sqq. — 24. *agresti capitis Silvanus honore*, ornatus serto e ferulis et liliis. Ita scilicet et a poëtis et in priscis monumentis Silvanus exhibetur, ut coronam ex frondibus arboreis aut grandibus floribus et arundinibus gerat, manu Ge. I, 20 cupressum aut alium arboris truncum teneat. Conf. Lucret. IV, 591, quem expressisse h. l. noster videtur; Pan *Pinea semiferi capitis velamina quassans.* Eximia cum venustate porro hoc idem transtulit Columella X, 43: *Satur auctumnus quassans sua tempora pomis.* Ceterum in his versibus color ductus esse videtur ab Odyss. ω, 58 sqq. *H.* *Venit agresti honore capitis* dicitur, ut Aen. IV, 11, *successit* (Aeneas) *forti pectore sedibus.* Durior est, ubi adiectivum deest, compositio apud Iuvenalem, XI, 106, *clipeo venientis et hasta dei* mentionem facientem; quam loco Valerii Fl. I, 438, *tu medios gladio bonus ire per hostes*, *Euryte* defendendam esse non putabis; quippe ubi *ire gladio* idem sit ac *ferro viam patefacere.* W. — *Ferula* autem frutex, foliis foeniculo, specie et usu arundinibus, quibus pro baculis utimur, similis; Graecorum νάρθηξ. — 27. *Ebulum*, herbae genus, baccas rubras, in similitudinem sambuci, producens. *Heyn.* — 27. *Minio.* Pan non solum dicitur habere faciem miniatam, sed cornua, apud Sil. Ital. lib. XIII. De minio sic Plin. XXXIII, 7: *Invenitur in argentariis metallis minium, et nunc inter pigmenta magnae auctoritatis, et quondam apud Romanos non solum maximae, sed etiam sacrae*; ubi plura. Non tantum miniata fuit Deorum facies, sed et tituli, et librorum inscriptiones minio pingebantur. Ovid. Trist. I, 1, 7: « Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. » *L.* — 28. *Ecquis erit modus?* Deest res, cui sit modus imponendus. Intellige *furori.* Sed illam rem non raro omissam vidimus. Aen. IV, 98: *Sed quis erit modus?* W.

Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.
Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec vestris, soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicumque furor (quid tum, si fuscus Amyntas?

36. *Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae.* Ac si diceret, quid mihi cum urbibus, ubi meretrices tam pulcrae sunt, quam perfidae? Vinitor autem, vel custos, vel cultor vinearum.

29. *Nec lacrimis c. Amor.* Amor χαιρέκακος; non modo dolorem et cruciatum miserorum amantium nil curat, sed etiam ridet, ἄγρια παίσδει, ut Moschus Idyll. I, 11, voluptatemque ex eo capit; nec lacrimis amantium crudelis eius animus unquam satiatur atque espletur, aut ad miserationem vertitur; cf. 61; id quod pastoritia rerum assimulatione ornat: Amor non magis saturatur lacrimis, ac gramen aqua etc. Color fere ut Ecl. VII, 51, 52: *Hic tantum boreae....*

31. Advenerant pastores, advenerant Dii; illi admirantes insolentem amorem Galli, isti obiurgantes: fingit igitur amoenissime poëta, Gallum veluti aversum a Diis increpatoribus, totum se ad pastores convertisse, quia isti non in se acerbi fuerant: ergo ait Gallus, o vos pastores Arcades, amores meos cantabitis in Maenalo, in Lycaeo, vestris montibus: cur his tantum amores suos canendos permittit? quia soli Arcades periti cantus. *C.* — 31. *tamen cantabitis A.* Etsi Amor talia nil curat, neque querelis meis quidquam praesidii contra eius superbiam inest; tamen ad leniendum dolorem meum ac levandum faciet, si cantabitis *haec*, h. e. amores meos infelices. *H.* Particula *at*, deorum adhortationibus dolorem eius nihil levatum esse, significatur. *W.* — 35. Ductus color ex Theocr. VII, 86 sq. At illud non placet, quod repente Gallus, quem pastorem in Arcadia versari credebamus, se prodit non pastorem esse; ita ut omnia de deis et pastoribus memorata aliena esse necesse sit ab eius persona. — 37. Fingit esse quod optaverat: nimirum unum e pastoribus Arcadum: hac supposita fictione narrat, quam amicam, quem amasium habiturus esset; qualiter cum illis vitam agitaturus. *C.* — 38. *Seu quicumque furor.* Quamcumque sive puellam sive puerum amarem, eum amplexibus tenerem sub vite, nec in amorem Lycoridis perfidae incidissem. Characterem autem miseri amantis hic expressum meminisse debemus, qui, quum ipsis querelis suis in imaginem rei gratae et animi affectum illudentis incidisset, in ea sibi placet,

Et nigrae violae sunt, et vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite iaceret;
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis

ei inhaeret, eam prosequitur. Mox tamen vs. 42 ad Lycoridem animo flagrante redit. *H.* Notabis constructionem *Phyllis* vel *Amyntas est mihi furor*, hoc est causa furoris, furioso amore a me amatur; conf. Obss. ad Tib. II, 3, 31. *W.* — 39. Cf. Ecl. II, 16 ex Theocr. X, 28, sed ibi venustius et opportuniore loco. *H.* — 38. *Seu quicunque furor*. Omnis enim amor plenus furoris est. — *Quid tum si fuscus Amyntas?* Quasi ei obiectum sit, quod Amyntas fuscus esset, sic respondit: Quid deinde si fuscus est? non ideo deformis; nam et violae et vaccinia, nigricantes flores, venusti habentur. Propert. II, xix, 77: »Vidisti pleno teneram candore puellam; Vidisti fusco: dulcis uterque color.« *Lem.* — 40. Ne *vitis* et *salices* coniunctae cogitarentur, Heynius coniecit *salices*, *lenta aut*, H. Vossius commate post *salices* distinguendum esse censuit. *W.* — 42. Redit ad insaniam, qui iam Phyllide, aut Amynta contentum se fore dixerat: nam hoc est amatorum ingenium: invitat itaque Lycorim a fontibus, qui gelidi: a pratis, quae mollia: a nemore, ubi, si cum ipsa sit, consenescat, nec mutet sedes ante mortem. *C.* — *Hic gel.* etc. Mutata suaviter constructio pro vulgari: hic in regione amoenissima cum amata, qualis Lycoris, exigerem *aevum* h. e. aetatem totam mihi destinatam. *W.* — 43. *aevo*, senectute, quod Tibull. III, 38: *Inque tuo caderet nostra senecta sinu.* Heyn. Add. Aen. X, 85, *confectus aevo.* W.

44. Ad Lycoridem haec spectant in castra amatorem secutam: *Nunc amor te detinet. Te* ex Hermannii coniectura repositum. Nam, lectione codicum *me* retenta, Gallus amore flagrans in aliqua versatur expeditione. Et vero cum Augusto ad Pompeianas classes ab Italia arcendas in armis esse potuit. At haec aliena sunt ab eo, qui in Arcadia inter pastores desidere fingitur. *H.* H. Vossius defendit lectionem *me*, monens, Gallum in Arcadia de amore queri, non vivere; conditionique optabili, de qua inde a versu 35 dixisset, praesentem suam opponere vs. 44. Nec verba *Nunc me detin.* cum superioribus 44 *illum—iacentem* pugnare putabis, modo recorderis, homines de conditione, in quam inciderint, quamquam *in praesentia* illam non sentientes, ita tamen loqui, ut *semper* in ea detentos. Adde quod verba *in armis* de milite proprie semper ponuntur. Num vero Lycoris ipsa militavit? Denique *insanus amor* Gallo furenti aptior; vs. 22, *Galle*, *quid insanis?* Itaque *me* restitui. Ceterum verbis *amor me in armis detinet*, diligenter examinatis et illud inesse videbis, castra, ut remedium amoris, sequutum esse Gallum. Nec hoc raro memoratur. *W.* De veritate lectionis *me* haud dubitabis, si ad oppositionem membrorum attendas, et verba sic

Tela inter media atque adversos detinet hostis:
Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum!)
Alpinas, ah dura! nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illae; crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,

48. *Me sine sola vides.* Hinc est, *Sola domo moeret vacua;* nam meretrix sola esse non potest. — *Ah te ne frigora laedant.* Inconstantem animum expressit, miserantem et optantem.

55. *Myxtis lustrabo Maenala Nymphis.* Υπαλλαγὴ, pro immixtus Nymphis; multis enim unus miscetur

iungas: *utinam unus ex vobis fuissem—iaceret—legeret—consumerer—Nunc amor detinet me — Tu* vero *procul a patria sola sine me vides alpinas nives* etc. *Typ.* — 45. *Tela inter media, atque adversos detinet hostis.* Ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est: ut *Me*, sit meum animum. Non ubi vivunt, sed ubi amant, amore insano qui conficiuntur, et vigilantes, et somniantes, agere dicuntur. De bac Servii sententia vide vol. I, p. 209 et 210, Not. et Var. Lect. *L.* — 46. *nec sit mihi credere*, h. utinam liceat mihi non credere! ne cogar credere *tantum*, tantam rem, tam atrocem. (Sunt qui *procul tantum*, ut ad spatium (Liv. 37, 39, *tantum* progressus) referatur, et hic et supr. VI, 16 iungant. *W.*) μὴ εἴη μοι πείθεσθαι; de forma v. ad Tibull. I, 6, 24. Ceterum in Servianis ad h. l. *Hi omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus.*

50. *Chalcidico versu*, h. Euphorionis Chalcide oriundi, sive Latine reddito, sive imitatione expresso; quod Probus firmat: « Euphorion.... cuius in scribendo *colorem* sequutus videtur Gallus » v. sup. ad Ecl. VI, 72. Iam ea carmina fistula canere h. e. inter pastores recitare constituit (vel colorem iis pastoritii carminis inducam. *W.*) Egregie autem misere cruciati et in omnes partes rapti animi inconstantia exprimitur. Nunc enim vs. 52 in solitudinem sese abdere constituit, mox venari; tum 62 omnia ista aspernatur. — 53. *Malle pati*, amores. *Pati* absolute positum pro durare malam fortunam ferendo et apud Lucan. V, 313, *disce sine armis posse pati*, aliosque. — 54. *crescent illae; crescetis amores*, hoc vero, si quid aliud, Virgiliana elegantia dignum. Compara Ovid. Epist. V, 23, 24.

55. *mixtis—Nymphis* ὑπαλλαγὴ pro

Aut acres venabor apros; non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tamquam haec sint nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat.
Iam neque Hamadryades rursum, nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsae rursum concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores,
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,

63. *Ipsae rursus concedite silvae.* Propter illud, *iam mihi per rupes videor, lucosque sonantis Ire.* Concedite vero hic, abite; supra aliter, *concede laborem.*

vulgari: permixtus Nymphis; conf. Bentl. ad Horat. Od. IV, 1, 22. *H.* *lustrabo*, peragrabo; cf. Horat. Od. III, 25, 11. Ad choreas cum Nymphis instituendas haec retulit H. Vossius. *W.* — *acres* autem proprie de apris; h. animosos, iracundos, θυμώδεις, θερμούς. — Parthenius, mons Arcadiae, memoratur, quia in Arcadia constitutus est Gallus a poëta. — 58. *lucosque sonantes*, resonantes sive a latratu canum ac clamore venantium, sive omnino quum vento silva agitatur; hoc quidem cum sermonis poëtarumque usu coniunctius. — *Cydonia* iacula a Cydonia, urbe Cretae, *Gnossia spicula* Aen. V, 306.

60. Iam vota sua damnat, ut contra furoris sui insaniam nil valitura, et tanquam Amor mala non finiturus sit misericordia. — *haec* a versu 49 memorata. *H.* — *deus ille*, Amor, vid. not. ad Tibull. III, 6, 13. *W.* — 61. *mitescere*, ad miserationem flecti atque dolores miseri amantis finire. *H.* Sequitur vs. 64 *illum mutare* h. e. misericordiam eius movere. *W.* — 64. *labores*, aerumnae et molestiae vitae pastoritiae, quas, quum amorem nil sit quod animo eximere possit, se vel extremis Septentrionalis Australisve regionis partibus incassum subiturum esse ait. — 65. *Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus.* Manifestius hoc dicit, amore se carere non posse: nec si Hebrum Thraciae fluvium mediis frigoribus bibat: nec si aestibus nimiis fuerit in ardenti provincia. Dicit autem hoc secundum Physicos, qui morbos, aut a contrariis, aut a similibus asserunt posse depelli. — *Bibamus.* Id est, apud Hebrum vivamus, sedes habeamus. Sic Virgilius Aeneidos septimo: *Qui Tybrim, Fabarimque bibunt.* L. — *Nec si f.* ex Theocr. VII, 111—114 adumbrata; cf. Horat. Od. I, 22 extr. *frigoribus mediis*, media hieme, χείματι μέσσῳ: Thraciam si adeam, cuius gens *Sithones.* — *subeamus*, duremus frigus Thraciae. Burm. de cadente in caput magna nivis vi et copia accipit. *H.* *Hebrumque—Sithoniasque.* In membris per voces *et—et*

Nec si, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori.
Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.
Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra,

68. *Versemus*. Pascamus, quoniam qui pascit, huc et illuc agit pecus; quod est versare, ut est in Aen. XII, 664: *tu currum deserto in gramine versas*; aut exerceamus et tractemus, ut in undec. Aen. 704: *Consilio versare dolos ingressus*; et item in sec. Aen. *Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.*

vel *nec—nec* copulatis, per particulas *que—que* partes minores unius membri iunguntur; vid. Tibull. I, 2, 47. Ludit in epitheto *aquosas*. *W*. — 68. *Aethiopum versemus oves*, pro inter Aethiopes, in Aethiopia; *versare* h. l. agere, pascere, ea πολεῖν, unde αἰπόλος, οἰοπόλος etc. — *liber* pars corticis interior; omnino pro cortice. — *sub sidere cancri*, sub tropico. *cedamus A.* consilio amorem sanandi vel levandi desistit Gallus. — 69. *Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori.* Cuivis enim facilius quam amori repugnatur. Amor suis legibus et Deos habet obnoxios, ut Ovid. Heroid. ep. IV, 12: »Quidquid Amor iussit, non est contemnere tutum: Regnat, et in dominos ius habet ille Deos.« *Domina Venus*, ut Petronius, nec regibus, nec principibus parcit. *L.*

70. De se iam poëta loquitur, ad Musas conversus: haec se lusisse pastoritio carmine vs. 71; petit vero ab iis, ut, quae ipse minima in Galli honorem fecerit, ipsae faciant, ut pro maximis Gallo sint, h. eam et gratiam et dignitatem habeant, quam carmina gravia. *H.* *dum sedet*, praesens interpositum pertinet ad *cecinisse*, ut Aen. X, 55—58. *W*. *Fiscella*, calathus in usum cogendi lactis; cf. Tibull. II, 3, 15. De *hibisco* v. sup. II, 30. — 73, 74. *Gallo, cuius amor*, cuius in dies magis amore teneor. — *viridis se subiicit alnus*, tenera crescit; cf. Ge. II, 19: est, ab iis, quae se attollunt, sursum erigunt, emicant, ductum; haec enim *se subiicere* dicuntur, Ge. IV, 385. Ab eadem re duxit imaginem famae Horat. Od. I, 12, 45: *Crescit, occulto velut arbor aevo, Fama Marcelli.*

75. *gravis—umbra*, nociva: physicis de causis, ut rheumatismos arcessat nimio calore solutis membris; cf. Lucret. VI, 783 sqq. *iuniperi* vero molestae exhalationes, in primis sub noctem. — 76. *nocent et frugibus umbrae*; cf. Ge. I, 121, 156, 57. — 77. *venit Hesperus*, in conspectum venit, sole occidente, oritur; conf. ad Ecl. VIII, 30; IX, 47; alias *surgit*, ut Horat. Carm. II, 9, 10: *Vespero surgente*, et *surgentibus astris* pro vesperi Ge. I, 440.

Iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

77. *Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.* Verecunde se capellarum dicit esse pastorem, id est, vilissimorum animalium; nam Bucolica scribens, debuit se dicere, boum esse pastorem: sed vitans arrogantiam, ultimum se voluit esse, non principem in scribendis Bucolicis: quamvis alii dicant, ideo eum etiam capellarum se memorasse pastorem, quod apud nonnullos de capris propter abundantiam lactis vel faetuum, maior fructus putetur; ut ipse ait, *Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.* Et item, *Quo minor est illis curae mortalis egestas.*

P. VIRGILII MARONIS BVCOLICON LIBER EXPLICITVS.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICA

PROOEMIVM

Ad Georgica *facetum* illud ac *molle*, quod peculiari aliquo Musarum munere Virgilio concessum esse, Horatius memorat [1], proprio quodam modo spectare videtur. Mollitudo quidem ex eo est, quod, quum exquisito aliquo et numerorum et orationis cultu omnia elaborata et expolita sint, nihil duri, scabri et horridi, quod in divino Lucretii carmine offendit, adspersum est, nihil, quod otiose vacet aut utilius absit. Nec modo verborum delectu et iunctura, verum etiam sententiarum veritate, lumine ac naturali facilique et apto nexu, ingenii artisque insignis felicitas, quae in Virgilio erat, effecit, ut leni ac facili cursu omnia deflucrent. Habent porro *decus* et *excultam* aliquam *elegantiam*, uti Quintilianus [2] istud *facetum* Horatii interpretatur; quum scilicet in argumento tam tenui et humili, quod ad rusticam orationis asperitatem tantopere non modo patebat, sed et deflectebat et inclinabat, omnia sint scite, honeste, et liberaliter tractata, ut politum, elegans et urbanum ingenium ubique facile agnoscas. Ad iuncturam enim verborum lenem ac mollem et numerorum artificium, totumque carminis nitorem, et ad cultissimae orationis verecundiam et venustatem referendum nobis esse videtur elogium illud, quod tam variis, incertis saepe et obscuris modis a viris doctis versatum esse videas. Magnificam autem et praeclaram esse illam Virgiliani carminis praedicationem, quis non videt? Est enim summa laus, quae in id carminis genus cadere possit, quod *didacticum* appellare solemus. Quum enim eius natura in eo posita sit, ut *sive notio aliqua*, *sive*

1. Sat. I, 10, 44, 45: *molle atque facetum Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camoenae.*
2. Inst. VI, 3, 20.

sententia, sive sententiarum, etiam praeceptorum de quacumque sive scientia sive arte complexus aliquis eo sermonis genere exponatur, quod quam maxime ad permulcendum voluptate aliqua animum vim habeat; voluptatem illam non tam ab ipso argumento, quamquam in eius delectu quoque hoc videndum est, ut ne iniucundum sit, quam ab eius tractatione et ornatu exspectandam esse facile apparet. Nam quum neque *factum*, aut *res gesta* aut *actio*, neque animi aliqua *affectio*, voluntatis inclinatio aut vehementior impulsus mentis et perturbatio, quae et ipsa cum actione aliquantum coniuncta sunt, in eo carmine tractentur, quo ipso fere eius a reliquorum carminum natura diversa indoles continetur, in re exponenda illud et ornanda tanto maius artificium requirit, quo minorem vim res ipsa ad delectandum habere potest, quoque magis cavendum poëtae est, ne ad subtilem praeceptionem, qua nemo facile delectatur, aut ad meram rerum *descriptionem* carmen hoc revocet, qua animos nostros non diu cum voluptate teneri satis constat [1]. Itaque ex toto materiae apparatu ea deligenda sunt, quae cum aliqua voluptate audiri, aut, si per se nihil suavitatis habeant, ornari et nobilitari ab arte possint; quaecumque autem tractanda selegeris, ea rerum facie quasi ac vultu eoque colore exhibenda sunt, quo maxime niteant hominumque animos ad cognoscendam rem et contemplandam invitent et alliciant. Tum perspicuitas a lucido, non autem dialectico, rerum ordine, argumentorum delectu, dispositione et expositione ad animum tenendum accommodata arcessenda est. Tenent autem animum ea, quae non modo nihil molestiae ei creant, dum cognoscuntur, verum etiam, dum leni ac facili cursu in animum influunt, non horrida aliqua ac ieiuna subtilitate exarescunt, sed eo corpore ac colore succoque expleta sunt, quo ad impellendos sensus nostros animumque aliquam vim habeant. Quo fit, ut in ornatu summa huius carminis posita videatur. Ad ornatum autem referenda sunt quum omnia ea, sine quibus ille recte esse nequit, verborum numerorumque recta, elegans, ac suavis ratio, tum rerum

1. V. du Bos réflex. critiq. P. I. S. 9

argumentorumve, quae, quod ornatum capere videbantur, ad exponendum seposueras, ea elocutio et repraesentatio, quae ad animum continua gratarum imaginum ac sensuum vicissitudine tenendum quam maxime sit idonea. Quod quidem ita maxime assequi videare, si, iis exceptis, quae nullum ornatum admittunt, et breviter ac simpliciter exponenda sunt, cetera verbis ac sententiis locupletibus variarumque rerum similitudinem ac colorem in animum revocantibus expressa sint; ea vero, quae universe dici poterant, ad factum aliquod et actionem singularem revocata, ad vivum repraesentata, descriptione oculis subiecta, exemplis et comparationibus illustrata, sententiis gravibus sint distincta, omninoque ita tractata, ut non tam animus doceri se sentiat, quam delectari; ut non magna animi intentione ad cognoscendum opus sit, sed ut satis sit, modo animus recipiendis impulsibus variarum imaginum pateat; ut praecepta et sententiae quasi corpore aliquo inductae sensibus subiectae ante oculos incedere palparique posse videantur, utque, dum in ipsa rerum tractatione et usu versari te existimes, sine omni molestia, putes te adauescere potius rebus agendis, quam discendis. Iam res aliae naturali aliqua seu dignitate seu suavitate se commeudant, in quibus poëtae iam satis parata laus, modo ne eas oratione deterat; sufficit ut aequet; sin amplificet et augeat, id vero ad tanto maiorem ingenii commendationem facere necesse est: aliae autem res aut natura sua tenues et ieiunae aut opinione humiles et nullo suo decore insignitae sunt; quas si poëta quum per se grato aliquo habitu, tum externarum rerum, inprimis disgressionum, virtute satis ornare potuerit, summam eo poëticae facultatis, et artis laudem consequitur. Itaque disgressiones ad ornandum huiusmodi carmen in primis magnam laudem habent. In iis autem Virgilii ingenium hoc inprimis commendat, quod consilio et carminis argumento illae et dilectu et ornatu accommodatae sunt. Est utique ornamentorum in iis materia liberalior maiorque splendor, pro indole tamen et natura carminis; atque ars mirifica primum in iunctura horum locorum et in transitu redituque a digressione ad praeceptionem, tum in praecipiendi formulis suavique earum va-

rietate, quam magna ex parte Arato et Nicandro debet, denique in venustate, proprietate, copia orationis ac dictionis, in qua Lucretianum carmen ante oculos habuit et saepe expressit, sed emollitum et expolitum ad poëtarum Alexandrinorum elegantism. Quibus rebus efficitur delectatio illa, quam poëta sibi habere debet propositam.

Atque haec illa sunt, a quibus Virgilii laus, si a iudicio aliquo profecta videri debet, inprimis repetenda est. Est is proprius quasi Virgiliani carminis character, ut, si ingenium Homericum in inveniendis rebus desideres, si Theocritesm simplicitatem, et nativam aliquam venustatem, qua animi, inani nostrorum morum fuco nondum contaminati, magnopere capiuntur, frustra in eo quaeras, elegantiam tamen cultumque summum, eundemque rectum, purum, pudicum ac decorum, simulque elaboratissimum et exquisitissimum, facile agnoscas. Inveniendi quidem sollertiam, si animi sensa libere eloqui fas est, non maiorem in Georgicis quam in reliquis eius carminibus deprehendimus: adumbrata fere omnia, depromta et hausta, plurima fere ad verbum conversa sunt et translata ex Graecis Romanisque scriptoribus. Enimvero si Homero atque aliis poëtis illa diviniore, quae in inveniendi felicitate cernitur, ingenii vi cedit Virgilius, in hac, quae secunda esse videtur ab illa, facile omnium est princeps habendus, ut ea, quae ab aliis acceperit, multo ornatiora et pulcriora ab eius ingenio prodeant. Illa autem ingenii Maroniani propria venustas in nullo eius opere magis cognoscitur, quam in Georgicis, omnibus numeris absoluto, perfecto et expolito carmine; ut, si nostra interpretatione hoc assequuti sumus (nos enim id sequutos esse non negamus), ut non modo verborum ac sententiarum vim declaraverimus, verum etiam carminis pulcritudinem inprimisque ornatum sensibus et oculis adolescentium subiecerimus, nos operam nostram non omnino male collocasse arbitraturi simus.

Hesiodi opus, Εργα καὶ Ημέραι inscriptum, imitatione a Virgilio expressum esse, fuerunt, qui, loco Ge. II, 176, *Ascraeumque cano Romana per oppida carmen*, usi affirmarent. Cf. Macrob. V, 2. Falso. Nam vix tribus vel quatuor

locis Hesiodeae sententiae a Marone sunt redditae; carminum ipsorum forma non convenit; diversa utriusque indoles et natura, diversum consilium. Hesiodus non Georgica, h. e. de re rustica, scripsit aut scribere voluit, sed totius vitae rusticae, qualis tum erat, coniunctae illius vel maxime cum agricolatione, rationes tradere, prudentiae insuper et morum praecepta proponere. Quod autem *Ascraeum carmen* appellat opus suum Virgilius, id eo pertinet, quod in simili fere genere illud versatur. Ceterum de consilio, quo ad Georgica componenda aggressus sit Maro, et de tempore, quo illa composuerit, vid. Vit. Virg. a. 717, 724.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER PRIMVS

AD C. CILNIVM MAECENATEM.

ARGVMENTVM.

Georgica, *seu de* re rustica *praecepta, arationem, arborum, vitium inprimis et olearum, culturam, pastionem et mellificium, e Romanorum notione complectuntur. Ordinem dicendorum ducit* propositio *et* argumentum *operis, v.* 1—5. *Inde* invocatio *numinum agrestium cum ipso Caesare Augusto,* —42. *Tum de* prima *operis rustici parte, quae est de* aratione exponit*: ac primum quidem,* quando *illa incipienda sit* —49. *Ante omnia* caeli solique natura *est exploranda* —63, *unde* leges culturae diversae *proficiscuntur, inprimis* arationis —99 *et* sationis — 121. *Quum in his multum laboris et aerumnae tolerandum sit,* digreditur *ad* causas *huius rei* mythicas *inde a Saturni aetate* —159. *Inde de* instrumento rustico —175; *tum* de aliis ad opus rusticum faciendum curandis, *in his de area ad terenda grana paranda* —186; *iudicium de futuro anni proventu unde facere liceat* —192, *de semine medicando* —196, *de seminum delectu faciendo* 203. *Sequitur locus* de temporibus operum rusticorum *diserte tractatus. Tempus sationis* —230. Digressio *de solis cursu annuo et quatuor anni tempestatibus* —256. *Quae curanda sint tempore pluvio* —267; *diebus festis* —275. *Dierum lunarium, qui fausti vel infausti sint, observatio* —286; *nonnulla noctu melius tractanda* —296; *alia per calorem aëris* —299; *alia hieme* —310. *Ita viam sibi parat ad duas* anni tempestates *poëtica arte describendas, alteram* auctumni, *alteram* veris ineuntis, *utramque* procellosam; *observanda itaque esse earum tempora* —336; *et religionibus deos exorandos* —350. *Esse etiam*

certa tempestatum per vices succedentium prognostica. *In his exponendis et ordinandis copiosus est poëta* —463. *Multo ornatius est episodium, ad quod aditum sibi struxit, de* prodigiis, *Iulii Caesaris nece facta, bellum civile subsequutum portendentibus* —497. *Subiunguntur* vota pro *Augusto ad fin.*

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
Conveniat; quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis:

1. Primis quatuor versibus argumentum operis exponitur; *agricultura et rusticatio* lib. I; *vitium et omnino arborum cultura* lib. II; *res pecuaria* lib. III; *res apiaria* lib. IV. Primo versu Hesiodei operis titulum ἔργα καὶ ἡμέραι expressum esse, iam Servius monuit: *quo opere et quibus temporibus ager colendus sis.* — Est autem ad ornatum verborum ab initio statim attendendum. Ait agere se velle primo loco de agri et vitium cultura. *laetas segetes*: Hesiod. Ἐργ. 775, εὔφρονα καρπὸν dixerat. Cicero de Or. III, c. 38: laetas segetes *etiam rustici dicunt, quod enim declarari vix proprio verbo potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Vites* pro omni arborum genere ponit. In his: *ulmisque adiungere vites*, secundum Italiae situm locutus est, in qua vites altius elevantur. *Serv.* — 1, 2. *terram vertere*; scilicet aratro. Lucr. I, 212: *vertentes vomere glebas.* V. G. — 2. *Vlmisque adiungere vites.* Quod rei rusticae scriptores *maritare* appellant, ut Colum. IV, 22: *Qui possint vel sua maritare statumina, vel si qua sunt vidua in propinquo propaginibus vestire.* Sic Horat. in laud. vitae rust. Epod. II, 9: »Aut adulta vitium propagine Altas maritat populos.« Quas autem maritas arbores habeat vitis exponit Plin. XVII, 35, nempe, *ulmum populum*, etc. et XIV, 1: *Vites in Campano agro populis nubunt: maritasque complexae*, etc. Sic Catull. in carm. nupt. 54 *ulmum* indigitat *maritum:* »At si forte eadem est ulmo coniuncta marito.« Inde *vitis* dicitur vidua, quae his arborum sustentaculis est destituta, et *arbores viduae*, quando vitem non amplectuntur. Iuven. VIII, 77: »Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.« Horat. IV, Od. V, 30: »Et vitem viduas ducit ad arbores.« *L.* — 3. De re pecuaria agam. *qui cultus habendo sit pecori* pro vulgari: quae cura sit pecoris, quod quis possidet, sive alit. Solemne vero in re pecuaria est *habere*; hinc pro ornatu adiectum *habendo*. — *cultus*, pro cura; ut Cic. de N. D. II, c. 63, §. 158: *quae quidem* (oves) *neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se, sine* cultu hominum et curatione, *potuissent.* — 4. *quanta* h. quae *experientia*, scil. apibus habendis, ad mellificium necessaria sit: pro *cura* subiunxit aliud, quod cultui apum accommodatum est,

Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum,
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus

experientiam et usum, quo mellificationis ratio valde exculta est. cf. Ge. IV, 315, 316: *Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem? Vnde nova ingressus* hominum experientia *cepit?* — 5. *Hinc*, post bucolica, aiunt. Omnino initium designat; alias *nunc*. Quae sequitur invocatio deorum rusticorum, est haud dubie inter ornatissima ac splendidissima loca carminis. *H. Vos*, o *clariss. mundi Lum.* Siderum et Rusticorum Deorum invocatio. Quum cuiusque invocationis causa indicetur, manifestum est verbis, o *clarissima mundi Lumina*, designari *Solem* ac *Lunam*; quippe qui annum caelo ducentes, eum in mensea diesque dividant. Bacchus enim et Ceres, in certis tantum mysteriis, sole, ac luna commiscebantur. Hic vero consueto funguntur munere, advocanturque frumenti et vineae datores; ut ne Varronis quidem testimonio indigeamus, in principio operis de R. R., haec quatuor numina seorsum adducentis; primo Solem et Lunam, quorum tempora observantur, quum quaedam seruntur et conduntur; secundo, Cererem et Liberum, quod horum fructus maxime necessarii ad victum; ab his enim potio et cibus venit. — *Mundi Lumina. Mundus* hic pro caelo; quomodo veteres saepe usi. Ennius apud Macrob. VI, 2: *Mundus caeli vastus constitit silentio.* Lucret. V, 1435:.... *Mundi magnum et versatile templum.* Macrob. I, 11: *Mundus proprie caelum dicitur*, etc. Arnobius, *Vertigo mundi*, etc. Apuleius de Deo Socrat. *Suspicientes in hoc perfectissimo mundi* (ut ait Ennius) *clypeo.* Qua quidem notione et *Orbis* apud Horat. Od. III, 3: « Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae. » Notat et Ioseph. Scaliger apud Manil. innumeris locis *Mundum* accipi pro caelo, item pro Deo ipso: adeoque sexfariam ab eodem Poëta usurpari, quotfariam et κόσμος a Graecis. *Taubm.*

6. *labentem caelo quae ducitis annum* h. quorum decursu tempora anni efficiuntur. Cf. Lucret. V, 1435-38. *Sidera annum*, eius tempora, vicissitudines et partes *ducere*, tamquam regant et moderentur, sollemne est; scilicet quoniam ista ortu et occasu suo illas temporum vices designant. *ducunt* autem *annum coelo* h. in coelo, in quo ipsa oriuntur et occidunt; et pro cursu anni dixit *annum labentem*, procedentem; *labi* proprium de temporia fuga seu decursu est. Ceterum poëtam h. l. philosophicam opinionem eorum, qui Solem et Lunam sub Liberi et Liberae (Cereris) nomine coli contenderunt, non popularem sequi, in confesso est, si quidem *Liber* et *alma Ceres* sunt appositio, quod malim. Sin haec numina diversa a *luminibus*, coniunctione non interposita, dura est oratio et adiuvanda pronuntiatione: Vos, o lumina, Liber et Ceres, et vos, Fauni Nymphaeque, *ferte pedem*, h. e. adeste. Sed et apud Varronem R. R. I, 1, 5, in duodecim deis rusticis ista numina, Sol, Luna, Liber et Ceres, distioguuntur. *H.* Cf. 498. *W.* —7. Quandoquidem vobis initia arationis ac vitium sationis debentur. *tellus* permutavit *glandem arista* ut exhibeatur effectrix

Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis;
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae;
Munera vestra cano: tuque o, cui prima frementem

eius rei, cuius tantum causa et instrumentum fuit; pro *glandibus*, h. e. variarum arborum fructibus corticem cum nucleo habentibus, vesci coeperunt homines frumento. — *Si*, nonnunquam in invocationibus, pro *quia* sumitur. *L.* — 8. *Chaoniam glandem*. In Epiro, olim Chaonia appellata, fuit civitas *Dodona*, ad quam nemus totum querneum Iovis ibi reddentis oracula: inde poëta glandem epitheto *Chaoniam* ornat. In meridionalibus regionibus, invenitur quoddam quercus genus, dulces ferens glandes, quae, in Palestina, columbarum ovo pares, deficiente frumento, in farinae locum adhibentur: nomen arbori *Esculus*. Quin et Varro testatur, helluones Romanos huiusmodi glandes ex Iberia arcessisse: nullo modo igitur cognomen βαλανφάγοι, quod apud Herodotum ab oraculo tribuitur Arcadiis, iis dedecori esse potuit: insuper vocabulum *glans* plura complectitur fructuum genera nucleis praedita, v. g. palmulas (φοινικοβάλανους) castaneas nuces. Hae a Romanis *iuglandes* dictae; eodem modo Graeci castaneas maiores voce Διὸς βάλανοι appellant. Apud Ovidium, de Art. Am. III, 183, *castaneae*, allusione ad Virgilii Eclog. II, 52, vocantur *Amaryllidos glandes*. V. G. — *Glandem mutavit arista*. Elegans usus verbi *mutare*. Sallust. *Nemo nisi victor pacem bello mutavit*. Horat. Od. I, 16: »nunc ego mitibus Mutare quaero tristia.« Ibidem Od. 29, *Libros Panaetii mutare loricis Iberis*, id est, Philosophiae studio omisso, militiam sequi. Et notum est, Graecos etiam verbo ἀλλάττειν sic uti. *Lem.* — *pingui*, ἁδρῷ, granis tumenti. — 9. Vestro beneficio homines vini usum invenerunt. — *miscuit pocula terra*, vitibus editis effecit, ut misceri possent. — *Pocula Acheloïa* pro aqua, at quam splendide! Acheloum Aetoliae fluvium, priscis carminibus celebratissimum, pro quovis flumine et aqua quacumque, more antiquorum Graecorum, (vid. Macr. Saturn. V, 18) dixit. *H.* *uvis* pro vino dicitur, ut *racemus* loco simillimo Ovidii Fast. V, 343: *Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis*. W.

10. *Praesentia numina* dicit, quod semper adsunt agricolis opem latura, quum contra alia numina non nisi precibus et sacrificiis arcessita accedant, Ge. I, 347; Ecl. I, 41: eadem ratione Pindarus Pyth. IX, 114, Aristaeum *proximum* gregis custodem dicit. *V. G.* — 11. Fauni et Dryades silvas et pascua curant. *Munera vestra*, frumenta, vitem, armenta, greges.

12. Sequuntur Neptunus, Aristaeus, Pan, Minerva cum Silvano, *cui prima f. fudit equum tellus*, cuius iussu primum e terra equus editus est. Nota fabula de Neptuni cum Pallade certamine, quum dei arbitrium tulissent, ut, uter rem mortalibus utilissimam produxisset, eius nomine nova urbs (Athenae) appellaretur; cf. Bentl. ad Horat. Carm. I, 7. *H.* — Antiquissimi libri, *Fudit aquam*, plerique habuerunt: — quidam enim

Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci;
Ipse nemus linquens patrium saltusque Lycaei,
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
Adsis, o Tegeaee, favens; oleaeque Minerva

16. *Ipse nemus linquens patrium*, *Pan ovium custos.* Pindarus, Pana ex Penelope filium dicit, unde multi *patrium* pro *paternum* accipiunt, eo quod Pan non Arcas sit, sed Ithacesius, ut a patre, non a patria, vox haec videatur detorta, quia in Arcadia genitus. *Saltusque Lycaei.* Montis Arcadiae.

digni quibus fidem habeamus (v. g. Herodot. VIII, 55; Apollodor. III, 14; Pausanias, I, 48; Himerius Orat. II, 7; Aristides, Panath. 183) ferunt Neptunum, in certamine cum Minerva, puteum aqua plenum creasse: alii (Geop. IX, 5) portum et navium stationem: unde grammatici, Virgilium a communi sententia recessisse minime credentes, *aquam* loco *equum* legi iubent. Sed quid agricolis cum aqua marina? Accedamus igitur Probi et Cerdae sententiae, secundum quam Neptunus in Thessalia rupem tridenti percutiens, primum equum fudit, et inde cognomina duxit ἵππιος et πετραῖος. Vida Lucan. lib. VI, 396: « Primus ab aequorea percussis cuspide saxis Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen Exsiluit, primus chalybem frenosque momordit Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis. » *V. G.* — *Fundere* proprie de partu felici ac facili, tum poëtis omnino procreare. — 14. *Cultor nemorum*, h. e. pascuorum, hinc et gregum curam habens, est Aristaeus, Apollinis et Cyrenes filius, qui, Cycladibus magna siccitate et fame afflictis quum Ceam arcessitus Sirium placare monstrasset, quo facto etesiae aërem temperare coeperunt, Iovis Aristaei et Apollinis Nomii nomine cultus fuit; vid. Pindar. P. IX, 104 sq. Apollon. Argon. II, 500 sqq. IV, 1132; cf. ibi Schol. et h. l. Serv. inf. Ge. IV, 317 sqq. *nemora* autem, ut *saltus*, pro pascuis. — 15. *dumeta* pro saltibus, loco arbustis consito. — *pinguia*, herbosa — *tondent*, pascunt herbas inter arbusta. *H.* *cui*, cuius beneficio; vid. Not. ad II, 5. *W.* — 15. *Ter centum.... dumeta.* Arbusta nondum elata quorum frondes pascuntur iuvenci. De fertilitate Ceae, quae maris Aegaei insula, est una ex Strophadibus, vide Theophrast. qui ait, ficum agrestem, quae alias bis, Ceae ter in annum ferre. *V. G.* — 17. *tua si tibi Maenala curae*, quandoquidem Maenalus, Arcadiae mons pascuis egregius, tibi est longe gratissimus, tu mihi rem pecuariam tractanti propitius, precor, adsis. — 18. *Tegeaeus* Pan ab Tegea oppido Arcadiae, in qua et montes Lycaeus (τὸ Λύκαιον) et Maenalus (τὸ Μαίναλον et τὰ Μαίναλα). *Si* in invocationibus et obtestationibus frequentissimum. *H.* — *Favens.* Pro volens et per hoc propitius. *Favere* enim veteres etiam velle dixerunt

Inventrix; uncique puer monstrator aratri;
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum;
Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges,
Quique satis largum coelo demittitis imbrem;
Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum

21. *Diique, deaeque omnes.* Post specialem invocationem, transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat; more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. — *Studium quibus arva tueri.* Nomina haec numinum in Indigitamentis inveniuntur, id est, in libris pontificalibus: qui et nomina deorum, et rationem ipsorum numinum continent: quae etiam Varro dicit. Nam (ut supra diximus) nomina numinibus ex officiis constat imposita. Verbi causa, ut ab occatione, deus Occator dicatur: a sarritione, deus Sarritor: a stercoratione, Sterculinius: e satione, Sator. Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat Flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri, Vervactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem.

22. *Quique novas alitis — nonnullo semine fruges.* Id est, aliquo, et hoc dicit; qui a nobis iacta semina vestris seminibus alitis. Semina autem dicit deorum, coeli temperiem, pluvias, teporem; Vel *nonnullo semine* ab hominibus scilicet iacto; ut, *quippe solo natura subest*; Seu rorem.

24. *Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum Concilia, incertum est.* *Adeo* hic praecipue: quidam *adeo* abundare putant antiqua figura, ut, *omne*

V. G. — 19. *uncique puer m. aratri*, Triptolemus Eleusinius, a Cerere arationem edoctus; cf. Callim. in Cerer. vs. 22 ibique Spanhem.

20. *Silvane.* Antiquus Latii deus plantationi et sationi praeerat. Tali habitu *Silvanus* tenerum cupressi truncum (*cup. ab r.*) ferens in marmore apud Boissardum occurrit t. IV, tab. 30, p. 134, et alibi; cf. Ecl. X, 24, 25.

21—23. Dii agrorum, silvarum et tempestatum praesides. — 22. *non ullo semine*, nulla satione, sua sponte provenientes, opp. v. sq. *sata.* Sic et Ge. II, 10, 11, 14: *Namque aliae* (arbores) *nullis hominum cogentibus*, *ipsae Sponte sua veniunt.* — *Pars autem posito surgunt de semine.* Ovid. Met. I, 107 de aurea aetate: *Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.*

24. Et multo magis tu, o Caesar, adsis propitius, quippe mox deus futurus, quamquam adhuc incertum est, cuius ordinis ac generis; quicumque tamen deus futurus es, adsis vs. 40. *H.* — Diis iam invocatis adscribitur Caesar Octavianus, sub cuius imperio sperat poëta agriculturam, tunc civilibus bellis agrorumque partitionibus funditus eversam, ex integro renasci posse. *V. G.*

Concilia, incertum est: urbisne invisere, Caesar,
Terrarumque velis curam, et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Adcipiat, cingens materna tempora myrto;

adco genus in terris. Et iam adulatur Augusto, quem inter deos invocat; nec totum tamen dandum est adulationi, sed et veritati: nam quum omnes Imperatores post mortem sint inter deos relati, Augustus vivus divinos honores emeruit, quod etiam Horat. testatur dicens: *Praesenti tibi maturos largimur honores: Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Vnde male quidam culpant Virgilium, dicentes eum, aviditate laudandi, citum interitum Augusto optasse; quum ad rem, quae tunc fiebat, respexerit. *Mox*, possumus tamen pro *post* accipere; Horatius, *Mox daturos Progeniem vitiosiorem*: id est, postea. Potest et *mox* ad vitae humanae brevitatem referri. Nam ipse ait in decimo Aen. *Phoebe diu (res si qua diu mortalibus ulla est) Viximus.* Sane sciendum, mire eum laudasse, quod ait, *Quem mox quae sint habitura deorum Concilia, incertum est.* Id est, nondum scimus, quis deus esse velis: nam deum fieri, maximum est: in potestate autem habere, *quis* deus velis fieri, plus esse quam maximum constat.

25. *Vrbesne invisere*, inspicere, *velis*, et an *velis*, h. cupias, affectes, suspicere aveas, *terrarum curam*, ac tutelam. De tali verbi eiusdem iunctura duplici v. Burm. ac Bentl. ad Hor. Carm. I, 4, 7. — *dei invisere* dicuntur terras et urbes, quas aut praecipue amant et colunt, aut in quibus instituta sibi sollemnia sacra frequentant. Prius malim, ut *invisere* sit ἐφορᾷν, inspicere, regere. Debebat poëta pergere, *et terras curare*, hoc invertendo extulit: *velisque curam terrarum*, h. e. praeferas; ut saepe *velle*. Sic βούλεσθαι apud Homerum. Bene autem Caesar inter deos urbium et terrarum tutelares referri potuit; noti sunt dei πολιοῦχοι. Meminerit aliquis illa Callimachi in Iov. 73: Ἀλλὰ τὰ μὲν—σὺ δ' ἐξέλεο πτολιάρχους Αὐτούς. Notanda vero copia orationis, qua idem toties effert: *velisne deus esse*. Ceterum cf. Lucan. I, 45 sqq. — 26. *maximus orbis*, seu caelum, sive, quod verius nunc puto, orbis terrarum; *maximus* pro magnus. — *accipiat* advenientem, quum inter deos refertur, habeat te *auctorem*, moderatorem, tutelam agricolationis; ad eandem fere notionem spectat *potens*: qui in potestate habet, moderatur, regit. — Iam debebat sequi: *te cinctum materna tempora myrto*; nunc idem *orbis cingens m. t.* dictus; scilicet corona myrtea Augusto, novo deo, a Venere dea, cui myrtus sacra, per Caium Caesarem oriundo imposita. —27. *tempestatum*, malim de caeli aërisque mutationibus et anni temporibus, quam de procellis, accipere, quia cum frugibus illa iungi mos est: *tempestates* pro temporibus sive statis sive quibuscumque aliis vel Lucretii exemplo bene dicuntur, ubi ad anni caelique temperiem aërisque mutationem, quae cum ipsis temporis vicibus succedit, respicitur.

An deus immensi venias maris, ac tua nautae
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,

29. *An deus i. v. m.* Id est, an pro Neptuno coli te velis: et *immensi maris*, cuius mensura non potest comprehendi. *Venias* autem aliqui pro *sis* accipiunt, ac si grsece diceret οὖσα, sive ὑπάρχουσα; *ire* veteres pro *esse* dicebant.

30. *Numina sola colant.* *Sola*, magna, praecipua, id est, supra alios deos marinos, quasi melior sit futurus, et Neptuno, et caeteris diis marinis.

29. An tu inter deos marinos princeps recipiaris. *venias*, futurus sis. — *Thule* autem *servire* dicitur deo marino, quatenus eius potentia et numen per omnia maria patet, quae per insulas, in primis ultimss, bene declarantur. *H.* — *Thule.* Insula quae existimabatur iacere sub sexagesimo gradu ultra Britsnniam: credebatur insuper mare navibus nullam concedere navigationem ultra Thulen, quod ventis careret; sed haec fabulosa terra, non nisi falsa de orbe notione, et erronea graduum supputatione excogitata est: nec magix quaerends Thule, quam Cerne, Basilia, et aliae insulae eiusmodi. Perperam igitur pro una Scoticarum insularum habita est, vel pro parte Norvegiae proxims, vel demum pro ipsa Islandia. *V. G.* — *numina sola*, potentius voc. qusm, praecipuum numen. — 31. *Teque sibi generum Tethys emat*, et una ex Oceanitidibus tibi nubat. Eos, qui inter deos adscripti essent, deabus iungi fas erat; sic Hercules Hebae. Itaque Augusto maris deo una Nympharum, filiarum Oceani et Tethyos, dabitur, dote numerata, unde *emat* dixit; ex more heroum vitae. Nota sunt ex Homero τὰ ἔδνα parentum nuptae sponso promissa vel data. Splendide sdiectum *omnibus undis*. H. —*Tethys emat omnibus undis.* Tethys est uxor Oceani, nympharum mater. Quod autem ait *emat*, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus et uxor invicem emebant, sicut habemus in iure. Tribus enim modis apud veteres nuptiae fiebant: usu; si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset: farre; quum per Pontif. Max. et Dislem Flaminem per fruges et molam salsam coniungebantur, unde confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur: coëmptione vero atque in msnum conventione; quum illa in filiae locum, maritus in patris veniebat; ut, si quis prior fuisset defunctus, locum haereditatis iustum alteri faceret: et bene *Serviat*, quia quandocumque in manum convenerat, omnia protinus, quae doti dicebantur, marito serviebant. Hanc Tethyn, Cic. in Timaeo, *Salaciam dicit;* sed Eugenius, interpres Graecux, eam male confundit cum Nereide Thetide, quae Pelei uxor et Achillis mater: multa differunt inter duo illarum nomina; orthographia; quantitas; inflexio; differunt et natales; attamen utraque pro mari sumitur. Hinc oritur error apud plurimos. *L.*

32—35. An novum sidus, et quidem in zodiaro, caelo accessurus sis. Annorum, mensium, ac dierum

Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpios, et coeli iusta plus parte reliquit:
Quidquid eris (nam te nec sperent Tartara regem,

34. *Ipse tibi. Tibi* in tuum honorem et gratiam: *Ipse autem*, ultro, sua sponte. — *Iam brachia c. a. S.* Ideo Augusto merito iuxta Scorpium locum adsignat, quia sidus hoc supra Romam positum creditur. Varro tamen ait se legisse Empedocli cuidam Syracusano a quadam potestate divina mortalem adspectum detersum; eumque inter caetera tres portas vidisse, tresque vias: unam ad signum Scorpionis, qua Hercules ad deos isse diceretur: alteram per limitem, qui est inter Leonem et Cancrum: tertiam esse inter Aquarium et Pisces. Argute itaque eam viam et sedem tribuit Augusto forti Imperatori, quam habuit deus fortis. — *Ardens Scorpios. Ardens* ad illud refertur, quia Martis est domicilium: nam Scorpii tempus frigidum est, quippe cuius November mensis est; vel ad cupiditatem Augusti recipiendi.

mensuram siderum decursus facit; itaque *menses* memorat. *tardos* dixit poëtico more, ut epitheto ornaret. Nam anni, dies, menses modo tardi modo celeres, longi, breves, pro consilio poëtae, appellari possunt. Alii subtilius de *aestivis* mensibus cogitant. — 33. *Qua locus*, h. inter Virginem et Scorpium signa, qua nunc Libra est, quae antiquitus a nullo astrologo inter signa habebatur; locum vero eius Chelae, seu Scorpionis brachia occupabant; quo respexit Ovid. Met. II, 195—197: *est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpios, et cauda flexisque utrimque lacertis Porrigit in spatium signorum membra duorum.* Deinde Libra vacuus spatium occupavit, sed ita, ut ab Scorpio teneretur, ut etiam expressum in Marmore Farnesio conspicitur. Librae itaque locum assignat Augusto. Haec satis est tenere ad poëtae locum. — *Chelas sequentes*, sequaces, flexiles, ex natura Scorpii. — *ardens* scorpius, ut sidus, lucens; hoc simplicissimum. — *iusta plus parte*, eleganter, signum maioris reverentiae.

36—39. Exquisita orationis conversione eloquitur ultimum illud: an inferis diis adscribi velis; quod poëta nolit. *Tartaro* omnino pro locis inferis. — Tartarus non hic pro loco poenis destinato sumendus, sed omnino infernale significat regnum. Multum abest, quin apud Virgilium eadem infernorum notio sit, quae olim apud Graecos: haec enim, tum scientia de mundi figura, tum morum progressu paulatim immutata est. Hinc multa vana et erronea eruditio a doctis cumulata est; praesertim in disceptationibus de sexto Aeneidos libro. Homerus, et poëtae qui immediate post eum vixerunt, regnum Hades, Aidis, Plutonis, Orci, in media locant terra; ibique pravos ac bonos promiscue esse asserunt, ut apud nos homines, exceptis tamen perpaucis qui diis infensi poenas dent. Iidem docent, Tartarum, Titanum carcerem, tantum sub terra profunditatis habere, quantum caelum supra terram habet altitudinis. Elysium contra esse insulam in Oceano terram cingente; vel potius constare pluribus insulis, ubi quidam tantum, iique

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Quamvis Elysios miretur Graecia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina Matrem);
Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
Ignarosque viae mecum miseratus agrestis,

39. *Nec repetita sequi curet.* Ceres quum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu quaesisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit: pro qua re quum Iovis implorasset auxilium, ille respondit posse eam reverti, si nil apud inferos gustavisset. Illa autem iam Punici mali in Elysio grana gustaverat: quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Vnde Proserpina ad superos remeare non potuit. Hinc ait Lucanus, lib. VI, 740: *Quae te detineant Aetnaea dapes.* Quam necessitatem modo Virgilius Proserpinae tribuit voluntati. Sane Ceres a Iove postea meruisse dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito: quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est, quae et Luna, quae toto anno sex mensibus crescit, sex deficit; scil. per singulos menses quindenis diebus; ut crescens apud superos, deficiens apud inferos esse videatur: *Nec sequi curet Proserpina matrem*, ad admirationem Elysiorum posuit, quod matri praelati sunt.

40. *Da facilem cursum.* Meo scilicet poëmati. — *Atque audacibus annue coeptis.* Verecunde suas vires extenuat, et commendat operis difficultatem dicendo *Audacibus.*

Iovis amicissimi habitent, immortalitatem consequuti. At postquam philosophia, audaciore coniectura, terram esse sphaeram in vacuo natantem et libratam intellexisset, atque praevaluisset opinio de post mortem remuneratione, evanuit antiquus ille Tartarus. Tunc infernale regnum in terra, et a quibusdam in media terra statutum, et in Elysium et Tartarum divisum (Georg. I, v. 213). Illic a dextra, nobilissimi quoque virtute et ingenio regionem colunt amoenissimam, quam vestit aër purus, astraque splendida illuminant: scelerati vero in gurgite includuntur, quem circumdant triplex murus, ignifer Phlegeton, et aestuans Acheron. Virg. in Aen. lib. VI, 577: »Tum Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.« Cui profunditati spatium excogitari non potest, nisi supponamus Virgilium communem opinionem esse sequutum, scilicet terram esse planam ac rotundam, disco similem; caelum autem supra convexum, et in eius vertice deorum esse sedem, cui nomen Olympus. *V. G.* — *mirari* h. l. celebrare, multis verbis ornare. — 38. Etsi a poëtis, inquit, Graecis de campis Elysiis multa magnifice commemorata sunt, et Proserpina in locis inferis sibi adeo placere dicitur, ut inde redire nolit. 39. Lucanus lib. VI, 740 addit plura de Proserpina; et alibi, lib. VI, 699: *Caelum matremque perosa Persephone*: uterque poëta Proserpinae voluntati tribuit, quod alii necessitati in inferis manendi. Lem. — 41. *mecum miseratus* iunge interpretando, opem enim ferre rogatur; v. 42. *iam nunc assuesce*, utpote deus futurus.

Ingredere, et votis iam nunc adsuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro

Vere novo, et anni initio accipiamus, et prima parte Veris. Nam anni quatuor sunt tempora divisa in ternos menses; qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem: ut priore mense Ver novum dicatur; secundo, adultum; tertio, praeceps: sicut etiam Sallustius dicit, *ubique nova aestas, adulta, praeceps.* Sic Autumnus novus, adultus, praeceps. Item Hyems nova, adulta, praeceps vel extrema: unde est, *Extremae sub casum hyemis.* Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum: cuius pars ultima agriculturam continet· de qua parte, multa ad suum hoc opus Virgilius transtulit; sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agriculturam continent. Nam primus praecepta habet, quemadmodum debeat materfamilias domi agere: secundus, quemadmodum foris paterfamilias. Illud quoque sciendum est, in his libris non esse obscuritatem in quaestionibus, sicut in Aeneide, nisi in paucis admodum locis. Sed in hoc tantum esse difficultatem, ut res positas intelligamus; id est, τὸ κείμενον; sicut haec prima quoque eius praecepta significant. Nam hoc dicit agrum fertilem, id est, pinguem et herbosum, bis debere arari; semel verno tempore, ut et herbae adhuc tenerae et sine semine avellantur; et aestatis calore, ut superfluus humor siccetur, vel glebarum putrefiat durities; et semel Autumnali arandum cum seminibus. Agrum vero tenuem et sterilem Autumnali tantum tempore arandum; ne si etiam Verno araveris, exiguus eius humor siccetur aestate.

45. *Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro Ingemere.* Aliud pendet ex alio; nam altius impressum aratrum boves cogit in gemitum: quod genus arationis, pingui convenit terrae; nam e contrario paulo post de infoecunda terra dicturus est, *Tenui sat erit suspendere sulco.* *Mihi* autem, aut vacat: Cicero: *Qui mihi accubantes in conviviis:* aut *Mihi*, id est, rustico, amanti terras. Et *Taurum* bovem fortissimum accipimus; nam tauri difficile ad aratra iunguntur.

— *ingredere* autem, incipe, ut Ge. II, 174 in primis de dicturo: *Sic contra est ingressa Venus*, Aen. IV, 107, et VIII, 513. *H.* — 42. *Et votis iam nunc assuesce vocari.* Id est, vivus adhuc: nam Augustus vivus divinos honores meruit. Inter mortales dum moraris, vota tibi, tanquam Deo, o Auguste, patiaris nuncupari ab agricolis. — *Iam nunc*, id est, continuo, nulla interiecta mora. Elegans est usus harum particularum pro *statim.* L.

43—46. Aratio cum vere primo instituenda est. Vide Hesiod. Ἐργ. 458 sqq. — 43. 44. Quum nix liquescit, et terra, a frigore constricta, tepidae aurae afflatu resolvitur. *putris gleba*, emollita tepore, resoluta et tenera v. ad II, 204. — 45 sq. Quam ornate pro: iam tum arationis initium faciendum est! Lucret. V, 209: *vis humana—valido consueta bidenti*

Ingemere, et sulco adtritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
Illius immensae ruperunt horrea messes.

47. *Illa seges demum.* *Seges* modo terra, ut, *nec pecori opportuna seges.* *Demum*, novissime, vere, specialiter. — *Votis respondet.* Immane est, quod ait *Votis.* Nam plerumque plus optamus, quam speramus posse contingere. — *Respondet.* Aut satia faciet, aut consentiet; ut, *Dictis respondent cetera matris.* — *Avari.* Id est, quamvis avari, et plus est quam si dixisset, parci. Nigidius: *Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit.*

Ingemere et terram pressis proscindere aratris. H. — *Ingemere* taurus dicitur, propter terrae spissitudinem: tenuem ac gracilem vaccis aut asinis aut mulis arare solent. *Et sulco adtritus splendescere vomer.* Cato filio suo scripsit, illum esse *probum virum*, agricolamque perfectum, *cuius ferrea instrumenta splendescant.* V. G.

47—49. At iterata aratione opus est, ut agri proventus felix sit. *Illa seges—bis quae solem, bis frigora sensit.* *seges* h. l. est terra, ager. Tenendum est, vulgo *tertia* aratione seri solitum fuisse, ita ut vere ineunte ager proscinderetur, aestate iteraretur, sub finem auctumni tertiaretur; vide v. e. Colum. II, 4 et 8; ad hunc morem respexit noster vs. 43. At ii agricolae, qui in terra rite subigenda et conterenda summam culturae ponebant, *quater* arabant, semel quidem iam sub finem auctumni, tum vere anni sequentis, mox aestate, denique auctumno, quum sationis tempus instaret. Graecis id solenne fuisse videtur, ut colligas e Theophr. Causs. Plant. III, c. 25: καὶ ὅταν μετὰ τοὺς πρώτους ἀρότους νεάσωσι etc. Hoc vero faciebant, *ut solem et frigus ager sentiret*, ὅπως χειμασθῇ καὶ ἡλιασθῇ, ut idem Theophr. paullo ante. — *bis* vero, quia bis in hibernum, bis in aestivum (vere et aestate) tempus aratio talis incidit; vide Salmas. Exerc. Plin. p. 510. Plinii locus XVIII, 20, s. 49, 3, unica huius versus interpretatio: *quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, quum dixit, optimam esse segetem, quae bis solem, bis frigora, sensisset;* quum scilicet vulgo trina aratione defungerentur aratores Itali, h. tertiatione; v. Varr. I, 29 sq.; Colum. II, 4, 4. Quamquam idem Plinius innuere videtur, iam tum diversas de hoc loco sententias viguisse. *quarto sulco* vero pro quarta aratione dictum, quum per se patet, tum ex eodem Plinii loco XVIII, 20, s. 49, n. 3: *Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono.* Mox tamen vs. 64 sqq. poëta in communi more acquiescere videtur, pingue solum vere arari iubens, tenue sub auctumnum, ut scilicet sub hiemem conseratur. — 49. *illius*, seu segetis seu agricolae; prius melius. *ruperunt horrea*, replent; praeclare ad magnam copiam significandam. Tibull. II, 5, 84: *Distendet spicis horrea plena Ceres*; ubi v. Obss. Colum. X, 307: *Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha*; cf. Aen. XII, 527.

At prius, ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos et varium coeli praediscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum,
Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae;
Arborei fetus alibi, atque iniussa virescunt

50. *At prius ignotum ferro quam scindimus aequor.* Id est, ante quam faciamus vervactum. Si autem non *immensum*, sed *ignotum* legeris, nobis ignotum significat. *Aequor* autem modo terram accipe, ab aequalitate dictam, ut: *Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto.* Vnde et maria, aequora dicunt.

52. *Patrios cultusque habitusque locorum.* Duas res dicit: sciendum est, et quemadmodum ager a maioribus cultus sit, et quid melius ferre consueverit; nam *habitus* locorum, possibilitates vel naturas accipiamus: quas Graeci τὰς ἕξεις dicunt. Alii *patrios* naturales exponunt.

55. *Arborei foetus alibi.* Id est, poma. Et arboreum aliqui duobus modis accipiunt: aliter enim in Aeneide de telo, *ingens*, *arboreum*. Cornificius, *ut*

50—63. Ante arationem et totum opus rusticum natura soli coelique consideranda est. Cf. Colúm. lib. I, praef. — *ignotum aequor*, agrum, cuius natura nobis ignota est. — 51. *coeli morem*, aëris naturam, temperiem. — *varium* pro diversa regionum natura ac situ diversum. — 52. *habitus locorum*, h. naturam, indolem, agri, ex praecepto omnium, qui de re rustica tradidere, vide vel Xenoph. Oecon. XVI, 2 sqq. — *patrios cultus*, colendi rationem usu maiorum probatam. *H.* *patrios* propter divisionem *que—que*, *et—et* necesse est ut etiam ad *habitus* pertineat, significans antiquos, proprios. *W.* —Columella in operis praefatione requirit, ut perfectus agricola rerum naturae sit sagacissimus; declinatiunum mundi non ignarus; ut exploratum habeat, quid cuique plagae conveniat, quid repugnet; siderum ortus et occasus memoria repetat, ne imbribus ventisque imminentibus opera inchoët, laboremque frustretur; caeli et anni praesentis mores intueatur: neque enim semper eundem velut ex praescripto habitum gerunt; nec, omnibus annis, eodem vultu, venit aestas aut hiems; nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus: quae praenoscere, sine lumine animi et sine exquisitissimis disciplinis, non quemquam posse crediderim: iam ipsa terrae varietas, et cuiusque soli habitus, quid nobis neget, quid promittat, paucorum est discernere — *ignotum aequor*, nuper emptum, de quo Col. I, 4, ait: »nec contenti tamen aucteritate, vel priorum, vel praesentium colonorum nostra praetermiserimus exempla, novaque quae tentaverimus experimenta.« *V. G.* —53. Plin. XVIII, 47 extr. *In omni quidem parte culturae—valet oraculum illud: quid quaeque regio patiatur.* Iam in iis, quae sequuntur, agnosce poëticam rationem, propositionem generalem per singula exempla declarandi et ornandi. Convenit locus cum *Aetna* Severi 259 sqq. — 55. Hinc Columella X, 16 natura soli, *quae iniussi consternitur ubere mali.* — Per *gramina* autem seu herbas decla-

Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei;
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?

folia quae frugibus arboreis tegmina gignuntur. — *Atque iniussa virescunt Gramina.* Bene *iniussa*: nam frumenta studio iussa nascuntur. Vnde est: *Atque imperat arvis.* Et nunc hic unum *alibi* deest, ut fiat: *Atque alibi iniussa virescunt gramina.*

56. *Nonne videi.* Aut Maecenati dicit, aut potius rustico, et argumentatur quasi hoc dicens; si una provincia ferre non potest omnia, quanto magis unus ager?

57. *India mittit ebur*) Et in Africa fuerunt elephanti, sed maiores in India: hinc est quod ait Terentius, *Elephantis quem Indicis praefecerat*, id est, maximis: et *India mittit*, quasi pendit.

58. *Virosaque Pontus Castorea.* Fibri, canes sunt Pontici: quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant. De his Cicero: *Redimunt se ea parte corporis propter quam maxime expetuntur.* Iuvenalis: *Qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum.* Castores autem a castrando dicti sunt. *Virosa* autem, aut fortia, aut certe venenata: nam licet sint multis remedio, tamen praegnantes eorum odore abiiciunt et egerunt partum. Et virosa dicta ab eo quod est virus. Alii fortia accipiunt, a viribus.

rat pascua. — 56. *Nonne vides* est inter formulas enumerationum pro praeterea, porro. Οὐχ ὁρᾷς apud Arat. (Mihi quidem haec formula ad exempla annectenda usurpari h. l. videtur. Diversum est *nonne vides etiam* apud Lucret. II, 196. — *ut mittit* pro ut mittat; cf. Ecl. IV, 52. *W.*) *Crocei odores* pro croco. — *Tmolus* Lydiae mons, vino generoso nobilis, v. II, 89: at eundem a croco Maro hoc loco commendavit. Assentitur Colum. III, 8, 4. In Cilicia crocus frequens proveniebat, in primis ad Corycium promontorium. Iam, quum Tmolus communi aliquo veterum errore Ciliciae tribuatur, qua de re Burmannus egit, credo, quod ad istas oras Cilices aliquando imperium extenderunt; etiam h. l. quum Cilicia nominanda esset, poëta Tmolum posuisse videri potest. Vide Burm. ad h. l. et ad Ovid. Met. XII, 109. Nisi vero, quod nunc puto, ipse Tmolus olim crocum tulit, Virgiliusque Graecum aliquem poëtam expressit. — 57. *molles—Sabaei*, perpetuum epitheton populorum Asiaticorum, effeminatorum coeli indulgentia et soli bonitate. Sic *tener Arabs* Tibull. II, 2, 4, ubi vid. Brouckh. *Mitti* vero, h. e. exportari, sollemne de mercibus, ex eo loco petitis, ubi praecipuus earum mercatus est; est igitur idem ac *provenire.* — 58. *Chalybes nudi*, utpote in ferro cudendo occupati. Sic *nudus membra Pyracmon*, Aen. VIII, 425. — *virosa castorea*, h. Castoris s. fibri testes, tetri odoris, grave olentia; quo sensu potissimum *virus* et *virosum* dici solet. *Castoreum Ponticum* praestantissimum sui generis habebatur; v. Strab. III, p. 163 (248). 59. *Eliadum palmas Epiroi equarum*

Continuo has leges aeternaque foedera certis
Inposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,
Vnde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invortant tauri, glebasque iacentis
Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.
At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum

poëtica inversione (hypallage) dictum esse volunt pro: Epiros mittit equas, quae Eleas palmas, h. victorias in ludis Olympicis, parant. *H.* — Nec mireris equas currere; nam ut dicit Plinius, *velociores sunt masculis ideo, quod in cursu urinam faciunt.* S. — Veteres existimabant, cursu equas equis praestare. *V. G.* — Sed *palma*, victoria, pro victore dicta est; et *palmae equarum*, h. victoriae dictae sunt equae victrices, quae palmam et victoriam reportant. Sic *tertia palma Diores* Aen. V, 339; cf. Drak. ad Silium XVI, 504, *Epirus*, εὔιππος, εὔπωλος, generosis equis nobilis: Ge. III, 121: *Et patriam Epirum referat.* *Equas* noto more, quo sexus feminei animantia praestantiora habentur. *Eleus campus* inf. III, 202. *Eleo carcere missus equus* Tibull. I, 4, 32. Olympia enim in Elide erat.

60. *Continuo*, non est h. l. ut *principio*, αὐτίκα, formula inchoandae orationis: conf. inf. 169, 356; sed: statim a rerum initio. — *has leges*, ut cuique terrae suum ingenium, sua ratio colendi esset. — *foedera* h. l. conditiones, leges, ut Aen. I, 62 et al. *H.* *has leges aet. foedera* pro has leges et haec foedera *aet.* cf. Val. Fl. I, 847: *Has in sedes aeternaque moenia.* W. — Post Graeciae inundationem, quam Hellenes eodem modo quo Hebraei suam, universalem fuisse declarant, Deucalion Promethei filius, cum coniuge Pyrrha, genus recreavit humanum, oraculi iussu, matris ossa, scilicet lapides, post terga iacientes. v. Ecl. VI, 41. Ovid. Met. I, 414, miram suam destriptionem sic concludit: » Inde genus durum sumus, expertesque laborum, Et documenta damus, qua simus origine nati. « Graece dicitur lapis λᾶας, et populus λαὸς; quo verbo ancipite Pindarus non est dedignatus uti. *V. G.*

63. *Ergo age*, *t.* Refer ad v. 43. *Vere novo*, primo vere esse arandum ait; in primis autem pinguis et glebosus ager primo statim vere arandus est; levis proximo auctumno; v. Plin. XVII, s. 65, 2; Colum. II, 4, *terrae solum*, ut γῆς πέδον. — 65. *Fortes invertant Tauri.* Molossus inter duos spondeos mirum in modum taurorum pingit uisum. Medicea lectio *invortant* antiquitate sua probata est: noli quaerere, cur non ubique Virgilius *vorto* scripserit, pro *verto*: nam eadem causa modo *misceri* scripsit, modo *miscerier*. V. G. — 66. *maturibus solibus*, calore adultae aestatis coquatur solum; cf. Ge. II, 259 sq. — 67. *si non fuerit tellus fecunda*, h. si tenuis, si gracilis; cf. Colum. II, 4 extr. Graciles clivi non sunt aestate arandi, sed circa septembres Kalendas; quoniam, si ante hoc tempus

Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant laetis ne frugibus herbae;
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novalis,
Et segnem patiere situ durescere campum;
Aut ibi flava seres, mutato sidere, farra,

68. *Sub ipsum Arcturum*) Id est autumnali tempore, quo Arcturus oritur et sciendum quod *sub* praepositio, quando tempus significat, accusativo gaudet; ut hoc loco *Sub arcturum*, id est, circa arcturum: item, *Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese*: et, *Sub noctem cura recursat*: Et item, *Sub lucem exportant calathis.* Hoc autem est tum quum iam pluere compertum. Arcturus enim pluviarum et tempestatum sydus est. Arcturus autem idem Arctophylax, quia post Vrsae caudam locatus sit. Item Bootes, quod boves cum plaustro agat: alii Arcadem fuisse filium Calistonis et Iovis dicunt, qui quum matrem in figuram ursae ira Iunonis transfiguratam vellet occidere, ambos a Iove in caelum esse translatos; ille Arcturus; illa Helice dicta. Alii Icarum hunc volunt esse, qui a pastoribus; quos vino tunc primum reperto, ebrios fecerat, veluti dato veneno, occisus est. Oritur autem idem Arcturus ante xv kal. octobr. atque exinde pluviae incipiunt, quod ipse aperuit, dicend *Hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.* Arcturum autem pluviarum et tempestatum esse auctorem et Plautus ostendit in Rudente, quum eundem ipsum dicentem facit: *Increpui hybernum, et fluctus movi maritimos. Vehemens sum exoriens: quum occido, vehementior.* Ipsius manu adiecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi potuit: *Illic, officiant segetes ne frugibus illis*; ex altero hoc tantum, *ne deserat humor arenam.*

73. *Aut ibi flava seres mutato sidere farra.* Si te terrarum cogit angustia, et proscinditur, effoeta et sine succo humus aestivo sole peruritur, nullasque virium reliquias habet. Itaque optime inter Kalendas et Idus septembris aratur, ac subinde iteratur, ut primis pluviis aequinoctialibus conseri possit; neque in lira, sed sub sulco talis ager seminandus est. Videatur Pallad. lib. IX, 1; X, 1. *V. G.* —*sub ipsum Arcturum*; Colum. XI, 2, 63: *Non. septembr. Arcturus exoritur.* — *suspendere*, leviter proscindere, vomere non alte descendente. — 69. *Illic*, in pingui solo. Ge. II, 251: *Humida maiores herbas alit.*

71—159. Recreatur ager et vires sumit variis modis et hominum studiis; et primum quidem ipsa cessatione cultus. — 71. *Idem patiere*, porro patiere. *tonsas novales* dixit hic proprie, et ex Varronis de R. R. I, 29, 1, et Plinii XVIII, 49, 2, sententia, de agro, qui alternis annis vacat et novatur. — *tonsae* eae terrae h. demessae. *novales* sc. terrae, rarius. Vsitatum *novalis ager* vel *novale.* — *situs* pro otio, cessatione; unde epith. *segnem.* — *durescere*, requiescere. Totum praeceptum ex Virgilio repetit Plin. XVIII, 21, 50; cf. Colum. II, 10, 7; II, 14, 1; Varro I, 44, 3.

73. *Mutato sidere.* Id est, alia anni tempestate; non altero anno, ut Heynius, post Servium. Poscit enim

Vnde prius laetum siliqua quassante legumen,
Aut tenuis fetus viciae tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem.

non habes, ubi intermisso agro rursus seras, ibi frumenta seras, unde legumina sustulisti: aut si tibi est opus frumento, stercora sparge, et cinerem; vel incende stipulas.

74. *Laetum legumen*. Fertile. Et *laetus*, prout res fuerit, accipimus; ut *laetus homo*, id est, *hilaris*: *laetum pecus*, id est, *pingue*: *laetum* legumen, ut diximus, *fertile*; et sic in reliquis. — *Siliqua*. Id est, theca leguminis, vel folliculo, intra quem legumina nascuntur. — *Quassante*. Id est, quassa; quae sonat quum quassatur. Caecilius, *Si quassante capite tristes incedunt*. Plautus, *Capitibus quassantibus*. — *Legumen*) *Legumen* dicitur quod *manu legitur*, nec sectionem requirit. Frumenta vero sunt omnia quae ex se emittunt aristas: nam quod supra ait *farra*, frumenta accipimus; species enim est pro genere. *Far* proprie genus est frumenti optimi. Dicitur *frumentum a frumine*, *quod est gulae prominens pars*.

quodque frugum genus proprium sidus. Vide 208 ad 230. Vos *sidus*, non magis *solem*, quam *sirium*, quem pro sole accipi volunt, designat. *Farra* frumentum, speltae genus inter triticum et hordeum medium, apud Romanos valde commune. Ei nomen adoreum, et ab antiquissimis temporibus ad pultem adhibebatur et globulos farinaceos. *V. G.* — *farra* h. l. pro quocumque frumenti genere. — 74. *legumen siliqua quassante*, ornate pro simpl. legumen. Tum *siliqua quassans* sc. se, quae facile vento agitatur, contremiscit, tenui culmo inhaerens, in primis quum exaruit. De faba autem interpretatur poëtam Plinius XVIII, 21, s. 50; XVII, 9, 7. — 75. *tenuis vicia*, quia tenui semine, si cum faba compares. *H.* — Mire ait *tenues*; nam vicia vix ad triplicem pervenit fructum, quum alia legumina proventum habeant felicissimum et fertilem. Inter illa legumina, quae iuvant agros, et stercorationis vim habent, *vicia* et *lupini* numerantur, ut Colum. II, 14: *Saserna putat stercorari et iuvari agros* *lupino*, *faba*, *vicia*, *ervo*, *lente*, *cicercula*, *piso*. — *tristis lupini*, amari, ut saepe; contristatur enim degustantis vultus. Est genus leguminis, pauperum et Cynicorum victus, θέρμος, non confundendum cum lupulo. Lupini seges agro stercorando admodum utilis habita. *H.* — 76. Recte docet Plinius XVIII, 14, et XVII, 9, *Pinguescere hoc satu arva et vineas*. Ex lupinis nummi conficiebantur, *aurum*, nempe *comicum*, cuius usus fuit in comoediis, ut id constat ex Plauti Poenul. III, 2: Ag. *Agite*, *inspicite: aurum est*. Co. *Profecto*, *spectatores*, *Comicum*: *Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves*. Inde facile capimus Horatii mentem, et triti illius proverbii, quod Ep. I, 7, 23: « Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis. » Id est, quid discriminis sit inter probae monetae numos, et adulterinos. *L.* — *fragiles calamos*, quia aridi, ut Ecl. VIII, 82. — *silvam* poëtica ratione, ipsa etiam florum, herbarum silva, grata similitudine, dicitur; cf. inf. v. 152 et IV, 273. *Silvas cannabias* dixit Gratius Cyneg. 47 pro se-

Vrit enim lini campum seges, urit avenae;
Vrunt Lethaeo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum

78. *Lethaeo perfusa papavera somno.* Plena oblivionis: nam Ceres, Iove admonente, dicitur cibo papaveris, orbitatis oblita (et re vera papaver gignit soporem), quum iam Proserpinam raptam a Plutone ex inferno recipere non potuisset.

79. *Alternis facilis labor.* Redit rursus ad praeceptum, quod scit esse praecipuum, id est, ad intermissionem. — *Alternis.* Intermissis: subaudi *agris.* — *Facilis.* Vtilis.

gete. — *sonantem*, quia calami aridi sunt, et, si moventur, strepitum eduut. — 77. Poëtica suavitate pro: at lino vel avena vel papavere seri nnlim agrum interquiescentem; nam ea urunt h. exsiccant agrum. Repetit ex nostro Plin. XVII, 9, s. 7; Colum. II, 14, 3; cf. II, 10, 17; Pallad. octobr. 2. Hinc *linum* in agro humido seri solet; et Gratius Cyneg. 34: *Optima Cinyphiae paludes lina dabunt*; conf. sqq. *H.* — *Vrit enim lini campum seges.* Bene excerpsit haec tria, linum, avenas, papaver, et dicit post haec, frumenta serenda non esse: nam licet manu legantur, et sint inter legumina, viribus tamen frumentis exaequantur. Coelius libro tertio seri avenam ostendit; sed videtur Poëta velut interrogatus, cur linum et quae sequuntur dicit non seri debere; respondisse, urit enim: quia *enim* causalis coniunctio est. *Serv.* — Idem asserit Plin. XVII, 7: *Virgilius et lino segetem exuri, et papavere arbitratur.* Colum. II, 14, nominat *virus lini* ob fervidam naturam. — Veteres delicatiore lana vestiti linum non multum colebant: tunc e lino navium vela et retia texebantur, vestesque sacerdotum, quibus non sat purae ovinae pelles: praeterea adhibebatur ad mappas, tegumenta ornatusque mulierum; neque laevigatum, sed hirsutum et villosum. *V. G.* — 78. *perfusa somno papavera*, vim soporificam, quae natura nigri praecipue papaveris est, habentia. *H.* — Albi papaveris semen cum melle apponi solebat in coena: papavere, ut cibo ad concoquendum facillimo, panem veteres spargebant; et Opium e nigro conficiebant papavere. *V. G.*

79—83. Conf. Colum. II, 14, 3. Mihi videtur ea esse sententiae progressio: Possunt tamen illa, et linum et avena et papaver, alternis annis recte seri, dummodo fimo saturas agrum. *H.* — Etsi alternis frugibus solum plus minusve interquiescat, tamen insuper stercorandum est, quo facilius ferat. Hoc modo, perinde ac si otiosa mansisset, terra recreabitur et annuum exhibebit proventum: haec interpretatio sola cum antecedentibus et sequentibus aeque congruit: itaque interpretatio, quae plerumque vocem *alternis* ad cultus cessationem refert, et Bersmanni interpretatio quae eandem de mutatione lini, avenae, et papaveris intelligit, omnino evanescunt; praesertim quum nostra opinioni Columellae consentanea sit; vid. lib. II, 14. Romani, quibus stercus valde curae erat, Deum *sterculium*, *stercutum*, vel *sterquilinium* venera-

Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effetos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva.
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
Saepe etiam sterilis incendere profuit agros,

81. *Effoetos per agros.* Continua fertilitate lassatos, sicut etiam frequenti partu effoeta dicitur mulier. — *Cinerem immundum.* Ad discretionem illius, quo utuntur puellae; de quibus cineribus in Bucolicis: *Fer cineres Amarylli foras.*

bantur, quod cognomen est Saturni rustici, ut quidam volunt. *V. G.* — *Cinerem immundum.* Cineribus pro fimo usos fuisse veteres, constat ex Plin. XVII, 5: *Transpadanis cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo iumentorum; quod quia levissimum est, ob id exurunt.* Columell. II, 15: *Quin etiam satis profuit cineris usus et favillae.* Didym. Geop. XII, 4, pariter usum cineris laudat. *V. G.* — 82. *Sic*, ut fimo saturetur ager. Sensus: atque interea etiam utilitatem aliquam (ea enim est *gratia*) ex agro percepisti. *H.* Mihi haec: *Nec nulla* etc. praecedenti versui non adiuncta, sed opposita videntur hoc sensu: Si tamen agrum novalem reliqueris, subsequenti ille anno uberiore frumenti proventu tibi gratiam referet. *Nec*, ut saepe, est idem fere, quod *nec tamen. gratia est terrae*; cf. Colum II, 2 ant. m. *siccum, densum et macrum agri genus ne tractatum quidem gratiam refert* h. e. fructum reddit labori aequalem. — *nec nulla*, et aliqua, nec exigua. *terra inarata*, h. e. leguminibus non consita, *interea*, dum frumentum non seritur. *W.* — Huius versus ambiguae falsaeque interpretationes causam habent, quod sumatur plerumque, *nec nulla*, pro *aliqua*; ita ut sit mitigatio verbi maxima. *V. G.* — Nullus interpres mihi videtur totum introspexisse sensum vocabuli *inaratae*: fere omnes dixerunt, *non satae* terrae, *cessantis uno anno*, inter hos Ruaeus et Cl. *Potier*: Cerda, *pluribus annis*: Servius, *quae est pabulo pecoribus*, forte quia *non arantur* pascua. Verum vir celeberrimus, iam supra citatus ad vs. 48, de hoc mihi dubiam admodum mentem fecit, his fere verbis mecum disserendo: » Virgilius laudavit *alternam novalium cessationem* et *segnis campi situm* vers. 71 et 72; deinde transit ad seminum mutationem, et ad stercorationem agrorum, 73—83; qui versus nihil aliud tractant, et ad extremum concludunt, arva mutatione seminum requiescere, et terram *inaratam* maximo valere proventu: ex quo inferendum est aliquid stercorationis τῷ *inaratae* significari. Nomenclator agriculturae *(le Père d'Acquin)*, ait: » *inarare*, est arando fimum, stercus, vel aliud quidpiam pro fimo adaggerare, et terrae miscere » quod confirmant Varro lib. I, 23: Columella lib. II, c. 5, 9, 10 et 16. Ergo non hic de vervactis aut novalibus agitur; namque ad illa necessitate nulla rediret poëta; *sed de fimo, cineribus et plantis quas arvorum sulci pro stercore includunt.* Iudicent periliores. *L.* Wunderlichio assentior. *T.*

84 Aliud praeceptum de stipulae

Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires et pabula terrae
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor;
Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas;
Seu durat magis et venas adstringit hiantis,
Ne tenues pluviae, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertis
Vimineasque trahit crates, iuvat arva; neque illum

88. *Vitium*. Quod fecunditatem impedit. — *Exsudat inutilis humor*. Nove loquutus est; nam non ipse humor, sed terra desudat; unde *exsudat* pro exsudatur accipimus.

incensae ad agrum beneficio; cf. Pl. XVIII, 72 extr. qui ad Virgilium respicit; *steriles agros*, stipulas agri, ut vs. sq. explicatur. *H.* — Agricola Romanus stipulam nonnunquam ad medium usque calamum, vel ad ipsam spicam, in agris relinquebat, vide infra 289: huius incendio macra terra succum comparat. — Tum motu suo, tum sono, hic versus ignis crepitum imitatur. Ovid. Metam. lib. I, 492: *Vtque leves stipulae demptis adolentur Aristis.* Stipulae incendium in Italia adhuc usitatum, et in Gallia meridionali; ibi enim magna stramenti abundantia. *V. G.* — 86. *Sive — sive.* Pro varia soli, vel macri vel uliginosi vel densi vel rari, natura varias causas subiicit. — *pabula* sunt succi, qui nutriunt semina ac plantas, puta ex cinere crematarum stipularum et lixivio. — 88. *inutilis humor*, vitiosus, noxius. — 89. *caeca spiramenta*, meatus occultos et latentes, nos *poros* dicimus; mox *venas*. *Vada latentia* ap. Gratium Cyneg. 423. — 91. *adstringit* calor condensando molle et lutosum solum. — 93. *Adurere* convenit proprie frigori tantum et aestui solis. Sed sollemni figura generalior inde notio *nocere* elicienda, et ad illud *ne tenues pluviae* referenda est. *Penetrale frigus* iam Lucretius dixerat I, 495. — 92. *tenues* ex natura pluviae petitum epitheton, quod hic nullam vim habere debet, ut saepe epitheta ponuntur. Alioqui *pluviae tenues* in vitio esse possunt.

94—99. Omnibus omnino modis terram frangendam, comminuendam, et a sole excoquendam esse, omnes monent de R. R. auctores; vid. Xenoph. Oecon. c. XVI, 11—14. — *glebas inertes* dicit poëta, quae, nisi comminuantur, nil generant. Agit autem poëta sqq. verss. de *occatione* et *pulveratione*; cf. Plin. XVIII, 49, 3 (20); etiam in vinea Colum. XI, 2, 60; Varro I, 29. — 95. *trahit crates*. Colum. II, 18, 4: *tum glebas sarculis resolvemus, et inducta crate coaequabimus* etc. Crates ex vimine satis validae esse sunt pulandae in solo raro ac pulverulento. — 95.

Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,

97. *Et qui, proscisso quae s. ae. t.* Propria voce usus est; quum enim primo agri arantur, quando duri sunt, *proscindi* dicuntur; quum iterantur, *offringi*; quum tertiantur, *lirari*.

98. *Rursus in obliquum verso perrumpit aratro.* Scilicet autumnali tempore, quo iam cum seminibus aratur. Nam hoc praecipit, ut quum denuo aramus, tunc per obliquum aratra ducamus. Nemo enim uno tempore bis arat.

96. Ex Callimacho suavissima imago expressa: *Οὓς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσηαι, Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν* etc. H. in Dian. 129. *neque nequidquam* h. non sine fructu; *spectat*, propitia est, *respicit*, ut Gratius loquitur, qui hunc locum ante oculos habuit, Cyneg. 426. 97—99. Etiam ille multum iuvat arva, qui etc. cf. praecepta ab Colum. II, 22, 25; Plin. XVIII, s. 49, 2. Frequenti autem hac aratione perficitur denique hoc, quod demum *recte subactum esse* aiunt, *ut non intelligatur, utro vomer ierit;* vid. Plin. XVIII, 49, 2 extr. cf. Colum. II, 4, 1, *terga resoluta* agro tribuit idem X, 7. Idem imitatus est hunc locum libro X, vs. 91—93. *H.* — *Terga.* Νῶτα: imitatione Graecorum, id est, supinas glebas. Pind. Pyth. Od. 4: *ἀναβωλακίας δ' ὀργυιὰν σχίζε νῶτον γᾶς.* Id est: *Findebat tergum terrae sursum glebas attollentis ad profunditatem orgyae.* Taubm. — 99. *Exercetque f.* tractat, versat. Colum. IV, 14, 2 de fossione vineae: *nam utique frequenter solum exercendum est;* cf. inf. II, 356. Post haec illud: *atque imperat arvis*, quamquam eleganter dictum, paullo otiosius positum videri potest. Sed habet *imperare* vim coërcitionis, acerbitatis et iniquitatis. Sic *imperant vitibus* apud Colum. III, 3, 6; Sen. de Tranquill. an. c. 14: *Danda est remissio animis — Vt fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fecunditas.* inf. II, 369: *tum denique dura exerce imperia. H.* — Heynius haec otiosa iudicavit; Sed immerito: nam huius clausulae metaphora significanter indicat supremum illud *imperium*, quod acer colonus exercet arando, frangendo, vertendo, rumpendo agros, quos iure *sua regna* vocat. *L.*

100. De tempestate monet, quae sementem iactam excipit. Praeceptum ad Italicum solum spectat. *Humida solstitia*, aestates; cf. Ecl. VII, 47. *Solstitium* tantum de aestivo latine dicitur; hiemale *bruma* vocatur, vid. in primis Plin. II, 19, s. 47, adde XVIII, 25, s. 58; cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 175 et al. *humidum* tempus, ut pluviarum irrigatione fervidi caloris vis temperetur. *H.* — 101. *hiberno* etc. Quia si hyems sit serena et pulverea, farra quae sata sunt, erunt laetissima; ager laetissimus: confirmat exemplo Moesiae et Gar-

Laetus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Iactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.
Quid dicam, iacto qui semine comminus arva 104
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenae?
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis,
Et, quum exustus ager morientibus aestuat herbis,

105. *Insequitur*. Prosequitur, et non sinit quiescere. — *Ruit*. Evertit, dissipat; nam modo agentis est; ut: *Una Eurusque Notusque ruunt*; nam aliter dictum est: *Ruit alto a culmine Troia*.

106. *Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentis*. Post commemoratam generalem agriculturam, transit ad species et culturas venientes ex tempore. Nam arare, cinerem iacere, incendere aeternum est: irrigare autem nonnisi nimiae siccitatis est; sicut et siccare etiam, aut ex magnis pluviis, aut ex fluminis eruptione compellimur. — *Satis*. Segetibus, agris satis, id est, seminatis: nam participium est.

107. *Exustus ager morientibus*. Scilicet aestatis calore: secundum Pythagoricos, qui dicunt omne, quod crescit, animam habere: unde est: *Atque interfice messes*.

gari. *C.* — 102. *nullo—cultu* non ullo cultu; *tantum se iactat Mysia*, fertilitatem summam habet, *quantum* tali tempestate, qua ille ager fruitur. Haec ratio est simplicissima, et praeferenda. *H.* *nullo cultu iactat—mirantur* h. e. cultu non efficitur, sed tempestate, ut iactet—mirentur. *W.* 103. *et mirantur Gargara messes*. Phantasia est poëtica, rei inanimatae sensum dare: sic alibi: *Miraturque novas frondes, et non sua poma*. L.

104—110. Et prodest, semente facta, glebas rastris comminuere, ut semina obruantur, et aqua agrum obducere. *Quid dicam* de eo, *qui*; transitus formula, etiam in pedestri oratione. (Et formula transeundi, qualis *quid loquar de re militari* apud Cic. Tusc. I, 2. *W.*) Praeclare haud dubie etiam ille facit, qui. *H.* — 104. *Comminus*. Statim post liras sulcant, ne siccentur sole glebae. *V. G.* — 105. *arva insequitur*; sulcos factos in arvo prosequitur, alium post alium rastris frangendo, et cumulos, seu nimium seu inutiliter pinguis, h. duri, soli glebas tenaciores, contundit et evertit et omni parte aequat. Fit hoc alias sarritione. — *insequi* idem quod urgere, instare, et sine intermissione ac mora rem statim aggredi vel prosequi. Sic *fossor insequitur*, *pampinator insequitur* apud Colum. et inf. 155: *insectari terram rastris*. Hesiod. Ἐργ. 469: ὁ δὲ τυτθὸς ὄπισθεν Δμωὸς, ἔχων μακέλην, πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη, Σπέρματα κακκρύπτων. *arena* pro solo, terra omnino v. IV, 291. Ceterum vs. 106 sqq. poëta Il. φ, 257 sqq. egregium locum ante oculos habuisse videtur. *H.* — *Arena*, dicitur elementum cuiuscumque soli, Georg. II, 139, vel pinguis, vel etiam duri: vide Georg. IV, 291, ubi Nili inundatione advectus limus, nigra vocatur arena. — Male pinguis quia difficilior aratu. Sic Horatius, *male*

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit? illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Quum primum sulcos aequant sata? quique paludis
Conlectum humorem bibula deducit arena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans

109. *Elicit.* Ab eliciendo, et apud antiquos, hodieque in aliquibus provinciis, Elyces appellantur sulci ampliores, ad siccandos agros ducti; unde Poëta ipso verbo uti voluit: nam et scrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur (barinulas dixerunt).

110. *Scatebris.* Ebullitionibus, quae fiunt quum aqua in aliquas rimas defluxerit. Vnde etiam vasa aestuantia scaturire dicuntur. Vnde vulgo vasa, ubi calida solet fieri, scutrae appellantur.

salnus: et Ovidius, *male sedulus.* V. G. 106. Post arationem factam exoptanda pluvia; supplet eius defectum ars, inducta in agrum aqua. *H.* — Theophrastus: *περὶ φυτῶν ἱστορίας* lib. III, *ἔοικε δὲ ἡ μετὰ τῶν ποταμῶν ἔφοδος ἐπάγειν σπέρματα καὶ καρπούς.* Videnda Homerica comparatio in Iliade, Φ, 257: *ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ὀχετηγὸς* etc. *Vrs.* — 107. Totus scilicet versus translatus ab animantium sensu. — 108. *clivosi tramitis* pro montis molliter clivosi, in quo rivulis tramitem facit. — *supercilium*, ut ὀφρύς, pro superiore montis parte. — 110. *scatebris* simpl. pro aqua, ut vs. 106, *fluvius* et *rivi*.

111—117. Depasci potest herba segetis nimis luxurians a pecude; et deduci aquae stagnans colluvies per collicias. *Quid, qui* h. e. quid dicam de eo, qui; conf. 104. *W.*) — *ne gravidis.* Hesiod. Ἐργ. 473: *Ὧδέ κεν ἁδροσύνῃ στάχυες νεύοιεν ἔραζε.* — 112. Pro interpretatione sit Plin. XVIII, 44, 2: *Inter vitia segetum et luxuria est, quum oneratae fertilitate procumbunt* etc. 45. *Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat; et depastae quidem vel saepius nullam in spica iniuriam sentiunt.* Theophr. Hist. Plant. VIII, 7: *Ἐν δὲ ταῖς ἀγαθαῖς χώραις πρὸς τὸ φυλλομανεῖν ἐπινέμουσι καὶ ἐπικείρουσι τὸν σῖτον*, fit idem falce inter nos. 113. *quum sulcos aequant sata.* Scilicet sulcus nunc designat terram inter duo sulcos proprie dictos elatam, *porcam* dictam. Ponitur enim *sulcus* varie; etiam pro ipso agro seu arato seu sato, ut inf. 216 pro aratione ipsa sup. 68. — 114. *paludis collectum humorem*, *Wassergalle.* Collecta et stagnans lacunae aqua, putris colluvies, deducitur sulcis aquariis factis, quos *collicias* dixere Plin. XVIII, 49, 3; Colum. II, 8, 3; *elices* apud Festum; hic vero eius generis sulcus seu fossa significatur, qua aqua deducitur *arena*, *per* vel *ad* arenosum locum, ubi in sabulum se insinuans exarescit: solet etiam solo humido arena admixta humor subduci. — 115. *incertis mensibus* veris et auctumni, quod anni

Exit, et obducto late tenet omnia limo,
Vnde cavae tepido sudant humore lacunae.
Nec tamen, haec quum sint hominumque boumque [labores
Versando terram experti, nihil improbus anser,

tempus incertae tempestatis est; cf. Ovid. Art. II, 318; hic tamen de vernis potissimum agitur. *H.* — *Incertos menses* vocat vernos, quibus abundant et exeunt flumina, ex regelatione nivium, quae montibus descendunt. De autumni mensibus accipi non posse, certum est; nam modo dixit segetis adolescentis *Luxuriem in herba tenera* depasci; quod veri tantum convenit. Lemaire. — 116. *exit*, evagatur ripas, Aen. II, 496. — *obducto tenet* pro simplici obducit. — *sudant humore tepido*, putrido et noxio. *sudant*, madent loca, in quibus lacuna exsistit. *H.* Cf. Aen. II, 582: *sudarit sanguine litus. W.* — 117. *Vnde.* Ex quo, vel ob quam rem. — *Lacunae.* Sunt fossae, in quibus collecta aqua stare consuevit; quasi lacus minores: verum agiturne de fossis, quae arva dividentes, aquis implentur? an de cavitatibus, quae pluviae cadentis impetu, aut aquarum stagnantium mole fiunt in agris? Lacunae humorem exhalant tepidum, quia imbres vernos *mensibus incertis* succedens aestas fervida coquit et dissipat. *L.*

118—121. Nota transitum ad aliam rem, ad ea, quae segeti nocent; cf. Lucret. V, 214 sqq. — *improbus*, insatiabilis, avidus, et hoc ipso noxius; cf. inf. 145, 6. *Probum* est, quod verecunde fit, intra modum est, moderatum, hinc iustum, modicum, aequum: *improbum* autem, ἀναιδές, quod modum excedit, immodicum, nimium; iniquum, iniustum; nimis magnum, et vehemens; cf. Aen. IX, 62. *H.* — Anser non solum rostri morsu plantarum radices laedit, aut evellit; sed etiam suo letamine, id est stercore, satis messibus nocet. *L.* — 118. *Nec tamen, haec quum sint* etc. Hic enumerantur res quae segeti nocent; scil. aves, herbae inutiles, umbra, robigo, siccitas. In hac periodo vocabulum *nec*, perinde ac supra vs. 83, integram negat phrasin. *V. G.* — Et hoc dicit; licet haec omnia, quae dixi, arando sint experti et hominum et boum labores; tamen sunt adhuc aliqua, quae obsunt, nisi provideris. *L.* E Thraciae finibus, cuius flumen *Strymon*, veniunt grues in Graeciam, cum hieme ingruente migrant; translatum est epitheton e graecis poëtis. *H.* Plura eiusmodi epitheta ornantia, ad sententiam non desiderata, quin a terris, de quibus sermo est, aliena, deprehend apud Virgilium, ut Ecl. IX, 13, *Chaonias columbas*; IX, 30, *Cyrneas taxos.* W. — *intubum* e cichoreorum genere, erraticum, fibris seu radicum minutis filis late serpens. Theophr. Hist. Plant. VII, 11: τὸ κιχώριον — παραβλαστικὸν δὲ καὶ τῇ ῥίζῃ καὶ ἄλλως μακρόῤῥιζον — διὸ καὶ δυςώλεθρον. ὅταν γὰρ ἐκλαχανίζωνται, πάλιν τὸ ὑπόλοιπον ἀρχὴν λαμβάνει γενέσεως; non modo hortense, nobis *Endivium*, inf. IV, 120 memoratum, sed et silvestre genus est, πικρὶς dictum; id prosequuntur anseres et aliae aves domesticae; vid. Colum. VIII, 14, 2.

Strymoniaeque grues, et amaris intuba fibris
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Iovem nulli subigebant arva coloni:
Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,

120. *Strymoniaeque grues.* Thraciae, a fluvio vel lacu Strymone, qui fuit circa Amphipolim civitatem. — *Et amaris intyba fibris.* Donatus intyba dicit cicorea, quorum radices multae et tenues ambiunt segetes et necant. *Fibris* autem abusive ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, ut fibrae per iecur, id est, venae quaedam ac nervi. Alii fibras proprie dicunt rei cuiusque extremitates, sicut Cicero in Gabinium: *Fibrae cincinnorum madentes*: Et in Tusculanis: *Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.* Vnde et iecineris extremae partes fibrae a nonnullis appellantur. Bene ergo Virgilius intyborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit.

129. *Ille.* Iupiter scilicet adeptus imperium. *Malum virus.* Bene ad discre-

121. A Iove ita constitutum est, ut labore omnia paranda sint. Felix transitus ad digressionem ornamentis poëticis fecundam. Locus ex Hesiod. Εργ. 42 sqq. Redit ad propositum vs. 150, 155. — 123. *Movit agros*, h. fecit moveri, arari, necessitatem colendi imposuit, et excitavit industriam hominum. Tribuitur autem Iovis iussis, quod sub eius imperio contigit. — *veterno* pro ignavia, inertia. Nemesian. Ecl. I, 60: *Nec segnem nobis passus marcere iuventam* etc. — *sua regna* h. homines, quibus imperabat. *H. primus* illorum, qui mundum rexerunt. *W.*

125. Expressa ex Hesiod. Εργ. 90 sqq. et Arato 110 sq. — 126. Eadem reddita ab Ovid. Met. I, 136; Am. III, 8, 42: *nec fas* erat, non sollemne, solitum, ut saepe. — 127. *in medium*; quidquid quaerebant, parabant, in commune parabant et afferebant; cf. Iustin. XLIII, 1, 3. — 128. *liberius*, liberalius, felicius, ἀφθόνως; expressum enim ex Hesiod. Εργ. 118: καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. Lucret. V, 940: *Plurima tum tellus etiam maiora ferebat.* Aut dictum esse voluit *liberius*, quam nunc, pro libere, cultu non coacta: ut Horat. III, Carm. 24, 12, *Liberas fruges—immetata ferunt iugera.* (Posterior interpretatio vera, usu iudice. Horatii loco *liberae fruges* sunt, quae domino certo propriae non sunt. *W.*) *nullo poscente* h. arante; sup. 99, *imperare arvis. nullo cogente* Ovid. Met. I, 103.

129. Serius subnata sunt vitae nostrae mala. Haec per partes declarat.

Praedarique lupos iussit, pontumque moveri,
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Vt varias usus meditando extunderet artis
Paullatim, et sulcis frumenti quaereret herbam;
Vt silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;

ionem epitheton adiecit. Nam *virus* et bonum et malum est, sicut venenum: nam idem est. Venit autem a Graeco; nam illi φάρμακον medium habent, id est, bonum et malum. Sane *virus* hodie tres tantum habet casus: hoc virus, hoc virus, o virus. Antiqui, huius *viri*, dicebant. Lucret. II, 475: *tetri primordia viri*. Nonnunquam pro foetore ponitur virus, ut apud Lucilium, *anseris herbilis virus*. *Addidit* aut abundat, aut *addidit*, quia habebant ante nonnihil veneni. — *Atris*. Modo noxiis, id est, ad tenebras et mortem mittentibus.

Sub Iovis imperio serpentes facti sunt venenati, lupi rapaces etc. *malum*, noxium, *virus* indidit. — *serpentium* aliqua genera sunt *atro colore*; *atras viperas*, Hor. Carm. III, 4, 47. — 130. Efferavit lupos, *pontumque moveri iussit*, ventorum vi et procellis; nam mala physica, mutata naturae facie, nunc enarrantur. De navigatione mox vs. 136 agitur. — 131. Non iam, ut ante, folia rorem aliquem melleum eliquabant; v. sup. Ecl. IV, 30; Plin. XVI, 8, s. 11; cf. ad Tibull. I, 3, 45. detersum hoc mel est foliis, ut *silvis decussus honor* inf. II, 404. — *ignem removit*, ut is in venis silicum absconditus, *abstrusus*, (ut mox vs. 135, Aen. VI, 7: *quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis*) lateret, diuque ignoraretur, usque dum discerent homines silicum attritu eum elicere. Κρύψε δὲ πῦρ Hesiod. Ἐργ. 50. — 132. *rivis currentia vina*, h. e. rivos vini fluentes; sic copiam vini eloquebantur veteres, antiquissimo phantasmate, ut quasi e fontibus quibusdam huiusmodi flumina vinosa prodiisse dicerent. — 133. Omnia haec Iupiter ita moderatus est eo consilio, ut usu invenirentur artes et ingenia hominum acuerentur et ad industriam excitarentur. — *meditando*, exercendo, experiundo. *H.* *meditando* proprie dicitur; nam ad inveniendum meditatione opus est. *Vsui* autem tribuitur, quod, hominibus, quibus re aliqua opus est, tribuendum. *W.* — 134. ut *frumenti herbam*, h. frumentum, segetem; cf. Ecl. V, 26: *herba graminis*, *usus* (h. e. homines, ubi usus esset) *quaereret sulcis*, aratione pararet. *H.* Commode afferunt ex Iustino 44, 4: *frumenta sulco quaerere docuit*. *W.*

136. Tum primum navigatio inventa. — *sensere* onus novum fluvii adhuc intacti, hoc est habuere. — *alnum* vero nominat, quia palustribus et littoribus gaudet. Ge. II, 451: *Nec non et torrentem undam levis innatat alnus*, *Missa Pado*. H. — Alludit ad Scaphas, παρὰ τὸ σκάπτειν dictas: quod primum grandiora tan-

Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hiadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
Atque alius latum funda iam verberat amnem;

139. *Tum laqueis captare feras, et fallere visco, Inventum.* *Captare*, occupare velle, et unus sensus est divisus interpositione alterius: nam *laqueis captare feras*, ad venationem pertinet; id est, illaqueare feras incurvatis arboribus: *fallere visco*, ad aucupium: Item ad venationem: *Et magnos canibus circumdare saltus.* Primo de nautis, et navigio invento: postea de venatione dixit: mox de piscatoribus loquetur: cuncta enim haec necessitas invenit.

tum robora atque solida excavari solebant. *L.* — 137. *numeros et nomina fecit*, ad certum numerum revocavit et nominibus notavit. — 138. *Arctos*, ursa maior, Helice, olim Callisto, *Lycaonis filia*, nota vel ex Ovid. Met. II, 505. — *clara* vero, quippe sidus. Sic sup. vs. 5: *clarissima mundi lumina*. H. *Pleïadas*, Πλειάδας, tetrasyllabum; cf. Propert. III, 5, 36; et Ovid. Metam. I, 670. Pliadum ortu navigatio incipiebat, earundem occasu cessabat. — *Lycaonis Arcton*, ut *Oïleos Aiax* Ovid. Met. XII, 622. *W*.

139. *Venatio* et *aucupium* inventum. Romani et Graeci communi consensu Aristaeum retia invenisse agnoscunt. *V. G.* — *visco* decepere aves, quae hic vocabulo *feras* comprehensae. *H.* — *Viscus* e baccis cuiusdam plantae quae radicibus carens in arborum ramis invenitur. *V. G.* — *Magnos canibus circumdare saltus*. Ita Ecl. X, 56: « non me ulla vetabunt Frigora, Parthenios canibus circumdare saltus. » Quod autem nos *circumdare*, Graeci προςπεριβάλλεσθαι, quo verbo usus est Demosthenes in Phil. I; metaphora sumpta a venatoribus qui, ne ferae elabantur, per vias omnes, atque per omnia effugia silvarum retia circumferunt. Hic pro retibus canes *circumdant*, quia eorum est tanta velocitas, ut currendo feras ex ambitu nemorum exire prohibeant; abire parantes et agitatas intra saltus repellant; atque omnes abitus undequaque latratibus dentibusque exertis clausos et quasi custodia coronatos tueantur. *L.* — 141. *Piscatus* inventus. *funda* βόλος, Ovidio A. A. I, 763, *iaculum* rete in fluvium proiectum; itaque *verberat amnem*, qui iacit. *H.* — Quidam verba *alta petens* cum sequentibus iungi volunt, sed perperam, et contra verborum seriem; adeoque errare mihi videntur et Servius et ipse Heynius, qui de maris piscatione intelligunt *alta petens* (vide notam 139, et Var. Lect. pag. 270, vol. I) quidquid ibi de mutata interpunctione, et *audacia* piscatorum inveneris, non stare potest contra simplicem hanc explicationem: primum fluvios alius funda deiecta *verberat*, sed ita ut *altum*, *imum* amnis fundum extensa *petat*, ad involvendos colligendosque pisces: Gallice, *jeter l'épervier*. Deinde alius, per maria cymbula vectus, longa retia sub undis explicat, et sive piscibus plena, sive

Alta petens pelagoque alius trahit humida lina:
Tum ferri rigor, atque argutae lamina serrae;
Nam primi cuneis scindebant fissile lignum:
Tum variae venere artes; labor omnia vicit
Improbus, et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortalis vertere terram

146. *Et duris urguens in rebus egestas.* Prior est egestas, quam paupertas; paupertas enim bonesta esse potest. Egestas autem turpis est. Persius, in Prol.: *Magister artis ingenique largitor Venter, negatas artifex sequi voces.*

vacua, sed semper humida extrahit. Gallice: *trainer, tirer la seine.* V. G. — *Altus* pro profundus dici, unde *flumina altissima* Caes. B. Civ. III, 77, constat (nam hoc negaverat Heynius. *T.*), nec *alta petere* de flumine dici posse negaverim. *Ima petere* de vino Horat. Sat. II, 4, 57. Est poëticum, quod ia, qui iacit, *alta petere* dicitur, quum fundae hoc tribuendum sit. Quamobrem antiquiorem praefero distinctionem. *W.*

143. *ferri rigorem* poëta pro ipso ferro rigido dixit; sequnti eum Manilius, Prudentius, et alii; intelligitur tamen h. l. usus ferri ad instrumenta procudenda, securim in primis, durati; adiicitur serra, ferro iam in laminas cudi coepto. *H.* — *Ferri rigor.* Durities ferri, unde *enses rigidi* fierent. Ars indurandi ferri, et sub hac specie artes metallicae omnes exprimuntur. — *Argutae serrae.* Stridulae, sonorae, ut *arguto pectine.* Lamina autem serrae, definitio: portio metalli diductior tenuiorque; crassior tamen bractea. De quo Valla IV, 74. Plinius etiam *fagi sectiles laminas* dixit. — *Ferri rigor*: imitatio Lucretii I, 493, qui scripsit, *auri rigor.* — Ovid. Met. VIII, 244, Daedali nepotem *serram* invenisse dicit: ille etiam medio spinas in pisce notatas traxit in exemplum, ferroque incidit acuto perpetuos dentes, et serrae repperit usum. *V. G.* — 145. *venere*, provenere, inventae sunt. — *labor improbus*, pervicax, qui nulla aerumna vincitur; cf. Not. ad 119. *H.* — *Labor improbus.* Vel magnus, vel nulli probabilis; nullus est enim amator laboris: vel indefessus, adsiduus, sine moderamine; ut hanc vocem interpretatur Salmas. in Plinian. exercit. p. 368. *Laborem improbum.* Lucretius appellat *eximium, praestantem,* in initio lib. II: *Noctes atque dies niti praestante labore.* Duas inventarum disciplinarum causas enarrat, diligentiam et paupertatem, de qua post. Saeculo aureo artes necdum erant excogitatae. — Decepti serie narrationis librarii quidam, loco *vincit* scripserunt *vicit;* sed *vincit*, quod Pierius in Mediceo codice reperit, in optimis adest codicibus. *V. G.*

146. *Et duris-egestas.* Multa hominem fames docet, et paupertas experiri iubet, ut P. Syrus. Imo ut Horat. Od. III, 24: *Magnum pauperies opprobrium iubet, Quidvis et facere, et pati.* Et Epist. II, 2, 51: *Paupertas impulit audax Ut versus facerem.* Manil. lib. I: *Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque Advigilare sibi iussit fortuna premendo.* L.

147. Inopia victus homines coëgit

Instituit, quum iam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset robigo, segnisque horreret in arvis
Carduus: intereunt segetes; subit aspera silva,
Lappaeque tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenae.

ad fruges serendas. — *ferro*, vomere ac ligone. — 148. *quum iam silvae*, quae poëtice *diis sacrae* dicuntur, *deficerent* quoad *glandes et arbuta*; et quum *quercus*, cuius generis nobilissimae apud Dodonam silvae, non amplius satis magnam glandium copiam suppeditarent. *H.* — Positura verborum hanc iubet constructionem: *glandes atque arbuta silvae s. deficerent.* Accedit, quod *deficere* cum quarto casu est deserere, relinquere. — *Silva sacra* dicitur, ut singulae arbores, *quercus* Ecl. VII, 13, *pinus* ib. 24. *W.*

150. Redit ad propositum, v. 121. Mox etiam noxae, mala et damna (nam *labor* ut πόνος pro πῆμα, βλάβη) invasere segetes: *robigo mala*, exitiosa, quae culmos exedit. *H.* — *Robigo.* Pulvisculus glutinosus, flavum rubens, qui plantas rodit. Arboribus est exitio et vitibus: si frigore evenit, *uredo* dicitur; si calore, *carbunculus*: Gallice: *nielle*. Haec verba tamen nonnunquam promiscue sumuntur. Deo agresti Robigo, ut alii volunt, deae Rubigini, VII ante kal. maii ex Numae institutione sacra habebantur. Huic Deo rubrum canem sacrificabant; quippe eius diei vespere, Canis stella occidit, cuius vi frumentum et vineae, in vallibus vento carentibus, robigine interibant. *V. G.* — 152. *carduus*, qui et late serpere et semen quaquaversus disseminare solet. *segnis*, qui efficit segne, et retardat, ad quodcumque adhaerescit, tenax; seu (quod praestat) sterilis, infecundus, inutilis. Nam *segnis*, qui motu caret, est etiam qui nil gignit. Sic Ge. II, 37, *terrae segnes*; et Ge. II, 275, *in denso ubere*, solo, *Bacchus non segnior*, vitis non minus ferax est. — *horreret* dicitur cum vi pro cresceret. *Horrere* poëtis omnia, quae erecta stant vel eminent, ut pili in metuentis corpore, notum est; ita et spinosa virgulta; opp. 153 *nitentia culta.* — 152. *silvam* vocat lappas, lolia etc. ut vs. 76 leguminum *silvam sonantem*; ea *subit*, succedit in segetis locum. — 153. *lappae*, Plinius ἀπαρίνην ita reddidit. — *tribuli*, spinae genus, in Italia frequens. — *lolium*, lolium temulentum Linn. — *infelix*, sterile, ut *felix* arbor pro frugifera. Epitheton hoc, tanquam Virgilium auctorem agnoscens, laudat Plin. XXII. s. 77. *avena* pro frumenti vitio olim habita, ut et hordeum in eam degenerare crederent, vid. Plin. XVIII, 44, 1; sed peculiarem herbam sui seminis esse docent recentiores. Respexit h. l. Plin. XVIII, 17, 2: *Nam lolium et tribulos et carduos lappasque non magis quam rubos inter frugum morbos potius, quam inter ipsius terrae pestes numeraverim. Coeleste frugum vinearumque malum, nullo minus noxium, est robigo. Frequentissima haec in ro-*

Quod nisi et adsiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem;
Heu! mágnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma,

scido tractu convallibusque, *ac perflatum non habentibus*; *e diverso carent ea ventosa et excelsa.* H. Constructionem notes suaviter variatam in verbis *intereunt segetes*, quum priora *ut esset robigo—horreret* a verbis *labor additus frumentis* pendere fecisset. Sed nemo in sententiis et temporibus variandis felicior Virgilio. *W*.

155. Pergit, sed variata oratione, alia segetum mala commemorare; glebarum tenacitatem, avium rapinas, arbustorum umbras, et aquarum inopiam. Singulis malis sua remedia subiungit. — 155. De *sarritione* loquitur. Fit ea sarculo, quod h. l. *rastrum*, semente facta, ante occationem; cf. Colum. II, 12. (Non de tenacitate glebarum agitur, sed hic versus ad herbas inutiles et noxias (151—54) est referendus. *W*.) *Quod*, ὃ καϑὸ, quamobrem, *nisi* etc. (*quod nisi* Ecl. IX, 14. Sic *quod utinam* coniuncta leguntur apud Cic. ad Brut. I, 4, 10. *W*.) *insectabere* pro insectatus fueris; ut et reliqua. Sed ita solent poëtae. (Terent. Ad. I, 1, 30: *Nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem*, *aut Audebit*, *tanto magis audebit ceteros*. W.) *assiduis* pro assidue; cf. Tib. II, 1, 51. — 157. frondes arborum umbram facientium amputandas esse dicit; *falce premitur* id, quod secando coërcetur vel tollitur. Horat. I, Carm. 31, 9: *Premant Calena falce—vitem*; cf. Calp. V, 110, 111. — *rus opacum* h. arboribus consitus ager, pro arboribus. — *votisque vocaveris imbrem*, h. nisi pluviae tibi votis obtigerint. — 158. Messem parcam fore monet Virgilius. Ex Hesiod. Ἐργ. 394, 395: ὥς τοι ἕκαστα Ὡρί' ἀέξηται, μή πως τὰ μεταξὺ χατίζων Πτώσσῃς ἀλλοτρίους οἴκους, καὶ μηδὲν ἀνύσσῃς.

160—166. De *instrumentis* operis rustici agit: primum *vomer* s. *vomis* et *aratrum robustum*; tum *plaustra* bobus iuncta; unde *volventia se*, *tarda*, pro tarde, quae volvuntur, tracta a bubus, et aguntur tarde rotis parvis iisque solidis, sine radiis (tympana appellant, II, 444), cuiusmodi rotae etiamnum in Lombardia visuntur. *Cereri* sacra, quippe a qua omnino operis rustici ratio profecta. *Tribulum* fit e *tabula lapidibus aut ferro asperata*, *quo* (quae) *imposito auriga aut pondere grandi trahitur iumentis iunctis*, *ut discutiat e spica grana* Varro R. R. I, 52, 1. Vsus eius adhuc inter Turcos. *Trahea*, s. traha, vehiculi genus sine rotis; iungit cum tribulo etiam Colum. II, 21. *rastri* admodum magno pondere; puta dentibus ferreis. Item, pergit poëta, reliqua *supellex* quae ex *viminibus et materia rustica*, ut Varro ait I, 22, 1, h. e. *vili* fit. Referuntur autem ad illam supellectilem *crates* et *vannus*, cuius usus erat in mysteriis Eleusiniis; portabatur enim in pompa Iacchi, quae certo Eleusiniorum die ex Ceramico Eleusinem ducebatur. Ceterum Hesiodi locum

Quis sine nec potuere seri nec surgere messes:
Vomis et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheaeque, et iniquo pondere rastri;
Virgea praeterea Celei vilisque supellex,
Arbutae crates et mystica vannus Iacchi.
Omnia quae multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.

163. *Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra. Eleusin* civitas est Atticae provinciae, haud longe ab Athenis: in qua quum regnaret Celeus, et Cererem, filiam quaerentem, liberalissime suscepisset hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturae: filium etiam eius Triptolemum recens natum per noctem igne fovit; per diem divino lacte nutrivit: et eum alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit, ad usum frumentorum hominibus indicandum. *Volventia* autem *plaustra*, id est, volubilia: *Eleusinae matris*, id est, qualia ostendit Ceres apud Eleusina; aut certe, qualibus mater deum colitur; nam ipsa est etiam Ceres. Romae quoque sacra huius de plaustris vehi consueverant; *volventia* autem quae volvuntur, quod venit a volvo, non volvor.

165. *Virgea praeterea Celei vilisque supellex.* Id est, vasa de vimine, qualia Ceres Celeo aliquando monstravit, ut qualos, corbes, et caetera: *vilis* autem supellex, quoniam de genistis, vel iunco, vel alba vite solent fieri: sane haec, et corbis, dicendum est foeminino genere, secundum Tullium, qui ait, in Sestiana: *Messoria se corbe contexit. Supellex* autem usurpatum est; nam artis est, haec supellectilis: Genitivus enim aut par debet esse nominativo, aut una syllaba maior, ut musa, musae: doctor, doctoris. Si duabus maiorem invenerimus, contra artem id esse, manifestum est: ut anceps, praeceps, et pauca alia.

ante oculos habuit Virgilius ex Ἐργ. 423 sqq. Etiam notandum versu 161, *nec potuere* esse pro *nec possunt*. H. — 166. *mystica vannus Iacchi. Vannus*, cribrum Cereale, sive ventilabrum, quo frumenti retrimenta ad ventulum excutiuntur et evannantur. I. Philargyrius ait: *Vannus* est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, et Libero sacrum facere: unde *mystica* dicitur. Alii es eo, quod Isis fratrem *Osirin*, id est, Bacchum, a Typhone fratre in frustra quinque et viginti discerptum, vanno collegit, i. e. cribro, ut hac de causa forte adhibita sit vannus in mysticis et arcanis et Bacchi sacris. *L.*

167. Ex Hesiod. Ἐργ. 457, τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν, οἰκήϊα θέσθαι. *memor* ad ornatum adiectum, ut ibid. vs. 422 μεμνημένος, providus, non omittens et obliviscens; cf. Colum. 1, 8, 8. — *provisa repones*, ornate pro providebis. — 168. Si satis magnam ex opere et re agresti laudem consequi cupis. *H.* — *Divinum* appellat rus, quod id Dii, et

Continuo in silvis magna vi flexa domatur
In burim et curvi formam adcipit ulmus aratri;
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo;
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.

170. *In burim.* In curvaturam, nam *buris* est curvamentum aratri, dictum quasi Βοὸς οὐρὰ, quod sit in similitudinem caudae bovis. Alii buram curvaturam temonis quae supra est, et quod est infra, ursum dicunt; buris enim ut curvetur, ante igni domatur et amburitur; unde et quae naturaliter inveniuntur curvae, ita dicuntur.

171. *Huic.* Aratro scilicet. —*A stirpe.* A radice, vel ima *buris* summitate, —*Temo.* Ad quem ligantur, vel iunguntur boves. —Lignum, quod ad iugum inter equos vel boves excurrit. —*Pedes protentus in octo.* Subaudi aptatur.

olim, et nunc, praesentia sua, maximis afficiant honoribus et beneficiis. *Lem.*

169—175. De partibus *aratri* singulis agitur. *Continuo*, principio (v. ad vs. 60) ulmus in *burim* inflectenda est, quod statim in ipsis silvis fit, quum ulmus a rustico ita incurvatur, ut curva adolescat; cf. Hesiod. 427 sq. Est autem *buris* seu *bura* proprie pars aratri veteris postica, tignum incurvatum, cui et temo iunctus est et *vomer* ipse, h. e. lignum seu ferrum rostratum glebas eruens. Huic buri *a stirpe*, in inferiore parte trunci, temo, ἱστοβοεὺς, *pedum octo*, tum aures et dentalia iunguntur et aptantur. *Aures* esse videntur prominentiae duae, sive affixi utrimque asserculi aut ferramenta, quibus sulcus latior efficitur, et lira seu porca altior. Hinc Palladius I, 43, 1, *aratra aurita* memorat: *Aratra simplicia, vel, si plana regio permittit, aurita, quibus possint contra stationes humoris hiberni sata celsiore sulco attolli*—*Dentale*, ἔλυμα, interpretabar cum aliis, duce Servio, lignum, quod vomerem recipit, cui vomere induitur; sed quomodo aut *duplici dorso* aptari vel potius ipsum *duplici dorso* esse posset, difficile dictu erat. Nunc meliora edoctus in eam sententiam libens concedo, ut *dentale* sit ipse vomeris dens, qui solum infringit; uti a Columella iunguntur vomer et dentale lib. II, 2, 24. *Duplex* autem eius *dorsum* ad duo vomeris crura referemus. Mox *iugum* ac *stiva* s. manica conficienda esse dicitur, *quae currus imos a tergo torqueat*, h. aratrum ipsum, rotis subnixum; quod Gallis peculiare fuisse et Serv. h. l. notat et Plin. XVIII, 48, p. 123, l. 23, modo Harduini interpolationem ne admittas. *H.* — Vir clarissimus Voss. suis notis ad hunc locum adnexuit tabulam, quae plura exhibet aratra, varie *aurita*, dentalibus alia simplicibus, alia duplicibus armata, et vomere vel lato vel acuminato instructa, sed omnia, praeter unum Virgilio alienum, *rotis* et cultro *carentia*: eadem excerpsit e veteribus nummis celeberrimus Graevius in sua Hesiodi editione. Constat etiam *Dentale* apud Tarentinos saepe onerari perforato lapide, quem traiicit *stiva*, id est manubrium, quo regitur aratrum. Unde libentius, pace Servii et aliorum, concludam, non hic legendum esse *currus imos*, sed *cursus*, ut ferunt duo antiquissimi

Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus
Stivae, quae cursus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus.

173. *Iugo*. Id est, ad iugum. —*Levis*. Ideo levis, ne boves laborent.
174. *Stiva*. Manica aratri, qua regitur gubernaculum. — *Currus imos*. *Currus* autem dixit, propter morem provinciae suae, in qua aratra habent rotas, quibus iuvantur.

Bibliothecae Regiae codices, inscripti 7925 et 7926. Itaque geminam hanc explicationem legentibus proponendam censui: 1.º Agricola stivam manibus tenens, postquam longum ad estremitatem agri sulcum perduxerit, flectit et *torquet* boves aratrumque *a tergo*, ab estrema eius parte, ad alium sulcum de integro perficiendum, donec totum incoeptae arationis opus absolverit: quisque sulcus pars est *percurrendi* laboris; et sulci confecti finis est *cursus* extremus, vel *imus*: nam Cicero, pro Rosc. Com. 20, *imos* ungues; Horatius Art. Poët. 32, *imum* fabrum, in estrema vici parte habitantem; Ovidius de Nuce 62, quae *imum* agelli *fundum* habet, et praetereuntibus per vias prosimum; Plinius *imum* pedem, II, 45; eodem sensu, quo Graeci ἐσχατιὰν, quo Noster *imos cursus*, diserunt. 2.º *Stiva*, quae fortiter comprehensa manibus agricolae, regit postremam aratri partem, *a tergo* boum, ab extremitate temonis inserti burae; et nunc in rectum vel in obliquum, nunc ad summum vel in *imum* solum, aratri vomerem *torquet*, flectit, sublevat, imprimit; unde haec omnia potuit vocare poëta *cursus imos*.

Quemcumque sensum tuearis, illud antiquis nummis, et Varronis atque Columellae silentio constat, *rotis* caruisse Virgilianum aratrum, et quum nulli sint sine rotis *currus*, lectionem *imos cursus* alteri praeferendam. *L.*— Mihi etiam sic videtur, et *cursus* et *Stivae* recipio. *T.*

Idem vir clarissimus, cuius sententiam ad vs. 48 supra memoravi, haec omnia confirmando addit, hodie etiam videri in australibus Galliarum provinciis multa eiusmodi aratra sine *rotis*, et qualia Romani quondam huc attulerunt. *L.* — *Stiva*, pars extrema aratri; est haec manica, cuius ope vomer infixus solo, dirigitur, sublevatur, altius imprimitur et circumflectitur arbitrio coloni, qui omnes motus aratri, nunc *imus* vel summos, nunc rectos aut obliquos *cursus*, a *tergo*, id est, estremitate buris *torquet*, et manibus ad arbitrium regit. *C.* — *altaque fagus*, *stivaque*. Martinus emendavit *altaque fagus stivae*, recepit H. Vossius. Bene. Nam copula in *sitivaque* ferenda non est. *W.* — *Robora* vero, h. materia seu lignum, unde haec conficiantur, *fumo durata* esse debent; cf. Hesiod. Ἐργ. 45. 629. —*explorat* videtur esprimere naturam fumi, quum lente per minutas particulas sese insinuat, ut *iter*, *vias*, *tenebras explorare* dicimur. Potest tamen etiam dictum esse, ut poëtis alias *probare*, ut de bonitate ligni inde constet; nisi enim firmum et probum sit, exarescens rimas aget. Ceterum advocant viri docti Hesiod. Ἐργ. 427 sqq.; mihi tamen aratri, quod ibi describitur, et cuius forma ex antiquis codd. tum in vulgaris Hesiodi editionibus tum in Montfauc. Palaeo-

Possum multa tibi veterum praecepta referre,
Ni refugis, tenuisque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti aequanda cylindro,
Et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat;
Tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodere cubilia talpae;

178. *Area cum primis.* In primis. — *Ingenti aequanda cylindro, Et vertenda* etc. Haec per hysteron proteron posuit, prius enim est, ut manu terra vertatur: deinde solidetur glarea; postremo aequetur *cylindro*, id est, lapide tereti, in modum columnae, qui a volubilitate nomen accepit: κυλινδεῖν enim est vertere. Sane area locus est vacuus, aut natura, aut studio factus, ne quid inde edi nascive possit, quasi qui exaruerit. *Cum primum* autem, id est, interea, quod maxime necessarium est, vel inter prima opera et officia.

183. *Aut oculis capti fodere cubilia talpae.* Hoc est, oculis debiles; quum enim talpae caeci nascantur, quomodo capti oculis? illi enim capti dicuntur,

graph. Gr. p. 9 exhibetur, alia forma esse videtur et ab h. l. diversa.

178. *Ingenti aequanda cylindro.* Columella II, 20; Palladius VII, 1; Varro I, 51; Cato 91, 129, aiunt aream solida terra, maxime creta vel argilla esse conficiendam, et amurca conspergendam, tunc premendam esse rotundo lapide, vel columnae fragmento cuius volutatio eius spatia solidare possit. Plinius XVIII, 71, ait: *maiore ex parte aequant tantum, et fimo bubulo dilutiore illinunt; id satis ad pulveris remedium videtur.* V. G.

180—186. Observa, quanto cum ornatu et copia haec dicta sint; alioqui mures, talpae, bufones aliaque reptilia, nec non curculiones et formicae nocent frumento. — *neu pulvere fatiscat. Fatiscere* proprie est viribus fractis deficere, solvi, laxari, dilabi. Ita Aen. I, 123, *naves rimis fatiscunt*, solvuntur compagibus, ita ut rimae fiant. Inf. II, 249 terra pinguis ac tenax *haud unquam manibus iactata fatiscit*, solvitur, dilabitur in grumas. *Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo*, Aen. IX, 809, *Saxis solida aera fatiscunt*, repetitis ictibus galea rumpitur. Itaque et h. l. est, ne area, aestu, quo terra in pulverem solvitur, *fatiscat pulvere*, in pulverem solvatur et attenuetur. — *victa* ornatus causa adiectum. *Ne in rimis grana oblitescant, et recipiant* (illae) *aquam, et ostia aperiant muribus atque formicis*, ut Varro I, 51.— 181. *tum variae illudant pestes*, h. ne varia animalcula nociva invadant, clam subeant (quod eleganter *illudere* dicitur, cf. Ge. II, 375), et hac ratione eludant operam et curam agricolae. — *exiguus mus*, non hoc de certo genere accipiendum, sed *exiguus* est epitheton ornans. Clausula versus iam Quintiliano VIII, 3, 20 mire placuit. *H.* Similem vid. Hor. Poët. 139, et Aen. III, 390. *W.* — 183. *fodere cubilia.* Quia semper defossae vivunt. Plin. IX, 61: *Argu-*

Inventusque cavis bufo, et quae plurima terrae 184
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectae.
Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentis:

qui aliquando viderunt. Et mutavit genus: nam haec talpa dicitur; sicut etiam de damis fecit: ut, *Et timidi venient ad pocula damae.*

186. *Curculio.* Varro ait hoc nomen per Antistichon dictum, quasi gurgulio, quoniam pene nihil est nisi guttur (Gall. *Calandre, Charançon*). — *Inopi metuens formica senectae.* Senectus semper alienum requirit auxilium: nam *inopi*, non tantum ad formicam pertinet, sed generale est epitheton senectutis: vel ne inops in senectute sit, et hoc iuxta opinionem poëticam dixit.

mento animalium, quae semper defossa vivunt, ceu talpa. Et XXX, 7: *Defossas sepultisque similes.* Et X, 88: *Obrutae terra.* — *Cubilia.* Non tantum hominum lectuli, sed et ferarum; et aliarum bestiarum habitacula, sive lustra, ita nominantur. Cic. de Nat. Deor. II, 129: *Vt bestiae in cubilibus delitescunt, gallinae avesque reliquae cubilia sibi nidosque construunt.* L.

184. *Inventusque cavis bufo.* *Inventus*, pro qui invenitur: et *cavis* hic pro principali positum. — *Cavus*, vel *cavum* caverna est, sive locus excavatus; κοῖλα τῆς γῆς Aristoteli, *cava terrae.* Phaedrus utitur hac voce frequenter II, IV, 4, 17: *Dolosa tuto condidit sese cavo.* III, XVI, 17: *Noctua egressa cavo.* — *Bufo.* Rana terrestris (Gall. *crapaud*). Haec corpore est maxima et nocentissima, et quia saepe moratur in vepribus et rubis, *rubeta* latine, graece φρύνος, vocatur; plena est veneficiorum. Mira de hac rana describit Plinius XXXII, 18. *Idem.* — *quae plurima*, qualia multa, οἷά τε πολλά. H. Conf. Not. ad Tibull. I, 2, 13. *W.* — *populat ingentem farris acervum* expressit Columella II, 20, ubi de amurca, qua aream conspergere solebant veteres: *nam ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit;* cf. Prudent. in Symm. I, 1052. *H.* Cf. Aen. IV, 402: *formicae farris acervum quum populant.* — *frumentum* enim *populare* dicuntur formicae, quum id ablatum in tecta sua congerunt. *W.*

187—192. Ornatus locus. Vt de futuro anni proventu iudicari possit, observandum esse dicit, an nux *amygdala*, quae primo vere floret, abundet multo flore; ita enim magnam fertilitatem anni fore: sin pro flore arbor foliis luxurietur, messem fore malignam. Est autem *nux*, generis nomen, h. l. de amygdala accipiendum ex aliorum scriptorum praeceptis. — *Contemplator*, τεκμαίρου Graeci poëtae, ut Nicand. Theriac. v. 396, φράζεο vs. 438. — *Nux induet se in florem*, usitatius esset *induit se flore*, ut saepius apud Auctores R. R. v. c. Columell. IV, 24, §. 12, *induunt se uvis n.* vites, h. vestiunt se; et inf. Ge. IV, 142: *Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos Induerat;* verum etiam Aen. VII, 20: *Quos — Induerat Circe in vultus atque ora ferarum.* Tum *nux plurima* vel nux, quae multa est in silvis, h. quibus silvae abundant, vel, quod melius,

Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore:
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequidquam pinguis palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius et nigra perfundere amurca,
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset,

ut sit, quando nux *plurimum*, h. quum maxime, induit. Ge. II, 166, Italia *auro plurima fluxit*; cf. Ecl. VII, 60. — *fetus*, quorum maior copia est, poëtice pro ipso flore dicti, *tritura* pro messe. *H.* Proprie dixit Virgilius. Laboriosa tritura magnum frugum sequitur proventum. *veniet*, agricolis. *W.* — *umbra* est arbor ipsa umbrosa, frondosa. *H.* — Et hic proprie loquutus est Maro. *exuberat umbra* etc. est: abundat umbra, effecta per luxuriam foliorum. *W.* — *pingues palea* h. e. abundantes palea, non granis. *H. pinguis* eum sexto casu iunxit Iuven. III, 247: *pinguia crura luto.* W. Simplicissimum mox ut iungas *nequidquam teret. Area teret culmos*, poëtica ratio non infrequens pro: culmi terentur in area, inf. 298; vid. ad Tibull. I, 5, 22.

193. *Semina* leguminum fructusque qui siliquis continentur, intellige; nam paullo post *siliquis fallacibus*; et confirmat Plin. XVIII, 17, (45) et Colum. II, 10, 11; III, 10, 18, qui Virgilium de faba loqui affirmant; conf. Pallad. XII, tit. 1; Geopon. II, 35. In aliarum frugum seminibus idem tentatum, v. c. in tritico Plin. XVIII, 73; amygdalis vid. Pallad. II, 15, §. 7. *H.* — *Semina vidi* etc. Servius de leguminum seminibus, Cerda de fabis solis explicant, quos Heynius sequitur; ego autem de tota agricolationis ratione de variorum seminum maceratione et annuo delectu, inter quae fabarum ut frumenti, et aliarum frugum semina ante sationem *medicantur*, *nitro perfunduntur*, ut alienis succis et salibus contra vermes munita, citius in sulco progerminent, et grandiores foetus e terra emittant; seliguntur maxima, quotannis, et manu sigillatim multisque curis explorata, ne degener seges oriatur: nec me movet quod Columella et Plinius ab Heynio in notis invocati de faba tantum loquantur: cetera omiserunt, sed non excluserunt. De *siliquis* autem tanquam ad legumina sola pertinentibus idem sentio quod Hallerus, nimirum has dici posse de glumis, seu granorum omnium involucris, in primis si poëtica scribantur. Non urgebo eos qui ad *faciliorem* leguminum *coctionem* igni properata et madentia referant: procul hinc artis coquinariae interpretes et ministri! *L.* — *medicare*, inficere, macerare succis alienis. 196. Solere ait, legumina serenda a multis humectari et macerari, ut inde nata aliquando celerius coquantur. *Siliquae fallaces*, quia saepe folliculi, quum inanes sunt, maiores videntur. *H. fallaces* epitheton inde petitum, quod siliquae vel folliculi grandes, fetus saepe parvos reddunt; vid. Not. ad Tib. II, 1, 19. *W.*

Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.
Vidi lecta diu et multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quot annis
Maxuma quaeque manu legeret; sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri;
Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis

201. *Non aliter, quam qui adverso flumine lembum.* Ostendere vult usque ad perfectionem laborari debere, nec tantum laborem procedere, quantum levem remissionem in deterius cuncta deducere. — *Adverso flumine.* Contra vim et cursum fluminis

— *maderent*, mollita, coquerentur *igni*, quamvis exiguo; cf. Plaut. Men. II, 2, 51: *iam haec madebunt. H.* — 197. *vidi* quum rem adiicis novam, verbum priore periodo usurpatum repetens copula non indigebis. Praecessit autem *vidi*. *W*. — *Lecta*, id est, cum labore electa. — *Spectata*, probata, dum leguntur, explorata; ut, *Et rebus spectata iuventus.* Frequenter apud Ter. *spectare* pro probare. — Praeceptum a Didymo, Geop. II, 17, relatum, semen ésse transferendum ex frigidis locis in calida, ex praecocibus in serotina, reiicit Plin. l. XVIII, 54: quo facto non magnam ap. nostros agricolas auctoritatem consequutus est. *V. G.* — 199. Grandissima semina legi nostri poëtae auctoritate iubet Colum. II, 9, §. 11, 12; cf. Varro I, 52. Suaviter a poëta in re tenui gravissima sententia generalis interponitur; omnia mortalia in deterius vergunt, nisi continuam curam iis tuendis adhibueris. — *vis humana*, hominum opera, h. homines habuit in animo Lucret. V, 207, 208: *Quod superest arvi, tamen id natura sua vi Sentibus obducat, ni vis humana resistat.* — 200. Aen. II, 169: *Ex illo ruere et retro sublapsa referri Res Danaum*, ubi vid. Not.

203. *Atque* iam Gell. X, 29 et Serv. interpretati sunt *statim*. Est antiqua loquendi ratio. In XII tabulis: *Si in ius vocat atque eat*, ubi vid. Intpp. Etsi ita facere necesse non duco, modo suppleas: *Non aliter, quam is retro sublapsus refertur*, qui navigium agit—*atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.* Alia ratio verba ordinandi: *non aliter quam si is, qui—subigit, remisit forte brachia, atque alveus rapit illum* lembum. *H.* Priorem ex posterioribus sequor, quippe simplicissimam et poëticam: *non aliter quam* (h. e. sicut) refertur is, *qui—subigit, si* remisit *brachia*, atque *alveus illum* (lembum) rapit. Ita *atque* propriam retinet significationem, sicut *et* Ge. I, 513. *W*.

204. Agricolis siderum ortus et occasus non minus sunt servandi quam navigantibus; vid. Colum. XI, 7, 31. Posterius ornat: iis, qui in Pontum et Hellespontum navigant. *H.*—

Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris iam dividit orbem,
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis
Vsque sub extremum brumae intractabilis imbrem:

205. *Hoedorumque dies.* Bene autem hoedos Arcturo iunxit, qui et ipsi pluvias faciunt; et alibi, *pluvialibus haedis.* — *Servandi.* Observandi. Auriga signum est, haud longe a septemtrione, cuius pedem cum cornu tauri una stella coniungit: quem aurigam pater Mercurius inter sidera locavit. — *Lucidus anguis.* Tres sunt angues in caelo; unus qui inter septemtriones est: alter Ophiuchi: tertius Australis, in quo sunt Crater et Corvus, de quo nunc proprie ait *anguis:* nam ὕδρα dicitur graece. Et scimus *angues* aquarum, terrarum *serpentes.* Haec autem signa generaliter posuit; non enim haec tria tantum, sed omnia praecipit observanda.

208. *Libra die.* Hic iam incipit disputare de cognitione temporum ex sideribus. — *Die.* Non est Apocope, pro diei: sed secundum antiquos regularis genitivus est. Nam, ut saepe diximus, obliqui casus numeri singularis, nominativo plurali maiores non debent esse: quod verum esse Sallustius probat, qui in prosa ait · *Dubitavit acie pars.* Plautus in Amphytrione: *Neque nox quoquam concedit die*, pro diei. Sed modo, dies, diei, dicimus: unde iusta praesentem usum, *die* posuit pro diei.

Arcturus; stella Bootis maior, prope caudam Vrsae: nonnunquam integer Bootes dicitur *Arcturus.* — Hoedi Stellae sunt iuxta aurigae brachium positae. *V. G.* — 207. *tentare* est adire. Ge. III, *tentanda via est* etc. quamquam proprie ad iter ignotum et periculosum referri debuit. — *Abydus* ostreis nobilis. Ex sideribus vero poëtico more sigillatim aliquot septemtrionalia enumerat, quorum cum ortu procellae ingruunt. *H. vectis* et vehentibus. Commode laudat H. Vossius Aen. VI, 335. Add. Aen. I, 481: *tunsae pectora*, quae tundunt pectora, et infr. I, 293, *solata*, solans. *W.*

208. Ab aequinoctio autumnali usque ad brumam hordei sationem esse ait. Pulcritudo loci ex forma sideris, *librae*, petita, obvia, quam multi imitando assequi studuerunt, in primis Lucan. IV, 58, 59; VIII, 467—469; Colum. X, 42. Cum *paribus Titan orbem libraverit horis.* — *somnus* pro nocte. — *Libra*, h. sol in Libra constitutus, *dividit orbem*, h. coelum, *medium luci atque umbris*, h. partitur orbi, caelo, diem et noctem, in linea aequinoctiali constitutus, quum nec versus arcticum neque antarcticum polum processit, neque alterutri parti longiores dies noctesve attulit. — *bruma intractabilis*, dura, aspera, ut alias *indomita*, quae vix vinci, superari, tolerari potest. Sic melius, quam ut sit, in qua propter frigoris rigorem nulla res tractari, agi, potest. — *extremum imbrem* noli urgere; usque ad solstitium brumale.

Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere, et iamdudum incumbere aratris,
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres

Est cogitandum de coelo Italiae, in quo hiemale tempus magna sui parte pluvium est, quodque nobis brumale frigus est, illic sunt pluviae brumales. Seritur autem hordeum auctumnali tempore in terris benigniori coelo subiacentibus. Colum. II, 9 et al.; Varro I, 34; Plin. XVIII, 10, §. 1: hinc messis nec minus maturior.

212. De *lino* diversa idem Plinius, etiam de Transpadanis, tradit XVIII, 56. Ad lini autem et papaveris sationem terra aratur, nisi omnino nunc praecipit maturandam esse arationem. — *papaver Cereale*, quia Cereris ornamentum symbolicum esse solet in signis et apud poëtas. *H.* — 213. *Tempus*. Tunc scilicet est. — *Iamdudum*. Quamprimum: dicit, serendum esse eo tempore, non quo pluit, sed quo imminent pluviae. Aeneid. lib. II, 103: *Iamdudum* sumite poenas. *L.* — 214. *nubila pendent*, eleganter e natura rei, nubibus nondum in imbres solutis.

215—218. Vere seritur faba, s. legumina, medica, et milium. *Medica*, herba a Medis advecta per bella Persarum Graecis illata, pabuli genus praestantissimi; trium foliorum est, semperque virens; vid. Plin. XVIII, 43; Strabo lib. XI, p. 796 C. nostrum *Lucerne*. Eius laus et cura ap. Colum. II, 11, §. 2. — *Fabae*, cuius diversum a nostra faba genus, et rotundum ac parvum legumen veteribus in usu erat; vid. Indic. Scriptt. R. R. non idem omnibus serendi tempus, in primis si Columellam lib. II, cap. 10, §. 9 compares. Verum Plinius: *Virgilius eam per ver seri iubet, Circumpadanae Italiae ritu*, XVIII, 12, 30, p. 115. Sed quam varie, quam copiose extulit singula haec poëta! — *putres* sulci, fractis et comminutis crebra aratione, stercoratione et frigoris penetrabili vi, glebis; v. Ge. II, 201 et al.; Colum. II, 11, 3: *Locum, in quo Medicam proximo vere saturus es, proscindito circa kalendas octobris, et eum tota hieme putrescere sinito* rel. *Milium* non vere modo sed et aestate et hieme serebatur; unde calumnia Senecae Epistol. LXXXVI. Vere tamen commodissima satio; vid. Colum. II, 9, 18; XI, 2, 33; Pallad. IV, tit. 3; Geopon. II, 38. — *milio venit annua cura* poëtica copia dictum quidem pro: milium seritur; vid. Colum. II, 9 extr. *H.* — *Et milio* etc. Seneca Ep. 86, Virgilium tangit, tanquam agrariae rei parum peritum; quoniam scripsisset milium et fabam sub idem tempus seri: sed mehercle calumniatur, aut ludit iste Socrates: immo illud facit. Milium ex iis est, quae trina tempestate anni seruntur, aestate, hieme, vere: in Italia tamen plurimum aestate: quam solam sationem ibi Seneca agnoscit. At tu vide Plinium XVIII, 7; et liberabis facile Virgilium huius culpae. *Taubm.* — Secundum eundem Plinium XVIII, 66, milium non ante Vergiliarum ortum serendum, quo tempore vespere per arva lucent cicindelae, id est, animalcula volitantia per herbas, et instar stellularum micantia. *V. G.*

Adcipiunt sulci, et milio venit annua cura,
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis,
Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur,

— *Annua cura*. Post medicam, quae semel sata durat, iuxta Palladium, lib. V, tit. 1, annos decem, et quae per annum quater et sexties demetitur, opponit milium quod serendum est quotannis et verno tempore: aliter nulla proventus spes foret. *L.*

217. *Vere—quum*, sole in Taurum ingresso, h. ineunte vere Ad tempora autem designanda amant poëtae siderum motum commemorare, quoniam ea ratio poëticum ornatum admittit. — *Taurus* est signum verni temporis; eum Sol illo tempore adibat IV kal. Maias; cf. Petav. Auctar. Op. de doctr. temp. VII, 3. *Candidus*, quatenus sidus fulgens, clarum, *auratis cornibus*, rutilantibus propter lucidissimas in fronte stellas, *aperit annum*, quum anni tempus id, quo tellus resoluta flores herbasque effundit, tum incipit; sed quam suaviter! emergere sidus Tauri et adscendere caelum tum videri potest; itaque cornibus et capite quasi nixus viam sibi facit, qua specie in asterismis et tabulis Orbis caelestis exhiberi solet. *Canis* vero, Sirius tum occidit heliace, h. occultatur, conspici amplius non potest, sole nimium vicino. Cedit tum *astro adverso* h. e. Tauro, astro ex adverso illi posito; is enim instat cornibus minacibus In sphaera sedet canis, adversam habens Tauri frontem. Huic lectioni auctoritatem addunt codices. Codices alii minus bene habent *averso astro*; quae verba ad *canem*, qui cederet adversus, pertinerent. Colum. XI, 2, §. 36: *XIV kal. maias sol in Taurum transitum facit — Pridie kal. maias Canis se vespere celat.*

219—224. Tritici et farris satio non fit nisi post matutinum occasum cosmicum Pleiadum, et post ortum heliacum Coronae, h. mense octobri. — 219. *Triticum* veterum diversi a nostro generis fuisse statuit Martinus, quod vs. 220 et apud Varr. de R. R. I, 48, 1, *arista* h. acus tenuis e gluma prominens ei tribuatur. Verum eius sunt omnino plures, quas vocant, species. — *Far robustum*, sive cuius praestantia e pondere censetur, ut apud Colum. II, 6, 1, tritici genus *robur* dictum, *quoniam et pondere et nitore praestet*, sive (et hoc verius) quod aëris, ventorum pluviarumque ac frigoris iniurias melius, quam alia frumenti genera, ferre possit; in quam sententiam apud Theophrast. de causis plant. IV, 6, toto capite πυρὸς ἢ κριθὴ inter τὰ ἰσχυρότατα referuntur. — 220. *solis instabis aristis*, frumenti solius, tritici et farris, curam et rationem habebis. — 221. Pleiades seu Vergiliae, *Atlantis* filiae, *absconduntur Eoae*, matutinae, h. occidunt matutino tempore, mane submerguntur in occidentali parte, dum sol interea ab oriente emergit. *Absconduntur* autem (ita laudatis verbis poëtae nostri interpretationem subiungit Columella II, 8, 1) *al-*

Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitae properes anni spem credere terrae.

224. *Invitae terrae*. Quae quasi coacta rusticorum labore, et non sponte, fructus profert: alii, si non suo tempore seratur. — *Anni spem*. Vnde tu annum speres posse deducere.

tero et trigesimo die post auctumnale aequinoctium, quod fere conficitur nono kal. octobris; propter quod intell.. debet tritici satio dierum sex et quadraginta ab occasu Vergiliarum, qui fit a. d. IX kalend. novembr. ad brumae tempora. Columellae sementem etiam citra kal. octobr. fieri placet. Sed v. loc. Idem lib. XI, 2, 77: *XIII et XII kal. novemb. solis exortu Vergiliae incipiunt occidere; tempestatem significat — V kal. novembr. Vergiliae occidunt.* Plin. XVIII, 56, (24): *Vergilius triticum et far a Vergiliarum occasu seri iubet; hordeum inter aequinoctium auctumni et brumam; viciam vero, fascolum et lentem, Boote occidente.* Sed idem diversa fere agricolarum hac in re esse instituta deinceps exponit. Respexisse autem noster Hesiodum putatur in notis versibus Ἐργ. 383, 615. Omnino tenendum, Graecos a Pleiadum ortu, medio maio, aestatem ac messem, ab occasu hiemem cum aratione ac semente duxisse. Locus classicus apud Arat. Phaen. 264, 7; cf. Plin. XVIII, 29; et inf. ad Ge. IV, 231 sqq. — 222. *Gnosia stella Coronae ardentis* est sidus Coronae, novem stellarum, a corona Ariadnes, quam Bacchus caelo affixit, appellatum; erat autem Ariadne Minois, regis Cretae, filia, in qua *Gnosus* urbs; vid. Arat. Phaenom. 71, et ibi Grot. ad imag. pag. 33 sq. *Ardet stella*, dum lucet, fulget; *stella* autem Coronae memoratur, aut quia inter ceteras huius sideris stellas una est luculentissima, omniumque prima conspicitur, aut ut stella sit pro sidere. Si *stella decedere* dicitur, id nihil aliud est, quam occidere aut occultari; cf. 450; verum ad eam anni partem, de qua hic agitur, adultum auctumnum, occasum sideris huius non pertinere, sed ortum, docent astronomi, et qui inde sua petiere: Hygin. Astron. 5: *Haec Cancro et Leone exoriente occidit, exoritur cum Scorpio nonis octobris.* Columella XI, 2, 51; *IV non. Iul. Corona occidit mane;* et §. 73: *III non. oct. Corona incipit exoriri — VIII id. octobr. Coronae clara stella exoritur — III et pridie idus octobr. Corona tota mane exoritur;* cf. Plin. XVIII, 74 pr. Hanc difficultatem (nihil enim codices variant) ita post Servium viri docti, nec tamen, ut totam rem expediant, tollunt, ut stellam oriri et emergere heliace non aliter dicant, quam ut recedat a sole, *decedat*, quo videri iam non possit. Enimvero ita *succedere*, subire, adscendere, oriri, dicitur sidus, non *decedere*. Restat, ut Maronem in erroneum calculum incidisse dicamus. Et ita res se habet. Democriti ea ratio fuit; vid. Geop. II, 14. — 223. 224. ornatissimi versus! *invitae*, quandoquidem, ut recipiat semina, aratione subigenda est.

Multi ante occasum Maiae coepere; sed illos
Exspectata seges vanis elusit aristis.
Si vero viciamque seres vilemque faselum,
Nec Pelusiacae curam adspernabere lentis,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes:
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.

228. *Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis*) Pelusium unum est de septem ostiis Nili, ubi primum lens inventa dicitur; vel ubi optima nascitur. Vnde κατ' ἐξοχὴν loquutus est.

225. 226. *ante occasum Maiae*, h. Pleiadum, e quibus una Maia est. Ad rem Xenoph. Oecon. c. XVII, 2; Columella XI, 2, 80: *Vetus est agricolarum proverbium, Maturam sationem saepe decipere solere, seram nunquam, quin mala sit*; quod et Plin. memorat XVIII, 56. Posterius iam Hesiodus monuerat Ἐργ. 479 sqq. *H.* *aristis*. E codicibus alii *avenis* praeferunt. *W.* —Quidam Plinio consentientes putant semen diutius in terra retentum, degenerare in avenam, unde servandam censeo lectionem *avenis* (Argentorati servatus codex quem nuper legi, eamdem exhibet lectionem. Goldbry.) Ignari quidam, nescientes quid ex voce *avenis* facerent, *Aristis* scripsere, vel *acervis*. V. G.

227—230. Viciae, faseli, et lentis satio sub initium mensis novembris usque ad multam hiemem. In his autem omnibus clementioris coeli nos memores esse fas est. *H.* *viciamque* sub occasu Arcturi, novembri mense incipiente satam esse, ex Plinio XVIII, 45, 37 monet H. Vossius. *W.* — 227. *Faselus* est genus fabarum, quod nobis *Bona porcina* et *Turcica*, propter frequentiam *vilis* dictus. —228. *Lentis* magna praestantia et copia ap. Aegyptios; vid. Plin. XVIII, 31; epitheto igitur ab Aegypti urbe petito ornatur. *H.* — Lentium apud Plinium lib. XVIII, 12, duo memorantur genera, alterum rotundius nigriusque, alterum sua figura, id est, vulgare, ad Pelusium Aegypti maxime coluntur. Immensa navis qua Caius obeliscum ex Aegypto Romam vehi iussit, 120,000 lentium modios pro saburra habebat. *V. G.* —229. *Bootes*, qui et Arctophylax cum stella Arcturo, occasu suo tempus serendae viciae *certum* indicat. Colum. XI, 2, 78: *IV kal. nov. Arcturus vespere occidit.* Add. Plin. XVIII, 74. Vide de *lentis* satione Colum. lib. II, cap. 10, §. 15, et Plin. XVIII, 31 cum Emendat. Hard. XII; Palladius XII, 1, 1: *novembri — nunc seritur prima lenticula.* H. — *Incipe* etc. Omnia complexus est tempora: et vernum scilicet, quo legumen seritur: et autumnale, quo frumentum. — *Epilogus* universae sationis et vernum et autumnale tempus complectens. Porro videtur Plinius Maronem vellicare, quod rusticos ab sua terra in caelos erigat, istamque scientiae sideralis subtilitatem imperitis praemonstret; XVIII, 24, et 25, et 26, et 27, ubi Naturam inducit, agricolas ita castigantem: *Cur caelum intueris, agricola? cur sidera quaeris, rustice? Ecce tibi inter herbas tuas spargo speculares*

Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi sol aureus astra.
Quinque tenent coelum zonae: quarum una corusco
Semper sole rubens et torrida semper ab igni;
Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur,

(alii *peculiares*) *stellas*, *easque vespere et ab opere disiungenti ostendo* etc. *Cur altius spectas*, *ipsumque caelum scrutaris? Habes ante pedes tuos*, *ecce*, *Vergilias* etc. — Operae pretium fecerit, qui ordine omnia ibidem legerit. Sed dicamus Plinio, Virgilium agricolae suo praecipere non exactam Astrologiae subtilitatem, sed *annua illa Astrologiae breviaria*, quae nos arabico vocabulo ALMANACH vocamus. *Taubm.*

231 sq. De zonis caeli et zodiaco. Vt ad anni vices et siderum ortus et occasus tempora operis rustici definiri possint, solem certum per caelum cursum tenere ait vs. 231—256.

232. Ambiguum, fere ut vs. 6 in voc. *caelo*, cui verbo *mundi* iungendum sit. Optimum factu esset iungere *orbem mundi*, quo ipsum caelum declararetur; ut *orbis caeli*, *terrarum*, et *orbis mundi* etiam apud Manilium; hunc *regit sol per duodecim signa*, quatenus facto per ea decursu constituuntur ea, quae in caelo sunt, siderum motus ac tempora. Verum ordo, quo verba collocavit poëta, iubet copulari *mundi astra*, ut passim *sidera caeli*. Adumbravit autem haec poëta ex Eratosthenis versibus, apud Heraclidem Ponticum de Allegoriis Homer. p. 476; cf. Tibull. IV, 1, 151 sqq.

233. *Quinque tenent caelum zonae.* Ab aëris temperie *Terra* distinguitur *in quinque zonas*: Latini *Cingulos*, *Fascias*, *Plagas*, *Circulos*, nuncupant. Nam aëris qualitas vel est *Aestuosa*, vel *Temperata*, vel denique *Frigida*. Aestuosa quidem plaga iis, quibus Sol supra verticem et perpendiculum ipso meridie consistit. Ea *Zona Torrida* καυματώδης vocatur. Senecae in Herc. OEt. act. III, *Lux acerba* dicitur. *Temperata* εὔκρατος, ubi, ut Naso ait, *Mista est cum frigore flamma*: et quo Sol non ita accedit, ut eam torreat; nec tantum abest, ut perpetuo gelu rigeat: atque haec duplex est, *Aquilonaris* et *Austrina*. Tandem *Frigida*, quae quum Sol ibi plurimum a vertice sit remotus, perpetuo rigore premitur: estque et ipsa duplex: *Arctoa*, sub Arctico polo; et quae huic sub *Antarctico* opposita. Porro negatum ab omni aevo multis est, *zonam Torridam* habitari: sed hodiernae navigationes et experientia docet, sub Aequatore commodissime iucundissimeque, et tanquam in terrestri Paradiso (quem et hic quidam ausi ponere) vitam homines vivere. Sub *Tropico* tamen molestius habitari, praesertim sub Capricorno. *Frigidas zonas* autem parum habitari. De quibus omnibus accuratissime disputat *P. Merula lib.* II, *Part.* 1, suae Cosmographiae. *Taubm.* — 235. *extremae* sunt in extremis partibus positae, et *trahuntur* est plenius pro *sunt*; ducuntur enim circuli paralleli (*trahuntur*, pro extenduntur, aut sine intermissione

Caerulea glacie concretae atque imbribus atris:
Has inter mediamque duae mortalibus aegris
Munere concessae divum; via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeasque arduus arcis
Consurgit, premitur Libyae devexus in austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.
Maxumus hic flexu sinuoso elabitur anguis

241. *Consurgit; premitur.* Deest *ita*; *ut* ad Scythiam consurgit, *ita* premitur in Austros. Quoniam Noticus circulus totus infra terram est; et premitur, quasi deprimitur.

244. *Maximus anguis.* Vel quia ipse caeteris est maior, vel quia ad Scythiam, vel quia inter duas arctos. Sane hunc draconem quidam occisum,

vertuntur. *S.*) —236. *concretae* proprie quidem tantum *glacie*, sed eadem tempestas *atros imbres*, ὄμβρους ζοφόεντας, affert, et recte adiuncta ad idem verbum referuntur. Eratosth. l. l. Αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι. — 237. *aegris* eum delectu h. l. positum epitheton pro miseris; δειλοὶ βροτοὶ Homeri.

238. *Via secta per ambas.* Zodiaci descriptio; et mox poli arctici et antarctici. Quae sequuntur, facile e sphaerae caelestis doctrina intelliguntur. *H. obliquus ordo.* Via solis est obliqua. Hinc Ovid. Met. II, 130: *Sectus in obliquum est lato curvamine limes.* Add. Propert. IV, 1, 84: *obliquae signa iterata rotae* vocantur signa Zodiaci. *W.* — *per ambas*, inter, ut vs. 245, *per duas Arctos*; v. Macrob. in Somn. Scip. II, c. 8.

240. *Mundus* et hic pro caelo. — *arces* poëtis omnino pro locis excelsis, et pro montium iugis. v. inf. IV, 461 et saepe. *H.* Et *arx Pangaea* Val. Fl. I, 575 dixit. *W.* — 241. *premitur devexus* ornate pro vergit, ut *consurgit*, elevatur. — 242. *Hic vertex*, polus arcticus, *nobis semper sublimis*, conspicuus. *H.* — *illum sub pedibus*, perperam interpretantur *nostris*: cui interpretationi oppositio *at illum* repugnat. Madridensis codicis scriptor loco *videt*, *tenet* admisit. *V. G.* — 243. Pulcerrime pro: polus antarcticus latet, οὐκ ἐπίοπτος, ut Arat. Phaenom. vs. 25, unde haec expressit Virgilius, *non cernitur*, ut ἀϊδής. at suspiciunt illum, eodem modo ut nos polum caeli arcticum supra caput nostrum suspicimus, inferi, qui subter terrarum orbe Orcum et Tartarum habitare putantur. Igitur iungenda: *illum sub pedibus*, qui nobis est sub pedibus. Alii iungunt *vident sub pedibus*, vident subter se polum antarcticum, ei insistunt. Ita sequeretur, poëtam Ἀΐδην in medio terrae collocasse, quod a communi poëtarum ratione alienum. *H. Man. profundi*, cf. Not. ad Aen. IV, 387. *W.*

244. Adiungit nunc quae insunt utrique polo, ita tamen ut dilabatur

Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui.
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,
Semper et obtenta densantur nocte tenebrae,

et inter sidera conlocatum a Minerva dicunt: alii hunc esse, quem Hercules custodientem mala aurea Hesperidum occidit. — *Hic.* Pro illic.

246. *Oceani metuentes aequore tingui.* Hoc refertur ad fabulam: nam hae duae pellices Iunonis fuisse dicuntur: quas postquam Iupiter in siderum retulit numerum, Iuno rogavit Tethyn suam nutricem, ne unquam eas pateretur occidere: unde nunc *metuentes* dixit, scilicet nutricem Iunonis. Sunt autem hae, Helice, et Cynosura: de Helice Lycaonis filia, amata a Iove, et a Iunone in ursam mutata, supra dictum est. Cynosura quod caudam caninam habeat; hanc Foenicem vocitatam quidam ferunt, Dianae comitem, iraque eius, quod gravida esset inventa, in ursam esse mutatam, atque eiusdem rursus misericordia sideribus insertam. Quidam prodidere has nymphas fuisse Cretenses, Iovis nutrices, et ob meritum consecratas; quae ideo non occidunt, quia secundum clima nostri coeli Arctous circulus, in quo cardo convertitur, infra horizontem non venit: nam reliqua signa dicuntur omni nocte in Oceano tingi.

ad ea, quae insunt generalius alteri hemisphaerio; hic in polo Arctico anguis se inter Arctos, ursas, duas circumvolvit, instar fluminis, quae ursae Oceano nunquam tinguntur, quia nunquam nobis occidunt. *C.* — *elabitur*, labitur, circumflectitur Draco, utrique ursae implicitus. Servius laudat Hesiodeum: ποταμῷ ῥέοντι ἐοικώς. Sed tota sententia conversa ex Arato, Phaen. 45—48. — 246 Septemtrionalia illa sidera, interque ea Vrsas maiorem et minorem, Helicen et Cynosuram, nunquam occidere, infra ὁρίζοντα seu finitorem non descendere, semper nobis conspici, notum. Fundus poëtici ornatus Homer. I. 6, 489, et Od. 3, 273; ubi cf. intpp.

247—251. *Illic*, sub polo antarctico, aut nox est perpetua, aut dies ibi est, dum nostro coelo nox exoritur, et contra. Hae fuere non satis subtiles veterum opiniones de terris australibus, et altero hemisphaerio, de quibus post Strabonem Macr. in Somn. Scip. II, cap. 9 sq. videndus. Ad nostrum locum proxime facit Lucret. V, 649—654. Quam vero ornate: *intempesta silet* (est) *nox* — *tenebrae*, ut profundam noctem, altas tenebras esse significet! *Nox* autem, ut *tenebrae* obtenditur, obducitur, Homer. Odyss. λ, 19: Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσιν. — Est non *intempesta*, quia tum res agere non est tempestivum. *H.* — Veteribus in Oceanum navigare idem videbatur, quam mundum et Solis cursum fugere: existimabant enim adesse in propinquo chaos, tenebras, totiusque naturae ruinam. Aethiopes et Indi credebantur, et surgentem, et occidentem solem videre propinquiorem, fervidiorem et maiorem. Quin rumor erat, exaudiri ultra Gades igniti globi in aquam decidentis crepitum: quaesti sunt, et maximo quidem planctu,

Aut redit a nobis Aurora diemque reducit,
Nosque ubi primus equis oriens adflavit anhelis,
Illic sera rubens adcendit lumina Vesper.
Hinc tempestates dubio praediscere coelo

249. *Redit a nobis.* Id est, ad illos; et hoc secundum Stoicos, qui dicunt Solem vicissim per utrumque hemisphaerium ire, et alternis noctem facere. —*Diemque reducit.* Vt quando discedit a nobis, et dies clauditur, tunc illis sit aurora.

Macedones ab Alexandro se ultra solem et sidera, in Oceani aeternas tenebras immotasque aquas fuisse abductos. Drusi milites, quum hyperboreum Oceanum adiissent, solem ac lucem dereliquisse putabant: communi opinione pinus eiusdem Germanici litoris a praetereunte nocte sole liquefactam picem sudabant, atque in mare fundebant; quae ubi in electrum induruerat, ad litus fluctibus vehebatur. Poëta quidam post primas in Britanniam expeditiones haec cecinit: »Sol circa nostrum flectitur imperium.« *V. G.* — 249. *redit Aurora* sc. ad eos. *H.* Vsurpantur verba *redire*, *reducere*, *recurrere*, *referre*, alia similiter composita, ubi de rebus, in primis naturae, statis vicibus redeuntibus agitur. Ita Horat. Od. II, 10, 15: *Informes hiemes reducit Iupiter, idem submovet.* Cf. eiusdem IV, 7, 1, 12, et infr. 336, 339, 410, 458. *W.* — 250 *equis anhelantibus* tribuitur *afflare* id, quod ante se habent, ut in rursus certamine eos, quos ante se decurrentes fere cursu attingunt. *Afflant equi solis* eas terras, quas sol oriens illuminat. Iam poëtica inversione dixit: *Sol oriens adflat hos equis*; ut et Aen. V, 739 (*oriens* pro sole Ovid. Fast. I, 653. *W.*) *H.* — Matutinas auras ante solis ortum spirantes, illius equis anhelantibus tribuunt poëtarum phantasmata. *V. G.* — 251. *Vesper.* Hesperus, Sole occidente, in conspectum venit, oritur, *lumen suum profert.* Ita accepit Silius quoque, qui hunc versum expressit XI, 514, 515: *Invadunt campum et late fulgentibus armis Accendunt ultro lucem surgentis Eoi.* Namque illa vulgaris ratio, qua de facibus et candelis accipitur, quae ut incendantur, vesper causa est, non quidem indocta est, sed humilis tamen et abhorrens a tali carmine. Opportunius idem illud inf. v. 291. *H.* — *Sera.* Nocti vicina. — *Vesper.* Stella, quae et Vesper et Lucifer dicitur: nam Vesper eo quod quibusdam mensibus vespere; Lucifer autem dicitur, quod quibusdam mane oriatur. — *Accendit lumina.* Bene *accendit lumina*: poëtice; ut ipse vesper accendat, non homines; et saepe hac figura utitur; *Iam facem arbusta reponunt.* L.

252. *Hinc*, e solis hoc per Zodiacum decursu, a v. 231, succedentibus sibi invicem anni partibus, instantem tempestatum mutationem discimus. Habuit in animo versus Arati Diosem. 10 sqq. — *Tempestates* de quatuor anni partibus dici, ex v. 258 *Temporibusque*, coniunctam tamen mutati aëris ac coeli notionem esse, ex adiuncto patet. *Coelum dubium*, scil. instantibus pluviis, procellis. Ad cetera compara Tibull. IV, 1, qui ca-

Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classis,
Aut tempestivam silvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,

255. *Quando armatas deducere classis.* Id est, quando sit tempus ad agendum navale praelium. — *Armatas.* Aut quia in puppibus infigebant arma navigantes; ut *praefigere puppibus arma*; aut instructas armamentis suis.

256. *Tempestivam pinum.* Opportunam; nam tempore importuno hae caesae arbores cito tarmites faciunt; ita enim ligni vermes vocantur · de hac re etiam rustici Lunae cursum observare dicuntur: melius enim arbores, Luna decrescente, caeduntur.

dem horum *limborum* ac *balteorum* seu *zonarum* enumeratione facta, quum in temperata substitisset, pergit v. 169: *Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus: Hinc et colla iugo didicit submittere taurus* etc. Ex eadem observatione antiquus de Aeolo mythus natus. — *marmor*, aequor maris splendens; vid. Aen. VI, 729. — 255 *armatae classes*, ὡπλισμέναι, simpl. instructae naves; cf. Hesiod. Ἔργ. 631, 632 et 671, 672. Aliena a re rustica foret classis ad bellum armata. *H.* — Navigia siccis trabibus imposita servabantur per hyemem in litore, unde vere machinarum ope in fluctus deducebantur. Horat. I, Od. 4: « Solvitur acris hiems grata vice veris, et favoni; *Trahunt*que siccas machinae carinas. » *Remis*, ut opinor, piscatorum scaphae et lembi designantur; *classibus armatis*, naves velis instructae. *V. G.* — 256. *tempestivam s. evertere pinum*, h. ligna ac materiem tempestive caedere. Consulatur Cato de R. R. cap. 31: Plin. XVI, 74, 75, s. 39. *H.* — Pinos aliasque arbores tempore maturi seminis evertebant, vel caedebant, idque decrescente Luna: quidam arbores ad medullam usque recisas, aliquandiu stantes in silva relinquebant, ut per hiulca haec vulnera humor, si quis in venis contineretur, excurreret. *V. G.*

257—267. Habet etiam alias utilitates, si observes siderum ortus et occasus, et vices anni temporum. Si pluvium tempus *continet* h. e. domi tenet (v. Burm. h. l.) agricolam, multa interea parare et facere licet, quae mox sereno coelo parum tempestive curanda essent. Hoc poëta ornatius extulit, post Hesiodum, quem compara 493 sqq. Praeterea monent grammatici, Servius ad h. l., Macrob. VI, 8, Gellius X, 11 de delectu verborum adhibito a poëta: *Maturari* ea, quae accelerentur quidem, sed diligentiae tarditate cum industriae alacritate ac celeritate coniuncta: eadem, quum subito, raptim et properanter fiant, *properari*, quum non facile diligenter et accurate fieri possint. Nescio, an haec nimis subtiliter tradita sint. Ita saltem verba declaranda sunt, si de propria vi quaeras, ut maturum tempus sit rei agendae; properetur autem quum studio et industria, non tarde et cunctanter agatur. De re v. Caton. cap. 2, §. 3, et Varr. I, 36. *H.* — 259—267. *Quae*

Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem; cavat arbore lintres;
Aut pecori signum aut numeros inpressit acervis.

258. *Temporibusque parem d. q. a.* De rebus contrariis fecit declamationem, dicendo, parem ex diversis, vel semper sibi convenientem. Re vera enim nihil est tam contrarium inter se, quam aestas et hyems: et tamen de his annus efficitur.

262. *Vomeris obtusi.* Hebetis: et obtusum est, quidquid sine acumine est, vel calore: ut, *non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.* Antiqui tamen *n* literam addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut *obtusus*: in aliquibus remansit, ut *tunsus.* — *Obtusi* autem, *reverberati et acumine carentis.*

nam pluviali tempestate facienda. Vide Plin. XVIII, 65, 67: ibi enim plurima refert agricolis notanda. Vide Col. IX, 14; XI, 2: »Malum patrem familias oraculum declarat, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate caeli; peiorem qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet; pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quam in agro.« *V. G.* —262. *vomeris dentem* omnino pro vomere dixisse videtur. — *lintres.* Si scaphas et fluviatiles naviculas intelligas, possis agrum Mantuanum omninoque istam Italiae oram Pado aliisque fluminibus perfusam cogitare; cf. Servium h. l. Convenientibus tamen vitae rusticae esse videtur, ut vasa lignea concava et alveos interpreteris, qui inter rustica instrumenta sunt. Sic alveos, quibus uvae portantur in vindemia, *lintres* dixit Tibull. I, 5, 23. — 263. *aut pecori signum.* Ge. III, 158, *continuoque notas et nomina gentis inurunt.* — *numeros impressit acervis*, ἐνέγραψε, pro imprimit. Aut cum Servio tesserae et tabellae intelligendae, acervis impositae, quibus frumenti numerus designatur, aut *acervi* sunt frumenta saccis seu vasis condita, quibus vasis inscribit paterfamilias, quot modios contineant. *H.* — 263. *aut pecoris signum, aut numeros impressit acervis.* Id est, facit aut characteres, quibus pecora signantur; aut tesseras, quibus frumentorum numerus designatur: nam *numeros* pro literis posuit, quibus numeri continentur. De his Andr. Schott. nodor. Ciceronis, II, 6. — *Pecori signum*. Plerumque nomen domini, quod, ut Columella VII, 9; XI, 2, 14, 38, et Palladius II, 16, referunt, pice liquida inscribitur. *V. G.* — Armentorum custodes, quo suum pecus ab alieno internoscerent, signa quaedam ei imprimere consueverunt, quae quoniam ferro candenti inurebantur, a Graecis ἐγκαύματα dicta sunt: tali signo recuperabatur equus, cuius meminit Apul. lib. II de Asino aureo. Hic mos hodie etiam apud nostros agricolas viget. *L.*

Exacuunt alii vallos furcasque bicornis,
Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga;
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla

265. *Amerina retinacula.* Virgas, de quibus vites religantur: quae virgae abundant circa Amerinum oppidum Italiae, cuius crebram in Rosciana facit Cicero mentionem. Alii genus salicis dicunt, dispari colore a cetera salice: nam est rubra, et ad connectendum aptior; quia praeter morem lenta est, quae nunc quoque *Amerina* a rusticis dicitur.

264—5. *Vallos* esse palos, in promptu est. — *Amerina salix* (erat Ameria, Vmbriae urbs, non longe a Tiberi) inter terna salicis genera memoratur Columellae IV, 30, 4, ubi de pedaminum in vineis, iugorum ac vimioum prospiciendorum cura agit; cf. Plin. XVI, 69. *H.*—Vt ait H. Schneider, etiamnum aquatica parva salix apud Lugdunum vocatur *Amerina.* *V. G.* — 266. *Rubi recisis aculeis alligant.* Plin. XVI, 69: *Cetera vincula, qualia sunt ex rubo, maiorem operam, sed in egeno tamen necessariam, postulant.* — *Fiscina,* calathus seu aliud vas vimineum ad usus rusticos, *facilis,* aut quae facili opera struitur, aut quia ex viminibus facta, quae flecti et texi possunt, et sunt *facilia.* *Mollem iuncum* dixerat Ecl. II, 72; cf. ad Tibull. I, 1, 40; II, 3, 15.—267. Sic et Aen. I, 178, 179. Notum antiquos aliquando tostis igne granis vesci solitos fuisse; sed hic de eo more agitur, quum, vita iam ad meliorem cultum perducta, far igni torrerent, ut facilius mola, et quidem manuaria, qua utebantur, frangi et glumis exui posset. *H.* — *Nunc torrete igni fruges, u. f. s.* Praeparate panem, quo utamini in sereuitate, ne ea res impedimento sit postea: multi tamen de certo frugum genere dictum volunt; namque far, minium, panicum moli, nisi ante fuerint tosta, non possunt. Nam quod ait *saxo frangite,* potest accipi et pinsere, quod significat pilo tundere, quia et vulgo cavatum saxum pilum dicimus; quae omnia fieri oportet, propter facilitatem molendi. — quamvis Plinius et Vitruvius iam molas aquarias memorent, tempore Palladii nondum usitatas fuisse putandum est. *V. G.*

268—275. Non mirum est, rusticum aliqua facere debere per pluvias, quum sint quae facere possit etiam festis diebus; cf. Serv. add. Moret. 67 sq. *H.* — *Quaenam festis diebus agenda* 268—276. Vide Caton. II; Coll. II, 22, et XI, 1, 20 sq. Non semper eadem negotia pro necessariis habita sunt, nec certissima norma qua possint dignosci: festis diebus fossas et colliquias detergere licet, nec novas facere: veteres sepes emendare licet; non segetem novis munire. Viduis nuptiae concessae, non virginibus. *V. G.* — *Quippe etiam,* nova transitus formula; ut alibi: *Quid quod.* — 269. *Fas et iura,* h. divina humanaque iura, ut iam Servius monuit.

Religio vetuit, segeti praetendere saepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Saepe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens

269. *Fas et iura sinunt.* Id est divina humanaque iura permittunt: nam ad religionem *fas; iura* pertinent ad homines: et non sine causa hoc dictum a Virgilio, gnaro totius sacrorum ritus, ponitur: religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. — *Deducere.* Id est, siccare: nam irrigare, *inducere* est, ut: *deinde satis fluvium inducit.* Sane sciendum, secundum Varronem, contra religionem esse, vel si irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus; Nymphae enim sine piaculo non possunt moveri. Sed scimus necessitati religionem cedere; unde perite Virgil. ait: *Balantumque*, etc.

272. *Balantumque gregem.* Id est, ovium. — *Mersare.* Frequenter mergere, propter scabiem — *Fluvio salubri.* Non est epitheton amnis, sed ad factum refertur; salutifero: nam dicturus est in tertio libro Georg. v. 445 et sqq. scabie tentari animalia, nisi laventur. *Dulcibus idcirco fluviis, etc.*

— 269, 270. *nulla religio*, h. nullus respectus deorum, nullus metus peccandi, *vetuit*, vetare solet, vetat, ut saepe. *Quod autem ait* deducere, *nihil aliud est, quam detergere; nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos facere non licet* Macrob. Sat. III, 3. Consentit Colum. II, 22, 3. — 270. *Quamquam Pontifices negent, segetem feriis sepiri debere.* Colum. l. l. — 271. *Insidias avibus moliri*; ut reliquis consentaneum sit, de avibus praedantibus et nocivis intellige. — 272. *fluvio salubri. Cavetur enim in iure Pontificio, ut — festis diebus purgandae lanae gratia oves lavare non liceat; liceat autem, si curatione scabies abluenda sit: ideo hoc quoque inter concessa numeravit* Balantumque greges fluvio mersare, *quod si hucusque dixisset, licita et vetita confuderat, sed adiiciendo* salubri, *causam concessae ablutionis expressit.* Macrob. Sat. III, 3 extr. cf. Colum. l. l. §. 2: Varro ap. Servium ad h. l.

273—275. Haec ex duriorum patrumfamilias ratione; ut Catonis, cap. 138, v. Colum. II, 22, 5. *H.* — 273. *Costas aselli.* Aut re vera costas, aut clitellas; ut Horatius: *Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.* — *Agitator.* Verberator; dictus ab agendo, ac per hoc *asinarius* dicitur. — *Tardi aselli.* Homerus quoque Iliad. B νωθῆ vocat *tardum.* — Graecum epigramma Palladae: υἱὸν τῆς βραδύτητος, πόνον, ὄκνον, ὄνειρον, *Filiam tarditatis, merum laborem, segnitiem, somnium.* — Ovid. Am. II, 15: *Aspice, ut auritus miserandae sortis asellus Assiduo domitus verbere lentus eat.* — Sic Apul. Met. lib. VII: *Videtis istum pigrum, tardissimumque nimis asinum.* — Inde Arnobius lib. II, asserit, *asino nullum esse tardius animal.* — De lento asello fabulam etiam enarrat Phaedrus I, 46. *L.* — 274. *Vilia poma* dicuntur ad magnam copiam

Incusum, aut atrae massam picis, urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum: quintam fuge; pallidus Orcus
Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoea,

V. 278. *Eumenides satae*. Id est, natae, et ut saepe dictum est, κατ' εὐφημισμόν, *Eumenides* vocantur, quod non habent bonam voluntatem, id est, mentem; sicut *Parcae*, quia nulli parcant.

denotandam. Sic v. 227, *vilis faselus*. *Lapis incusus*, sive rudis, asper, sive cusus et incisus. De mola manuali fere accipitur post Servium. — *pix* variis usibus agrestium inservit; ut mustis condiendis etc. Notetur et illa forma: *agitator aselli onerat*, pro agricola, quem poma in urbem mittere dicturus, quia aselli opera ad id utitur, *agitatorem asini* poëta appellat; non enim de asinario agit. Ceterum ex v. 274, 275 patet, feriatis diebus etiam mercatus in urbibus habitos esse, unde ex venditorum pomorum pretio picem et lapidem parare potuerit agricola; cf. Varronis locum ap. Serv. ad 275.

276—286. Etiam dies lunares observandos esse dicit; esse enim alios faustos ad opus faciendum (hoc est, *felices operum*), alios infaustos. Sequitur autem superstitionem Hesiodi, versus finem Ἐργ. 765 sqq. vel potius Democriti. Plinius XVIII, 32 s. 75: *His quae sunt necessaria adiicientur de luna ventisque et praesagiis — Namque Virgilius etiam in numeros* (tempora) *lunae digerenda quaedam putavit, Democriti sequutus ostentationem* (h. doctrinam). Est laudanda prudentia, quod paucis hanc attigit superstitionem, et observanda ars, qua fabulis intexendis locum facit ac parat. — 276. *ipsa dies alios*, non *alias*, e nota grammatica ratione. *H.* Sequitur *quinta—septuma*; vid. Tibull. III, 6, 32: *Venit post multos una serena dies*; ibique Obss. *W.* — *dedit dies Luna*, dat, h. e. sunt dies lunares alii fausti, alii infausti.

277—279. vid. Hesiod. Ἐργ. 802—804, qui tamen non *eo die* Orcum et Furias natas memorat, sed Furias periuria hominum ultum ire. Coeus et Iapetus e Titanibus, Caeli et Terrae soboles. De Typhoeo, e Terra et Tartaro nato, v. Theogon. 821 sq. et Apollod. I, 6, 3. Miro ergo commento quinto die lunari ait natos esse Orcum, Furias, Titanes, Typhoeum, Aloidas. *Typhoea*, Τυφωέα, binis postremis syllabis contractis. *H.* — Furiae postquam ab Oreste matricida placatae sunt, nomine Εὐμενίδες ab eo fuerunt honoratae; quo postea Graeci, funesti ominis verba reformidantes, usi sunt. Virgilius nullo modo hic declarat Eumenides esse cum Orco simul natas; sed quinta cuiuscumque anni et mensis die. *V. G.* — 279. *creat*, manifestum, esse pro *creavit*. *H.* Conf. Eclog. VIII, 45 *edunt* pro ediderunt, et Not. ad Ecl. VI, 30. *Typhoeā* ut *Orphoeā* Ecl. VI, 30. Nota brevitatem in verbis *pall.—satae* pro: ea die vel tum satae. Similem vid. I, 230 *W.*

Et coniuratos coelum rescindere fratres.
Ter sunt conati inponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum;
Ter Pater exstructos disiecit fulmine montis.
Septuma post decumam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telae

280. *Et coniuratos caelum rescindere fratres.* Othum et Ephialtem dicit: qui fuerunt filii Neptuni, et novem digitis singulis crescebant mensibus, qua freti altitudine caelum voluerunt evertere: sed confixi sunt sagittis Apollinis et Dianae.

284. *Septima post decimam felix.* Aut septimamdecimam dicit; aut hoc dicit, felix quidem est septima, sed felicior decima: ut primum locum decimae tribuat, quae sit valde felix; secundum septimae, quae post decimae felicitatem sit secunda; ut ea nulla sit felicior, excepta decima. Aut certe sicut quidam volunt, quartamdecimam dicit, ut felix sit septima duplicata: id est, cuius numerus post decimam invenitur: quo die revera melius vites ponimus.

285. *Domitare boves.* Instruere, quomodo possint ferre laborem arandi, et sciant ad iugum pariter incedere.

280. *fratres* sunt Aloidae, Otus et Ephialtes; vid. Apollod. I, 7, 4. Aen. VI, 582: *Aloidas — qui manibus magnum rescindere caelum Adgressi.* Nisi hic locus ad manum esset, non appareret, quidni et Gigantes esse possent, et ipsi fratres γηγενεῖς et eadem facinora ausi. Est autem *rescindere* pro exscindere cum notione perrumpendi, irrumpendi. —281. Ex Odyss. λ, 314, fonte huius fabulae, quae inde nata, quod motu terrae graviore Ossa ab Olympo revulsa fuerat; v. Strabon. lib. IX, pag. 658 A. — *involvere* hic est sursum in altiorem locum volvere. *Scilicet* est δή. *H.* — 282. *Scilicet.* Huius vocis sensum lexicorum pleraque neglexere. Vide Georg. lib. I, 493; II, 245; III, 266; et ibi notas Heynii; Horat. II, Od. 14, 9; Claud. XXXVIII, 116. *V. G.* — *Involvere.* Signantur vires stupendae, et ultra omnem modum. Quantae illae vires, quae potuerunt rotare Olympum supra alios montes, et instar lapidis emissi e funda in altum, devolvere! *Cerda.*

284. Certorum operum primordiis auspicata dies. Non satis definitum, situe dies XVII intelligenda, an dies X, felix illa quidem, sed secundum eam multo magis VII. Decimam faustam esse, affirmat etiam Hesiod. Ἐργ. 794, et septimam v. 770, 805. At, quae hic v. 285 enumerantur, ad diem ille XIV refert v. 794—797. *H.* Si diem XVII intelligi voluit Maro, Graecum ἑβδόμη ἐπὶ δέκα est redditum — *felix ponere* h. e. idoneus ponere, ad ponendum; cf. Aen. IX, 772, *felicior ungere.* *W.* — 285. *prensi boves* de feris, qui libere, necdum iugo iuncti, errabant. Hesiodus, quem respexit, v. 797: εἰλίποδας ἕλικας βοῦς· Ηρηΰνειν, ἐπὶ χεῖρα τιθείς. *H.* — Vltimo Martii mensis fine et die a religionibus vacuo, Romani agricolae, vitulos ad tertium aetatis annum usque in pascuis errantes, so-

Addere; nona fugae melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut quum sole novo terras inrorat Eous.
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
Tondentur; noctis lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto:

lebant prensare. *V. G.* — 286. *Addere licia telae* est telam ordiri; ut adeo *tela* sit aut stamen et trama aut machina textoria, cui illigatur. *H.* Ad verba *licia telae addere* h. e. annectere, compares Tibull. I, 6, 79, *annectit licia telis* et Not. ad eum locum. *W.*

286. Nonus dies servis fugitivis faustus, quorsum hoc? Scilicet cautionem tanto maiorem adhibebit eo die diligens paterfamilias, ut contra de furtis non sollicito esse licet; est enim is dies furibus non faustus.

287—296. Sunt etiam noctu vel summo mane nonnulla tractanda. 287. *Dare se alii* dicitur is, qui ad eius voluntatem se accommodat, gratificatur, concedit. *Res dant se*, ut sese offerunt, occurrunt. Sic et locus, occasio, tempus *se dare* dicitur. *Dat se* et illud quod impulsum inclinat se, flectitur, cedit. Itaque et h. l. *multa se dederunt*, h. dare solent, offerunt se, perfici et peragi possunt. Servius: *melius nostro obsequantur labori*. — 288. *Eoum* pro Lucifero, atque pro matutino tempore. Ἐῷος sc. ἀστὴρ, Εωςφόρος; cf. Aen. III, 588. — *irrorat terras*, quia aëris humor et in herbis ros sub sensum venit mane, die orto; nam *solem novum* dicunt poëtae pro oriente.

289. *stipulae* quo sensu accipiendae essent, dubitabam. Si de frumento, videbatur repugnare v. 297. Altera ex parte vix bene poterant *stipulae* et *prata* de eadem re dicta accipi (cui repetitio *nocte—nocte* satis obstat. *W.*). De foeno Plinii XVIII, 67 s. 4: *Quidam pridie rigant, ubi sunt rigua. Noctibus roscidis secari melius*, quia sc. noctes sunt humidae. Et *prata* ad foenicidium spectant. Denique volebam ad legumina referre, ut Colum. II, 10, 12, idem hoc de faba secanda praecepit. Nunc video in stipulis frumenti esse persistendum; vide ad v. 297. Vir doct. Voss. operis rustici intelligens, ad morem refert, quo post resectos culmos relictae stipulae serius secantur. Qua de re in loco Columellae ex his vss. expresso II, 18, 19, 20, nil reperio. Memoratur tamen ista messionis ratio inter trinas in media Italia usitatas, Varro I, 50. *H.* — 290. *Tondentur.* Secantur prata iam matura. — *Noctis.* Accusativus pluralis. *L.*

291. Post Vulcanalia Kal. Sept. habita in quibus Deo ignis datori sacrificabantur vitulus et verres, inchoabant Romani, aut agricolae, aut literarum studiosi, lucubrationes suas. *V. G.*

292. Quid quod adeo hibernas noctes labori impendunt nonnulli diligentiores patresfamilias. Ecl. VIII, 29, *novas incidere faces*; cf. Plin. XVIII, 63; Colum. XI, 2, 99. *inspicare* novavit poëta, ut sit in spicae formam, in acutam cuspidem concidere. *H.* Forcellini contulit Grat.

Interea, longum cantu solata laborem,
Arguto coniunx percurrit pectine telas,
Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur aestu;

Cyneg. 484, *spicatas faces*, ubi vid. Interpretes. Apud nostros quoque rusticos, quibus oleum deest, *taedae spicatae* in usu sunt. *W.* — *Faces inspicat.* Incidit ad spicarum et aristarum imaginem. — Casarum domini in culina morabantur. Vide Georg. lib. II, 242; Ecl. VII, 49; bique *faces* ex taeda, vel vallos ex aliis lignis exacuebant, aliaque conficiebant: texebant praeterea apum alvearia: interdum faces sulfure inducebant, et cera; Ovid. Heroid. VII, 23: » Vror, ut inducto ceratae sulfure taedae. » Et Met. III, 373: » Non aliter quam quum summis circumlita taedis Admotas rapiunt vivacia sulphura flammas. » Vide Col. II, 22. — Candelarum inventum Aegyptiis tribuitur. *V. G.* — 294. *argutus* pecten est, qui stridorem inter texendum edit. Hoc verum esse docet idem versus Aen. VII, 14; ubi vid. Not. cf. Brunck. ad Aristoph. Ran. 1316: *tela* est stamen, cui intexitur subtemen. Patet itaque ex hoc versu, rusticorum in Italia matresfamilias texturae telarum vacasse. — 295. Ge. IV, 268: *igni pinguia multo Defruta.* Sedula in variis e musto defruti generibus conficiendis veterum fuit opera; v. Plin. XXIII, 18; XIV, 11; Colum. XII, cap. 19. — 295. *humor musti* poëtica periphrasis. *Dulce mustum* laudat Quinctil. VIII, 2, 10. — *unda* est mustum ebulliens. *H.* — *Dulcis musti.* Mustum usque ad tertiam partem decoctione redactum apud Plinium dicitur *sapa;* usque ad dimidiam, *defrutum:* quibus verbis etiam promiscue utebantur veteres: hoc a Plinio in adulterium mellis excogitatum dicitur: apud Graecos appellatur ἕψημα, γλυκὺ et σίραιον. *Defrutum* post annum vinis immixtum ea diuturna reddit. Agricolae, festis diebus, defrutum lacte dilutum bibebant. Ovid. Fast. IV, 779: » Dum licet, apposita veluti cratere camella, Lac niveum potes, purpureamque sapam. » Hunc potum a colore Festus *Burranicam* appellat. Coquitur defrutum plerumque noctu, *silente luna.* — Vulcanus pro igni sumitur; eodem modo Bacchus pro vino, Neptunus pro aqua. *V. G.* — 296. *trepidum ahenum*, proprie mustum est trepidum, quia, quod ebullit, quasi tremere videtur. Aen. VII, 463, *undans ahenum*; fronde autem, fortasse pampinea, spumam auferunt, dum defrutum faciunt.

297. Messem ait esse secandam et terendam *medio aestu.* Haesi in hoc; accipiebam de medio die, ut oppositum esset, 289, *Nocte leves stipulae.* Conf. IV, 401. *medios aestus* et III, 154 et 331. Ita vero cur *medio* potissimum *die* esset metendum, ignorabam. Nam Hesiodus 571 sqq. iam mane surgendum et metendum esse monet. Et Theocr. X, 50, 51, medio die quiescendum esse praecipit. Αρχεσθαι δ' ἀμῶντας, ἐγειρομένω κορυδαλλῶ, καὶ λήγειν, εὕδοντος· ἐλινῦσαι δὲ τὸ καῦμα, h. e. quiescen-

Et medio tostas aestu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems curasque resolvit:

300. *Parto.* Parato. — *Agricolae plerumque fruuntur.* Dicit agricolas per hyemem his frui, quae aestate paraverint. *Plerumque* dicit, quia dicturus est aliqua, quae rusticus etiam hieme possit efficere.

dum esse ab opere per tempus diei aestuosum. Praeterea fruges sub diluculum colligendae sunt; cf. Geopon. II, 25. Vidi itaque *medio aestu* esse accipiendum de media aestate, qua messem faciendam esse monent et alii et Hesiod. 575: ὥρῃ ἐν ἀμητοῦ, ὅτε τ' ἠέλιος χρόα κάρφει (non κάρφῃ). *aestu* autem *medio*, aestate, ut Ecl. X, 63, *frigoribus mediis*, hieme media. *H.* Inde a v. 287 praeceperat de laboribus *noctis aestivae* 289, *hibernae* 291. Iam quid *luce* singulis anni partibus, *aestate* 297, *hieme* 300, *auctumno* et *vere* 311 sqq. agendum sit monet. Ergo *medio aestu* notat aestate, neque inanis est repetitio *med. aestu.* Sententia autem 297, cuius dimidia pars ex Hesiodo petita est, significans: per aestatem enixe laborandum, hiemem per otium transigi, transitum ad *lucem hibernam* munit. *W.* *Ceres rubicunda*, quae alias *flava*, quia rubent, flavescunt aristae. Colum. II, 21, 2, *aequaliter* flaventibus *iam* satis, *antequam ex toto grana indurescant*, quum rubicundum colorem traxerunt, *messis facienda est.* — 298. *Area terit fruges*, in qua illae teruntur; v. sup. ad v. 192. Maturare autem et messem et trituram praecipiunt omnes mense Iunio in Italia; v. Pallad. in Iunio.

299. Ex Hesiodo petita esse satis constat, Ἐργ. 391, γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν, 392. Monet autem, mature, auctumno, arationem et sationem esse faciendam; cf. sup. 208: II, 315, 316, quum tepor aëris satis magnus, ut arator veste non egeat. *Nudum* esse tantum tunica indutum, toga aut paenula reiecta, post Cuperi Obss. I, 7, satis notum. *Hiems ignava colono* esse dicitur, quae colonum otiosum esse iubet, et ab opere sub dio faciendo avocat. *plerumque* ne frigeat, accipe, maximam hiemis partem. *H.* — 302. *Invitat.* Ita Plaut. Amph. I: *Invitavit sese in coena plusculum.* Sallust. Hist. IV: *Quum se cibo vinoque laeti invitarent.* — *Genialis* dicitur *hiems*, quia geniis accepta; tunc enim peracto anno, et praesertim per Saturnalia, quisque genio suo operam dabat: genius, non ut reliqui Deorum, sacrificiis placandus, a teneris alumno suo comes erat; postea quum alumnus paterfamilias factus, super foco, instar Larium locatus, vario fungebatur munere, curam gerens ignis, ut bene flagret; cibis saporem ministrans; cavensque ne rimas agant vasa, aut rumpantur. In dapibus, et praecipue die natali, Genii imago uncta et thure perfusa, donabatur vino ac libis mellitis. Inde proveniunt verba *indulgere genio*, *defraudare genium.* V. G. — *genialis hiems* conviviorum hilaritati, risibus iocisque apta, qua genio indulgetur.

Ceu pressae quum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
Quum nix alta iacet, glaciem quum flumina trudunt.
Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,

305. *Sed tamen et quernas glandes.* Sunt aliquae derivationes, ex usu magis quam ex ratione venientes: ut *quernus*, *ficulnus*, *ilignus*, *corulnus*; a corylo, ilice, ficu, quercu.

311. *Quid tempestates autumni.* Verno et autumnali tempore fiunt tempestates, quando nec plena aestas est, nec plena hiems: unde medium et confine utriusque temporis, ex coniunctione contrariarum rerum, tempestates efficit. Sane sciendum, ultimas partes, tam autumni, quam veris significare, quibus fiunt procellae: quod de autumno, hic indicat versus; *Atque ubi iam breviorque dies, et mollior aestas:* de vere bie: *Spicea iam campis quum messis inhorruit.* *Ruit*, id est: praecipitatur; in fine est: et in hoc talis est sensus: quid dicam quantum oporteat sollicitum et studiosum esse agricolam tempore autumni et veris?

Grata poëtis dictio. — 303. *pressae carinae* sunt mercibus onustae naves; v. Tibull. I, 3, 40; Ovid. Fast. IV, 300-304, ex vetere ritu. Idem versus Aen. IV, 418; ubi vid. Not.

305. *quernas glandes.* Ineunte Novembri, glandes leguntur, pabulum suibus bovibusque; Col. IX, 1. Glandium plura genera; quernea glans, *ilignea*, *cerrea*. — *Stringere*, decerpere; Ecl. IX, 61; Col. ait, VI, 3, aestate peracta, boves frondibus esse vescendos, praesertim iligneis, querneis, et laureis. Hae enim ultimae sunt celeris deficientibus. Vide Georg. lib. III, 301. *V. G.* — 306. *cruenta myrta*, baccae myrti nigrae succo rubicundo ad vinum, myrtiten, condiendum. *H.* — 307. *Pedicas.* Laqueos, quibus pedes implicantur. — *Gruibus pedicas.* Inter hominis rustici voluptates. Horat. quoque Ep. II: *Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem Iucunda captat praemia.* — *Gruibus*, pro avibus quibuscumque; speciem pro genere. — *Retia ponere cervis.* Venatio cervorum ut plurimum cum retibus. Poëta ipse in Ecl. V: *Nec retia cervis Ulla dolum meditantur*; et Georg. III: *Ingenti clamore premes ad retia cervos.* L. — 309. *verbera fundae* poëta pro funiculis fundae vel funda dixit, maiore ornatu, quatenus ea saxo emisso verberat, ferit.

312-315. Tempestates subiungit, quae duabus praecipue anni partibus frequentius ingruere solent, sub auctumni initium inde a medio Augusto

Quae vigilanda viris? vel, quum ruit imbriferum ver,
Spicea iam campis quum messis inhorruit, et quum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Saepe ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere praelia vidi,
Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent; ita turbine nigro

311, 2, 3 (Columella XI, 2, 57, 58), et sub veris exitum, Aprili medio (Colum. ibid. §. 36 sqq.) 313, 4, 5. Quam vero ornate haec dixit, et quam proclivis hinc ad ornatissimam tempestatis aestivae descriptionem via! *Sidera auctumni*, quia ad siderum ortus et occasus tempestatum tempora atque etiam causas referebant; conf. v. 335. *Atque* quid dicam, *quae vigilanda viris*, quae curanda et providenda sint agricolis, sub auctumnum, inde a medio Augusto, ubi *mollior aestas*, leniore calore, quum vehementior aestus se iam remisit; vel *quum ruit ver*, mense aprili, circa Vergiliarum exortum. Videndum est tunc, ne imbrium ingruentium vi anni spes a procellis profligetur, sementisque facta proluatur. *H. ruit*, festinat; alii malunt: in finem vergit. *W.* —*Horrere* (v. ad vs. 151) *agri* aut *segetes* et *sata* dicuntur fere, quum aristae iam maturae sunt. *H. inhorrere* de rebus usurpatur, quae agitantur. Sic Val. Fl. III, 348, *inhorruit aether*; cf. Aen. III, 195. —*messis* pro seges. —*frumenta lactentia* sunt fruges lacte plenae. *W.* — in *stipula*, h. culmo, *viridi*; cf. Iliad. ψ, 598 sq. — *lactentia turgent*, plenius etiam dictum quam lactent. Habuit hunc locum ante oculos Nemesianus Cyneg. 290: *Inde ubi pubentes calamos duraverit aestas, Lactentesque urens herbas siccaverit omnem Messibus humorem, culmisque armarit aristas* etc. item Columella X, 325 sqq.

316. Quid? quod, id quod multo maius est, in ipsa messe procellae aut imbres saepe ingruunt. Repetit locum Plin. XVIII, 35, sect. 79; cf. Colum. II, 21, 2. Similiter de vitibus inf. II, 419, *et iam maturis metuendus Iuppiter uvis. H.* — Iunio mense, et appropinquante solstitio, fit hordei messis, tempore quo lucent cicindelae; reliqui frumenti sequitur messis, quae in tepidioribus locis usque ad ortum Sirii producitur. *V. G.* — 317. *fragili hordea culmo* dicit poëta pro hordeo simpliciter aut certe culmis fragilibus hordei; hos culmos *stringunt*, qui falce secant; quum falcem amovent, tangunt scilicet et stringunt. Solent autem poëtae id, quod agitur, a variis actionis momentis designare. — 318. *ventorum proelia concurrere* plenius quam ventos concurrere. —319. *seges gravida* proprie ex *agro gravido*. Sed poëtae omne id *gravidum* dixisse videntur, item *fecundum*, quod succo plenum ac tumidum est, ut *gravidum uber* Ge. III, 317; *gravidae fruges* II, 143; *gravidae messes* Ovid. Met. VIII, 781. *H.* Simplicissimum est *gravidam segetem* exponere seg. gravidam frumentis; cf. 111: *aristae gravidae*; et II, 143. W. —320. Venti segetem *eruunt* et in aërem expellunt, extol-

Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.
Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Conlectae ex alto nubes; ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit; inplentur fossae, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
Ipse Pater media nimborum in nocte corusca

321. *Culmumque levem.* *Culmus* dicitur ipse calamus: stipulae vero folia, quae ambiunt culmum.

lunt; hoc ornatius effert: *sublime expulsam eruunt*, quia *sublimem*, *in sublime*, ferunt. Reliqua: *ita turbine nigro* etc. difficultatem habent ex structura, quam, qui animadverterunt, varie tollunt. Sed aut variavit poëta orationem, cuius naturalis ordo hic erat: vidi ventos concurrere et hiemem ferre culmos et stipulas. Haec ita effert: *vidi concurrere*, et vidi ut ita *hiems ferret* — omittit autem particulam copulandi; aut, quod probabilis, dictum est comparative: *sic*, haud aliter, *hiems ferret*, hieme diriperetur, diripi videas stipula, quam nunc media aestate radicitus aristas fert. Est autem *hiems* tempus anni procellosum ineunte auctumno et exeunte vere 311, 2; cf. Lucret. V, 218: *flabraque ventorum violento turbine vexant* (sata). *H.* Posterior ratio explicandi vocem unice vera. *W.*

322. Interdum procellosi imbres ingruunt; et 328 sq. tonitrua gravia. Praeivit Hom. Il. π, 385 sqq.; Lucret. VI, 255 sqq. *agmen aquarum* pulcre de imbre denso ingruente. — *venit*, ruit; *venire* enim etiam hoc sensu satis grave verbum *Veniunt hostes*, *barbari*, qui impetum faciunt etc. ut docuit Burmann. h. l. et ad Phaedr. I, 21; cf. Aen. X, 456. — 324. *ex alto nubes collectae* Servio sunt a septemtrione; v. sup. vs. 240, quod fortasse nimis doctum: alii, e mari; ferrem, si quid adiunctum esset, quod ad mare duceret legentis animum. *Altum*, quum de nubibus agitur, equidem non nisi de caelo intelligam; ex aëre descendunt contractae nubes cf. 443; itaque *ruit aether* h. nubes collectae; conf. Aen. V, 695; Martial. III, 100, 3. Alias enim *caelum ruit tonitru*; unde Aen. I, 129 *caeli ruina* omnino de procella. *H.* *glomerant* h. e. glomeratim demittunt. *W.* — 325. *boum labores*, ἔργα βοῶν Hesiodi Ἐργ. 46; Homer. Il. π, 392, ἔργ. ἀνθρώπων, quo loco item procellosus imber describitur; et hinc alii. — 326. *cava flumina*, quia in alveis cavatis fluunt; v. Burmann. ad Lucan. I, 396. — 327. *freta spirantia* sunt aestuantia. Aen. X, 291, ubi v. Heins. *Spirant* quae effervescunt, ebulliunt, *freta* autem, ut *vada*, poëtice simpl. aquae, mare.

328. *corusca dextra.* Notum illud Horatii Carm. I, 2, 2, *rubente Dextera.* Et iungere licet *corusca ful-*

Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit, fugere ferae, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deiicit; ingeminant austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.
Hoc metuens, coeli menses et sidera serva;

mina. — 329. *moliri fulmen* est iacere; nam de omni motu ac conatu aut opere *moliri.* *maxima terra* est magna, γαῖα πελώρη. — 330. De hiberna procella similia v. apud Hesiod. Ἐργ. 511, 512, et 529-533. — *fugere* pro fugiunt, ut saepissime. — 331. *humilis pavor* poëtica venustate, quod reddit attonitos, humiles. — *sternere* h. l. percellere καταπλήττειν. — 331. Montes fulmine ferit, in prosa dicendum; at quam sublime *deiicit!* Magis exornat haec Silius V, 382-389. *flagranti telo*, apud Homerum et Hesiodum, ψολόεντι κεραυνῷ. *Aut Atho*, τὸν Ἄθων, Ἄθω. *Alta Ceraunia*, ἀκροκεραύνια, satis noti et ex Horat. I Carm. 3 Epiri montes, qui in mare procurrunt, ut *Athos* in mare Aegaeum, Macedoniae mons. — 332. Versus ex Theocr. VII, 77: ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόεντα. Add. Val. Fl. I, 661: *Aut Atho aut Rhodopen.* — — 334. *plangunt* h. l. plangorem edunt, resonant.

335. *Observationes de planetarum cursu in Zodiaco* 335-337. Non solum quo signo Sol moretur observandum, sed etiam quo signo planetae; v. g. remotine sint Saturnus et Mercurius, an Soli propinqui. Siderum motu pruinae, pluviae, nives, grandines fiunt. Nec meantium modo siderum haec vis est; sed multorum etiam adhaerentium caelo, quoties errantium accessu impulsa, aut coniectu radiorum exstimulata sunt. — Morantur autem Planetae, Mars in Scorpio et Ariete, Venus in Tauro et Libra; Mercurius in Gemellis et Virgine; Luna in Cancro; Sol in Leone, Iupiter in Sagittario ac Pisce; Saturnus in Capricorno et Aquario. Saturnus et Mars in sede sua manentes, mali ominis sunt; Iupiter contra et Venus, boni. Mercurius sedem mutans, cius planetae vim sequitur, cuius ditionem percurrit; sed si suam teneat sedem, tonitrua mittit et terrae motus. *V. G.*

335-350. Sunt itaque anni tempora diligenter observanda et planetarum cursus. Redit ad propositum 311, 2. *Caeli menses* simpl. tempora intelligam, quia astrorum, quae in caelo sunt, motu definiuntur, nisi malis adhaerere Servianae interpretationi, ut *sidera* sint duodecim signa zodiaci, quae totidem mensibus sol peragrat. Ita v. sq. alia et diversa subiiciuntur. Possis *sidera* de planetis accipienda putare, propter sequentia, sed praestat, priora 335 *caeli menses et sidera* generali sententia enuntiata esse, subiungi nunc 336, 337 speciem, planetas. *H. caeli sidera* ad planetas refer, ut subiiciat duo planetas, Saturnum et Mercurium explicandi causa: *quo receptet*, *quos in orbes erret.* Vid. Not. ad Tibull. I, 8, 57. Ita *sidera* pro sidera errantia. Nec rarum *sidus Saturni*, *Veneris.* W. — *sese receptet*,

Frigida Saturni sese quo stella receptet,
Quos ignis coeli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnae

337. *Quos ignis caeli Cyllenius erret in orbes.* Ordo est: in quos orbes caeli erret Cyllenius ignis. Et bene *Erret*, nam planetae vocantur ἀπὸ τῆς πλάνης, id est, ab errore; nam interdum ad austrum, interdum ad septentrionem, plerumque contra mundum, nonnunquam cum mundo feruntur.

338. *In primis venerare deos.* Post haec cognita, da praecipue operam sacrificiis, quibus tempestates, et pluviae possint repelli. *In primis*, praecipue, et ante omnia, nam alia neglecta possunt habere emendationem: tempestas adveniens, nisi ante praevideris, universa subvertit.

proprie; nam *se receptare*, *recipere* dicuntur ii, qui eo, unde aliquando discesserunt, proficiscuntur. Atqui planeta easdem semper in cursu suo stellas ingreditur. Add. Not. ad 249. *W.* Saturni motum tardissimum esse, et vix binis annis sexque mensibus unum signum transire, satis constat, ut vix intelligas, quem usum observatio tam tardi sideris ad tempestatum prognostica habere potuerit. Ex veterum tamen doctrina *stellae erraticae* inter eas habebantur, unde pluviarum aliarumque aëris vicissitudinum augurium caperetur. In primis *Saturni transitus* notatus est; vid. Plin. II, sect. 39; XVIII, 25, sect. 67: *Ideo Virgilius errantium quoque siderum rationem ediscendam praecipit, admonens observandum frigidae Saturni stellae transitum*; et II, s. 39: *Igitur in suo quaeque (sidera) motu naturam suam exercent, quod manifestum Saturni maxime transitus imbribus faciunt.* Democriti ea fuit doctrina: v. Geopon. I, 12. *H.* Cogites velim, Saturni sidus in cursu suo permultas *stellas* unius *signi* ingredi, et ex his coniunctionibus omnibus de tempestatibus coniecisse Veteres. *W.* — 337. Observare monet Mercurii motum; hoc enim est *errare ignem Cyllenium* (quem hinc mutuatur Claudianus XXII, 440) *in orbes caeli*, movere se ad certas leges, quibus in caelo cursum in orbem exigit. Arridet lectio *caelo*; cf. 6. *H.* Causa, cur *caelo* praeferendum sit, praeter auctoritatem cod. Medic., et haec mihi videtur, quod verba *quos in orbes caeli* diversos urbes caeli significant, planeta vero eundem cursum, *orbem*, peragit. Ceterum *in orbes errare* dicitur Mercurius, quippe qui ex planetis, si Lunam exceperis, *minimum orbem*, intra spatium dierum 87 et 23 horarum, percurrit; itaque plures orbes peragrat, dum Saturnus *maximum orbem*, intra spatium annorum 29, dierum 166 et horarum 19 peragit. Bene igitur ad omnes planetas notandos *Saturnum* et *Mercurium* delegit. *W.* — *Mercurius*, in Arcadiae monte Cyllene natus; huius errare videtur planetes propter celeritatem qua ambitum percurrit: loco vulgaris *caeli*, scripsi *caelo*, propter superiora verba, *caeli menses*. Medicea igitur lectione usus sum. *V.*

338. Ex Hesiod. Ἐργ. 465, 466. Ad avertendas procellarum ingruentium clades religionum auxilium adhibendum esse monet. Declarat eas in primis per duo festa Cereris ineunte vere et instante messe. Agit autem poëta de *Ambarvalibus*, v. Tibull. II, 1, et,

Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis,
Extremae sub casum hiemis, iam vere sereno.
Tum pingues agni, et tum mollissima vina;
Tum somni dulces, densaeque in montibus umbrae.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho;
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta. Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,

si *Suovetaurilia* eiusdem generis sunt; v. Catonem de R. R. c. 141. *refer*, proprie repete, hinc fer, facias. — *Operatus* pro operans. Est autem hoc vocabulum sacrorum; vid. Tibull. ibid. v. 9. *H. laetis in herbis*, in gramine laeto (Ge. II, 525). Sub dio in herbis sacra et solemnia festi peragebant. *W.* — 340. Vel hic locus docere potest, quam parum interdum subtilis sit poëtica ratio: *Extremae sub casum hiemis* putes esse primum veris initium; at subiiciuntur ea, quae adultum ver significant; quamquam non immemor sum, clementioris caeli in nostro poëta rationem esse habendam. Similiter sup. 230 *ad medias pruinas*, quod sane severe exigi nequit. — 341. Hesiod. Ἐργ. 585, ubi de aestatis initio: Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες καὶ οἶνος ἄριστος. *Vina mollia*, scilicet hiemis interiecta mora, *asperitate*, duritia, *carentia*, mitia, lenia. Ita et Graecis οἶνος σκληρὸς et μαλακός. *Durus Bacchi sapor* Ge. IV, 120. — *somni* h. l. nulli alii esse possunt, nisi in herba vel sub arbore inter avium concentum etc. 343. cf. Tibull. I, 1, 23.

344. E lacte, *melle*, vino, *mulsum* factum innui, notat Macrob. III, 11; magis fortasse subtiliter, quam vere; cf. eund. VII, 12, et Serv. et Caton. R. R. c. 134. Diis agrestibus libatur *ex more* lacte, melle, vino. — 345. *felix hostia*, h. fecunda, ut Serv., quemadmodum *felix ager*, *arbor*; de his dubitat nemo, nec de hoc, hostiam sterilem sacris admoveri, nefas fuisse; sed *hostiam felicem* usu loquendi perpetuo dicimus hostiam, qua litari potest, quia pura et sacrificio apta et diis grata, quae est felicis hominis et bonum frugum proventum portendit, aut ipsa felicis proventus causa, placatis per eam diis, haberi potest. — 346. *chorus et socii* est chorus sociorum, turba. Int. autem socios operum, vernas, ut II, 528. — 347. *vocare in tecta*, ut adsit, invocare, pulcre dictum. Laudantur Colum. X, 430, et Horat. Carm. I, 30, 3. — 348. Nunc alterum festum Cereris seu sacrum memorat, instante messe. Cato c. 134: *Prius quam messim facies, porcam praecidaneum fieri oportet* etc. — 350. De incondita saltatione, in qua carmina messoria canebantur; ut de alio festo sup. Ecl. V, 73: *saltantes Satyros imitabitur*. — *Querneam coronam* in memoriam vi-

Det motus incompositos et carmina dicat.
Atque haec ut certis possimus discere signis,
Aestusque pluviasque et agentis frigora ventos,
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;
Quo signo caderent austri; quid saepe videntes
Agricolae propius stabulis armenta tenerent.

ctus prioris gestatam Servius tradit. *H.* — *Det motus incompositos.* Id est, saltationem aptam religioni, nec ex ulla arte venientem. Sallustius, in Catil.: *Saltare elegantius, quam necesse est probae.* — *Carmina.* Hymnos in laudem Cereris. Etiam Ecl. V, 72, *Cantus* et *Saltatio* adhibetur. — Feriae, de quibus hic egit Virgilius, non cum publicis Ambarvalibus a Romulo institutis confundendae sunt, in quibus XII fratres, coronis spiceis albisque taeniis ornati, Romanam ditionem intra sextum lapidem circumibant. — E verbis *mollissima vina* constat has ferias non ante prima vinalia, IX kal. mai. habitas esse. (Plinius XVIII, 69) — Omnes publicae obambulationes vocabantur lustrationes, quae circa agrum romanum habitae (ambarvale publicum vel circum ipsam urbem ambarvale). — Habebantur quoque lustrationes tempore census, circum populum; quin et circum greges. In publicis feriis, hostia tribus masculini generis animalibus constabat, tauro nempe, verre, et ariete (solitaurilia vel suovetaurilia maiora); in feriis vero privatis, divites romani tribus hostiis minoribus deos placabant, agno scilicet, vitulo, et porcello (suovetaurilia lactentia). Quibus erant praedia minora, Ceres, Bacchus Laresque familiares pro facultatibus placandi erant, vel porcello (erat hoc vilissimum), vel agno, vel etiam vitulo: nec referebat, utrum masculini an feminini fuerit generis. — Veterum opinione, Iupiter solus Deorum preces submissa voce fusas audire poterat: reliqui non nisi clamore invocati opem ferebant. *V. G.*

351. Haec omnia, has tempestatum caeli et aëris vices, de quibus hactenus egit, porro magnum calorem, pluviam et gelu, e lunae phasibus et variis prognosticis, quae experientia docuit, intelligunt agricolae. Est haec meteorognosia agricolarum. Multa in his sunt, quorum ratio aliqua probabilis reddi potest; enimvero talis expositio non ad interpretationem poëtae spectat, sed ad expositionem et illustrationem rerum ipsarum a poëta traditarum. *H.* *haec* ad sequentia *aestusque — ventos*, referendum, et *possemus* e codicibus Medic. et Rom. praeferendum mihi esse videtur. *W.* — 353. Ipse Iupiter *statuit*, h. fixum et constans esse iussit; mutuatus autem est haec ex Arati Phaenom. v. 10-13. *Monet* luna prognosticis, quae edit, ut solent vates *monere*, qui futura docent, et *menstrua luna* praeclare propter menstruas motus vices. — 354. *Quo signo caderent austri:* quod indicium esset venti mox cessaturi. Ita enim *cadere* pro residere, Ecl. IX, 58; Aen. I, 154, ut contra *surgere* v. 356. Altera Cerdae interpretatio, ut sit pro *incidere*, quod Ge. II, 107, vel pro *surgere*, auctoritate destituitur. Habes duo signa cessantis et ingruentis tempestatis. —

Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor; aut resonantia longe
Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis:

quid saepe videntes, h. viso, quo occurrente prognostico seu indicio. — 355. cf. Calpurn. Ecl. V, 43 sqq.

356 sqq. — 364. Imminentes procellas nuntiat surdus aëris motus terra marique increbrescens, quo exterriti alites marini ad littus se recipiunt. Ex Arati Prognost. 477 sqq. (909 sq.); cf. Lucan. V, 565 - 568, qui in toto illo loco nostrum ante oculos habuit. Virgilium sequitur Plin. XVIII, 35, sect. 85, 86, 87, *Continuo*, primo. *ventis surgentibus*; mox v. 365, *vento impendente*; vide modo ad vs. 354. *freta ponti* poëtica periphrasi pro ponto, mari; nihil amplius. — 357. *aridus fragor*, qualis asper et acutus lignorum aridorum, quum franguntur. Ita et Lucret. VI, 111, et Homericum αὖον ἀΰσεν, ut Il. ν, 441, et καρφαλέον ἄϋσεν Il. ν, 409. Effert autem haud paulo ornatius Aratea l. l. 480: κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι. — 359. *Littora miscentur*, h. perturbatur mare littora et saxa alluens, quibus alliduntur fluctus, et *resonantia miscentur* pro simplici *resonant*. Aratus ib. v. 178, 179: μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες, Ἀκταί τ' εἰνάλιοι, ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι. *Littora ripaeque si resonabunt tranquillo*, reddidit Plin. XVIII, 35, s. 58: *De nemorum murmure* seu mugitu, cf. Aen. X, 97 - 99. Expressit h. l. Lucan. V, 551.

360. Iam tum satis gravis est tempestas in alto, ut navis *vix* resistat fluctibus, increbrescente procellae vi, cum etc. *H.* Varie hunc versum tentarunt interpretes. Nonnulli *a* omissum statuunt in verbis *temperat sibi curvis carinis*, quod per leges grammaticae facere non licet; alii e codicibus non bonis *a* receperunt, manifestam librariorum correctionem, eamque falsam (nam quis dixit: *tempero mihi ab aedibus, ab urbe?*) sunt denique, qui emendent *tibi unda temperat carinis*, *tibi* h. e. tuis. Mihi difficultas ita expedienda videtur: *Sibi temperare* est se continere, sibi modum ponere. His addi potest tertius casus, si quaeritur: *adversus quem* (quae constructio est apud Sueton. Vit. Lucani) tibi temperes; nam *temperare* cum tertio casu est parcere. Cic. Verr. IV, c. 6: *Non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam ulla in re unquam temperaverit, vos quoque ei temperetis.* W. Iam quod Aratus de *ardea* dixerat, v. 482, 3, 4, hoc ad *mergos* transtulit Virgilius. Contra Aratus v. 186, 7 mergos (αἰθυίας) in littore alis plangere memoraverat; unde videtur ductum, quod h. l. de *fulicis* narratur, *ludere in sicco*. De voce *siccum* v. Aen. X, 301. In versu 364 Aratus de ardea praeiverat: Κινυμένου κε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ' ἀνέμοιο, *vento moto volet supra mare*, in quo Virgilius videri potest poëtice exornasse *volare*. *Quodque ausa volare Ardea sublimis pennae confisa natanti* Lucan. V, 554. Ceterum Cicero Arateum ἐρωδιὸν *fulicem* reddiderat de Div. I, 8, ubi cf. Davis. Parum accurate veteres sibi laborandum puta-

Quum medio celeres revolant ex aequore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora; quumque marinae
In sicco ludunt fulicae, notasque paludes
Deserit atque altam supra volat ardea nubem.
Saepe etiam stellas, vento inpendente, videbis
Praecipites caelo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
Aut summa nantis in aqua conludere plumas.
At Boreae de parte trucis quum fulminat, et quum

364. *Altam supra volat ardea nubem. Ardea* dicta est, quasi ardua: quae quum altius volaverit, significat tempestatem. Lucanus: *Aut siccum quod mergus amat; quodque ausa volare Ardea sublimis pennae confisa natanti.*

bant in nominibus accurate reddendis. *H.* — 361. *Mergorum.* Fugam imitatus est poëta tribus anapaestis, mĕdĭō, cĕlĕrēs, rĕvŏlānt; vocem vero, plenitudine molossi, clāmōrēm: quae vox est propria, quamvis clangorem praetulerit Heynius. Vide v. I, pag. 309, Var. Lect. *V. G.*

365. Ex Arato ib. v. 191-200; cf. Lucan. V, 561-564; Plin. XVIII, 35, sect. 80. *H.* — 367. Casus stellarum caelo, non verus, quod esse nequit, sed qui videtur, et apparet; ideo signate *videntur labi*: signat poëta traiectiones quasdam, et ἀποῤῥοίας ignis, id est, defluxus; fiunt istae, quum vehementior ventus altiora conscenderit; atque istas stellulas relinquere post se longos tractus flammarum, id est, quasdam lucis albicantis semitas. *C.* Nostro loco inter diosemeia sunt; at inter omina et prodigia sunt Aen. II, 693. — 367: Τοὶ δ' ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνωνται. Arat. ibid. *albescere* elegantius quam exsistere; cf. Lucret. II, 206, 7. — 368. v. Arat. ib. v. 190-192; Plin. ib. sect. 86.

370. Iam praesagia pluviarum enarrantur. Primum est fulminum ex omnibus caeli partibus concursus. Omnino, pergit, vs. 373 pluviae venturae observatio in promptu est; tam manifesta eius signa sunt (quae inde subiicit) ut neminem facile non ante provisa et animadversa pluvia opprimere possit.

370-372. Quando ab omnibus caeli partibus tonat, imbres ingruunt; conversi ex Arato ibid. 200-205, qui ultimus versus haud dubie supposititius est; cf. Plin. XVIII, 35, s. 81, et de reliquis s. 87, rura *natant*, inundantur; ut *domus Euri* pro caeli parte, unde ille spirat. *H.* — 370. In quinto huius versus pede concluditur sensus dactylo, ita ut sextus pes novum inchoet sensum. Vide Homer. Odyss. XII, 408, Iliad. XI, 402, et alios locos apud Homerum. Virgilius hac constructione gaudet, lubenterque particulas iterat, Geor. lib. I, v. 80, *ne — pudeat sola, neve*: v. 223, *debita quam — seminis, quamque*; vs. 314, *quum, messis inhorruit, et quum*: et

Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Numquam inprudentibus imber
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriae fugere grues; aut bucula coelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circum volitavit hirundo;
Et veterem in limo ranae cecinere querelam;
Saepius et tectibus penetralibus extulit ova

375. *Aut bucula caelum Suspiciens patulis.* Hic locus omnis de Varrone est: ille enim sic: *Tum liceat pelagi volucres, tardaeque paludis Cernere inexpleto studio certare lavandi: Et velut insolitum pennis infundere rorem: Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo, Et bos suspiciens caelum (mirabile visu) Naribus aërium patulis decerpsit odorem; nec tenuis formica cavis non evehit ova.*

passim alibi; etiam ad alium sensum inchoandum. *V. G.*

373. *Nunquam imprudentibus imber obfuit*, damna attulit, nocuit, obesse solet, potest. Ornatur vulgare: non facile imber supervenire potest *imprudentibus*, h. l. insciis, hominibus, ita ut de pluvia imminente prognostico aliquo moniti non sint. Inf. 425: *Nunquam te crastina fallet Hora, neque insidiis noctis capiere serenae.* — 374. Aratum Diosem. 299, 300 ante oculos habuit, et ille Aristotelem H. A. IX, 10, qui notavit, grues (*quae alias, silentio per sublime volantes, serenitatem portendunt*, Plin. XVIII, s. 87) ubi in altum evolaverint, animadversa tempestate, statim se demittere et imbrem fugere. Adiicitur *vallibus imis*, h. ad valles, ut frondibus arborum se tegant; nam *imbrem surgentem vallibus imis*, h. nebulam, grammatice quidem recte iungitur, sed sententia ab h. l. aliena est. Theophrast. de signis pluviarum, unde plura illustrari possunt, ὅταν γέρανοι πέτωνται, καὶ μὴ ἀνακάμπτωσιν, εὐδίαν σημαίνει· οὐ γὰρ πέτονται, πρὶν ἢ ἂν πετόμεναι καθαρὰ ἴδωσιν. — 375. 376. ex Arato ibid. v. 222, 223. — *captavit*, captare solet, captat, *auras*, h. ducit, olfacit, ὠσφρήσαντο. Plin. XVIII, 88. — *arguta* ad vocem refertur. — 378. *veterem querelam* ad fabulam transformationis ranarum (v. Ovid. Met. VI, 376 sqq.) referunt; sed verbis simpliciter inest notio clamoris continui semperque eiusdem.

379. Arat. v. 224, 225. *tecta penetralia*, ut *adytum penetrale* Aen. II, 297; *templa penetralia caeli* Lucret. I, 1098, ut in nonnullis legitur. — *angustum iter*, κοίλης ὀχῆς, foraminis, seu, verius fortasse, callem, quo incedunt. Si prius, Aratum exprimit; sin alterum probes, convenit cum Aen. IV, 404, 5, *praedamque per herbas convectant calle angusto.* H. Quum praecedat *efferre ova tect. p.* h. e. cavis, *angustum iter* ad foramen referendum esse videtur. Nam *terens ang. iter* idem est ac *itinere angusto*. *Iter* pro

Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus; et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, et quae Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,

via et Livius dixit 21, 41: *per pacata itinera fugere*. W. — 381. *arcus*, iris, *bibere*, h. haurire, attrahere aquas cornibus suis, pluvio tempore, etiam a nostris hominibus creditur. Arat. ibid. vs. 208, *duplicem arcum* dicere satis habet: διδύμη ἶρις. Nostrum laudat Seneca N. Qu. I, 6. *H.* — 330. *Bibit ingens Arcus*. Sequitur iterum vulgi opinionem. Vitruvius IX, 4: *Per calorem videmus non minus aquae vapores a fontibus ad nubes per arcus excitari*. Propert. III, 3, 54: *Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?* Tibullus I, 4: *Venturam amiiciat imbrifer arcus aquam*, i. aquam velut amictum inducat, ut Scalig. ibi restituit. Plautus Curcul. I, 2: *ecce autem bibit arcus! pluet Credo hercle hodie*. Hinc et *Iris nuncia* dicitur *Iunonis*, i. e. aëris, in quo imbres. *L.* 381. 382. Arat. vs. 231-237, *increpuit densis alis* debebat exprimere τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά; in quo πυκνὰ pro πυκνῶς positum esse dubitari nequit, *crebro*. At Virgilius pro epitheto alarum accepisse videtur, quum *densas* reddit, ut ad multitudinem corvorum referat, qui, dum *denso* agmine volant, alis *densis* increpant. Ceterum ad hoc praesagium referenda sunt verba Horatii Carm. III, 27, 9: *Antequam stantes repetat paludes Imbrium divina avis imminentum*.

383-387. Praesagia pluviarum ex avibus marinis et cycnis memorat: *Iam videas varias volucres — infundere* etc. Cygni hic dicuntur *in stagnis dulcibus Caystri*, h. in stagnis, quae Cayster fl. egressus ripas, inundando vicina, facit, *rimari prata Asia circum* pro vulgari: versari in iis; *rimari* de cycnis pabulum et herbas quaerentibus (cibum per terrae rimas requirentes. *L.*); cf. Ge. II, 199. — *stagna* dicuntur *dulcia*, utpote vivi et perennis fluvii, non situ putrescentis aquae. *Asiam paludem* dixit Aen. VII, 701. At Homerus Ἀσιον λειμῶνα. Est autem *Asia* angustus tractus paluster Lydiae ad Caystrum, non longe a Tmolo, satis notus ex Homer. Il. β, 461: ἢ κύκνων δουλιχοδείρων Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα· quem expressit Virg. v. 383, 384. *H.* — 385. *Certatim* etc. Quas aves (cycnos) videas certatim sese lavare, undas appetere, in illis mergi, sed omnia incassum (*inexpleto studio* Varr. Atac.), quum nunquam satientur. *C.* — Haec partim a Varrone Atacino, cuius fragm. in Catalectis vet. poëtarum, partim ab Arato Diqs. 210, 211, sumsit. En Arati verba: Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες Ἄπληστον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν. — *caput obiectant fretis*, s. aquis immersant. Quae omnia si inter se compares, poëticam in nostro, quamquam novissimus post illos venit, copiam non desideres. De re vide et Plin. XVIII, 87.

Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat inproba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellae
Nescivere hiemem, testa quum ardente viderent
Scintillare oleum et putris concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena

387. *Et studio gestire lavandi.* Gestire est laetitiam suam corporis habitu significare: nam ut homines verbis laetitiam suam exprimunt, ita aves corporis gesticulatione. — Ad haec verba Donatus in Ter. E. III, 5, 7: *Gestire proprie est, sensum corporis gestu indicare: quod magis brutorum est animalium.* Nec abit a sententia Servii. *L.*

Nec minus ex imbri soles. Id est, serenitates; et versa vice dat prognostica, quibus agnoscamus ex tempestuoso caelo serenitatem futuram.

388. Aratus plenius vs. 217—221. Nostrum expressere Claudian. XV, 493; Lucan. V, 555, 556: *cornix improba*, propter *improbum*, nimium clamorem; vid. sup. ad 119. — *plena voce*, e pleno gutture, voce crassa. Alii legunt *rauca voce.* Eam *vocare pluviam*, quam denuntiat, iam Lucret. dixerat V, 1081, 1085. *H.* Et notat Servius *Cornicem* et *rauca* voce, et *solitariam* pluvias praedicere: *Corvos* contra, vs. 410, *Tum liquidas* etc — *Vocat.* Putabant antiqui, cornices pluviam non tantum praesagire, sed etiam vocare. *L.* — *sola secum spatiari* dicitur, sola, non gregatim; fere ut *secum esse*, *habitare.*

390—392. Ornate. Etiam puellae lanam ducentes tempestatem seu pluviam ingruentem ex scintillatione lucernae et fungi, qui ex stuppa in fungi speciem excrescit, concretione divinare norunt. — *Oleum scintillat*, h. flamma oleo nutrita. — *testa* est lucerna fictilis. Vides, quemadmodum rem vilem non ignobili oratione elocutus sit. Nec minus tamen bene et copiose Aratus ibid. 244—218. Add. Plin. XVIII, 84; conf. Apulei. Met. II, 18. *H.* — 392. *Putris concrescere fungos.* Sane quum uvido aëre lucerna crepitat, ex oleoque flamma aliquid exspuit micans, scintillae fiunt; sed quae residentes in naso lucernae, mixta fuligine, quam flamma immiscuit, atrum quemdam efficiunt fungum: ut ait Turn. XXII, 18. Servius causam huius concretionis ita explicat: Quum aër humidus esse coeperit, favilla, quae cum fumo solet egredi, prohibita aëris crassamento, in lucernis residet, et quasdam velut fungorum imitatur imagines. *L.*

393—414. Sequuntur praesagia serenitatis; et primum quidem usque ad vs. 400 ea declarata sunt per absentiam eorum, quae impendentes pluvias portendunt, duce Arato 206 sq. Tum vs. 401 ea apposita sunt, quae fiunt, serenitate succedente. *H.* — *ex imbri soles.* Dum adhuc pluit, serenitatem providere poteris. *V. G.* — *Serena*, ut *serenum*, absolute dictum, ut alia simili modo, h. serenum caelum, (Val. Fl. 1, 332 *no-*

Prospicere et certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
Tenuia nec lanae per coelum vellera ferri,
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt

397. *Tenuia*. Proceleusmaticus est pro dactylo, quam rem quotiescunque facit Virgilius, servat locum Synizesi; ut, *tenvia*; item et, *Genua labant*. Nubes tenues, pro velleribus accipiendae.

stras serena. W.) quod *apertum* vocari potest, nullis nubibus obductum. καθαρὸν φάος ἀμβλύνεσθαι dixerat Arat. Prognost. 281, et φάτνην καθαιρομένην πάσης ὑπένερθεν ὁμίχλης, vs. 265, ubi ad unam stellam hoc praesagium retulit, quum Virgilius omnino obtusam stellarum et obscuratam lucem commemoret. *H. cognoscere signis*, ut 351 *discere signis*; cf. Not. ad Ecl. IV, 60. *W.* — 395. 396. non tunc acies stellarum cernitur *obtusa*, obscurata. Haec illustranda ex Arato, qui signum ingruentis tempestatis notat: quum lux stellarum repente obfuscetur, *nulla apparente causa*, nec nubibus inductis, nec luna suborta, *quae luce sua illis officiat. Nec* tum *luna*, quae *fratris radiis obnoxia est*, surgere videtur, h. e. surgit, oritur, in conspectum venit ita, ut stellae videri possint luce lunae obtusae, offuscatae esse. *H.* Praefero H. Vossii interpretationem: luna splendere videtur sua luce, non illam a *fratre*, Phoebo, mutuata. Id praeter alia postulat divisio *nec-nec-nec*. Variandi causa 398, 399. *non-non* pro *nec nec* subiicitur; vid. Not. ad Aen. II, 197, 198. — *obnox*. Ge. II, 439. *W.* — 397. Ex Arato ibid. vs. 206, 207: *vellera lanae*, nubeculas lanis similes, nostris hominibus *oviculas*, cum aliis intelligebam; at illae sunt serenitatis nuntiae, ex poëtae autem sententia esse debet prognosticum instantis tempestatis; numerat enim inter ea, quae, serenato caelo, absunt: *Tenuia nec*— Sunt ergo nubes per caelum sparsae, mox in densiorem nubem coiturae: Plin. XVIII, 35: *Si nubes ut vellera lanae spargentur multae ab Oriente, aquam in triduum praesagiant*. Lucan. lib. IV: *Phoebus aquis densas in vellera nubes Sparserat*. Etiam Martial. IV, 3: *densum tacitarum vellus aquarum*, nivem vocat. Add. Lucr. VI, 502—4. — 399. Theocr. VII, 59, *Nereidibus dilectas* dixerat. Iis incubantibus mare tranquillum esse, unde *dies alcyonii* dicti, nota res est. Alienum tamen et hoc est ab h. l. in quo praesagia ingruentis tempestatis memorantur, quae abesse nunc ait poëta. Mutationem aëris sentientes alcyones putandae sunt ingruente tempestate alis expansis in littore conspici. Raro autem illae in conspectum veniunt, nec nisi Vergiliarum occasu, tempore pluvioso, et circa solstitia brumae. Aristot. H. An. V, 9; Plin. X, 32 3. 87 — 400. *manipulos* non modo messae frugis, sed herbarum, graminis, straminis etc. eos *iactant solutos*, h. ita ut solvantur iactando. Notum hoc signum instantis mutationis aëris. Plin. XVIII, s. 88: *turpesque porci alienos sibi* (h. ipsis non factos) *manipulos foeni lacerantes*. H. — 399.

Dilectae Thetidi alcyones; non ore solutos
Inmundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt;
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequidquam seros exercet noctua cantus.
Adparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo:
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras

399. *Dilectae Thetidi Alcyones.* Ceys filius Luciferi, habuit uxorem Alcyonem: a qua quum prohibitus isset ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cuius corpus quum ad uxorem delatum fuisset, illa se praecipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quae *Alcyones* vocantur. Istae autem aves nidos faciunt in mari, media hieme: quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri: inde etiam dies ipsi *Alcyonia* nominantur.

403. *Nequicquam seros exercet noctua cantus.* Id est, non. Persius: *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.*

Non ore solutos, si sues non iactent, solvant, disperdant manipulos messis, quos forte offendunt; solent enim hoc facere, quum volutantur in luto, si nebulae deprimantur, sintque prope terram. *C.*

401. Sequuntur ea, quae quum adsunt, serenum caelum portendunt: subsidentes nebulae etc. Arat. ibid. 256 sqq. Plin. XVIII, s. 83: *nebulae e montibus descendentes, aut caelo cadentes, vel in vallibus sidentes serenitatem promittunt.* — 402. Arat. vs. 267—269, ubi diserte ἥσυχον ἀείδουσα. Noctua observans solis occasum, noctem, sedens in arboris cacumine, canit assidue, sed frustra. Avis enim, quamvis ominosa, tempestatisque alias nuntia, tum tamen, quo minus serenitas redeat, non impedit. Plin. XVIII, 87: *Sic noctua in imbre garrula* (praesagit serenitatem), *at, sereno, tempestatem.* Nihil mihi videtur magis esse expeditum hac nostra ratione. *H.* — Plinius: *Vespertinum Noctuae silentium, serenitatis est praesagium. contra garrulitas, pluviae.* — *Nequidquam:* noctua gemitu suo procellas imbresque *nequidquam* provocat. Apuleius dicit, noctuam canere, quum advesperascit; ululam autem vespero; bubonem noctu. *V. G.*

404. Lusus lascivientium, serenato aëre, alitum declarat uno exemplo, sed mythico, quo odia inter cirin et haliaeetum celebrantur. De Scylla, quae patrem Nisum Minoi prodiderat, in avem cirin mutata, vid. Cirin, in quam vss. 538, 41 ex h. l. translati sunt; Ovid. Met. VIII, et sup. ad Ecl. VI, 74. — *liquidus* etiam aëris naturam mobilem denotat. — 407. *inimicus, atrox*, potest prius substan-

Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant, et saepe cubilibus altis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,
Inter se foliis strepitant; iuvat, imbribus actis,
Progeniem parvam dulcisque revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis

415. *Haud equidem credo.* Proponit sibi quaestionem acerrimam, et de intima philosophia: quam tamen tota facilitate dissolvit. Nam quaerit cur

tive accipi, aut, quod malim, *inimicus insequitur*, h. e. inimice, iungi, si quis dun epitheta iungi nolit, quod, nisi alterum participium sit, vix in bonis poëtis fieri, notatum est a viris doctis; vid. Ge. III, 149; IV, 19; Aen. III, 70. Vbi tamen nrationi δεινότης aliqua inest, non male tum dum epitheta iungi putem ad augendam rei gravitatem, ut in illn, quod infra lib. III, 149: *Asper acerba sonans.* Quod etiam tum facere licet, quum res per plura attributa, adiuncta, aut alia, quae rei propria sunt, declaranda ac describenda est: ut Aen. VI, 283: *Vlmus opaca, ingens* etc. *H.* Malim iungi *inimicus Nisus insequitur atrox* h. e. atrociter, vehementer — δεινὸς ὢν. — Ita Ecl. IX, 5, *victi tristes—mittimus* explico: victi mittimus tristes h. e. animo tristi. *W.*

410. Ex Arato ibid. vs. 274—277; cf. Lucret. vs. 1082 sq. *presso gutture*, coarctatn, acuto cantu, clangore, ῥεγχαινομένοισιν ὁμοῖα. — *voces liquidae* oppon. voci raucae, qua corvus alias imbrem denuntiat. — 412. Καίρειν κέ τις ὠΐσσοιτο ibid. 274. — *dulcedine laeti* h. vnluptate, gaudio. Similis locus inf. IV, 55. — *imbribus actis*, abactis, pulsis. *H.* *actis* pro actis caelo. Aen. V, 821: *fugiunt vasto aethere nimbi.* Prorsus convenit Ge. II, 334: *actum caelo aquilonibus imbrem.* Add. Ge. II, 130. *W.* 410. *Liquidas voces.* Claros sonitus, qui impediuntur imminente tempestate. Aëris subtilitas facit vocem magis sonnram, quae quum proficiscitur a corvis, serenioris caeli est indicium, ut Plin. XVIII, 35. Obscuram vocem amittunt, mutata tempestate, ex sententia Lucret. lib. V: *Et partem mutant cum tempestatibus una Raucisonos cantus* etc. Emm. — Ait Aratus corvns serena tempestate appropinquante, primum singulos, mox catervatim ad nidos volitantes plena voce singultare, laeteque circum arborem tumultuare: idem ait, vs. 381, corvorum raucam vocem pluviae nuntiam esse; claram vero et *liquidam*, serenitatis. Epicurus et Virgilius npinionem Pythagoreorum reiicinnt, secundum quam animalibus inest mundi animae aliquid. In Statii Thebaide dubitatur, avibusne ratiocinandi facultas statim a mundi principio concessa sit, an mortuorum mentes avium induant corpora; an denique aves aërem pro domicilin habitantes, maiorem sentiendi facultatem consecutae sint. *V.G.*

415. Non hoc eos propterea facere

Ingenium, aut rerum fato prudentia maior;
Verum, ubi tempestas et coeli mobilis humor
Mutavere vias, et Iuppiter uvidus austris
Denset, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi.
  Si vero solem ad rapidum lunasque sequentis
Ordine respicies, numquam te crastina fallet

homines, quos constat esse prudentiores animalibus, per se non sentiant qualitatem aëris futuram, sed eam magis ex aliis animalibus colligant. Et hoc dicit, homines prudentiam habere naturalem; et suo iudicio posse vel laetos esse vel tristes, quae res in haec animalia cadere minime possunt, quae nihil suum habentia, naturam aëris sequuntur: et pro eius qualitate aut laeta videntur, aut tristia: nec praedicere aëris naturam videntur; sed eam vel prosperam, vel adversam advenientem sequuntur. Nos vero et laeti inter nubila esse possumus, et in serenitate solliciti.

videri ait, quia illis *divinitus sit ingenium,* h. e. ex Pythagoreorum, Platonicorum, ac Stoïcorum placitis, *pars divinae mentis et haustus aetherii*, ut IV, 219, 220, ubi vide; cf. Ciceron. de Divin. I, 49 s. 110, 53 pr. — *aut rerum fato prudentia maior*, prudentia maior (quam in hominibus esse solet) *fato*, ut ante *divinitus*, a fato iis data. *H.* In vulgari interpretatione bene sibi opposita sunt *divinitus* et *fato.* Nam res constitutae sunt aut *divinitus* h. e. a numine aliquo, aut per *fatum.* Ad constructionem *prudentia rerum* illustrandam facit Cic. Senect. c. 2(, §. 78: *futurorum prudentia.* W. — 416. *Rerum fato prudentia maior*; scilicet cui rerum fatum subditum est: videtur enim vates firma lege oraculorum fata regere: sic apud Lucretium V, 1085; Corvus et cornix non solum imbrem praesagiunt, sed eum vocant: ieiuna esset locutio, si verba *rerum fato* eodem sensu intelligeres, quo supra *divinitus:* ieiunior, si *rerum* et *prudentia* iungerentur contra seriem verborum. *V. G.*

417—423. Verum, ubi caelum et aër mutatur, et aër humidus modo densatur, modo rarefit et tenuatur, naturae harum avium mutationem aliquam subeunt, et motus diversos a prioribus sentiunt. *H. Iuppiter* (aër) dicitur *uvidus austris*, auctoribus pluviae, quum imber modo cessarit. — *alios, dum* pro: alios concipiebant, dum. Si constructionem spectas, verba *alios — dum agebat* pro parenthesi habenda. *W.* — 423. *ovantes gutture*, h. laetantes cantu, laetam vocem edentes.

424. Ad praesagia e lunae phasibus, *lunas* dixit, et iis, quae in solis specie apparent, progreditur. Iis enim

Hora, neque insidiis noctis capiere serenae.
Luna, revertentes quum primum conligit ignis,
Si nigrum obscuro conprenderit aëra cornu,
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber:
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.
Sin ortu quarto: namque is certissimus auctor;
Pura neque obtusis per coelum cornibus ibit,
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt,
Votaque servati solvent in litore nautae
Glauco, et Panopeae et Inoo Melicertae.

437. *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.* Glaucus piscator fuit de Anthedone civitate: qui quum captos pisces super herbam posuisset in litore, et illi, recepto spiritu, rursus mare petissent, sensit quarundam herbarum potentiam, quibus conversus est in numen marinum. Panopea autem est Nympha marina. *Inoo* autem patronymicum est a matre Ino; Melicerta, proprium numinis. Sane Ino et Melicerta filius, postquam sunt in numina commutati, Graece Palaemon et Leucothoe sunt appellati: Latine Portumnus, et Mater Matuta. His ergo numinibus dicit mox sacrificaturos nautas in litore eis diebus quibus praedicta serenitas affuerit, eo quod sint in mari servati.

observatis, sequentis diei tempestatem ac caelum facile praedisci posse, etiamsi noctis serenitas aliud promittere videatur. — 426. Sic Aen. V, 851: *caeli toties deceptus fraude sereni.* Rem ipsam subministravit Aratus Diosem. 46 sq. *H.* *hora*, tempus h. l. dies. Apud Ovidium Art. I, 250, *illa hora* de nocte dicitur. *W.*

427—432. Luna renascens si obscura fuerit, est praesagium pluviae; si rubicunda, venti. — 433—437. Quarta dies a nova luna si puro nitore fulserit, serenitatem per totum mensem portendit. Respicit h. l. Plin. XVIII, 79. Ex multis, quae de luna tradit Aratus Diosem. 51—55, 69—72, haec selegit poëta. 427. Novilunium. *pelagoque*, nautis puta. *ore*, in ore. (Cf. Not. ad Ge. III, 439. *W.*) Vulgare: os suffuderit rubore. 341. *vento*, h. l. quum ventus futurus est. *auctor*, qui pollicetur, vaticinatur, h. l. praesagit. — 436—7. Secunda erit navigatio. 437. Parthenii versum esse, ex Macrob. V, 17 et Gell. XIII, 26 novimus: Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ, seu ut Gell. laudat, sed ex interpolatione, Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ. *Melicertes* est Palaemon inter deos marinos receptus. De Panope vel *Panopea* (Πανόπη, Πανόπεια), Nympha Nereide, vid. Aen. V, 240. Est autem metrum versus: *Glauco* | *et Pano* | *peae et* | *I.*

Sol quoque, et exoriens, et quum se condit in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quae mane refert, et quae surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum,
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto
Arboribusque satisque notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Heu! male tum mitis defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso quum iam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam saepe videmus

442. *Conditus in nubem.* Id est, si orbis eius quasi concavus fuerit; quod ipse exprimit dicens: *Medioque refugerit orbe.*

447. *Tithoni croceum linquens Aurora cubile.* Thitonus frater Laomedontis regis, adamatus est ab Aurora: quumque optasset prolisiorem vitam, conversus est in cicadam.

448. *Male defendet pampinus uvas.* Id est, non defendet: nam decussis pampinis etiam vim grandinis patitur uva.

451. *Profuerit meminisse magis.* Ideo *magis*, quia a Sole venientia vespertina signa, meliora sunt.

438—440. Ex Arato Diosem. 87—89. *Sol in ortu et occasu prognostica refert*, dat, fert; cf. 339. — *surg.* cf. Aen. IV, 352. — 441. Sol oriens si maculosus, nubibus obductus, ab exteriore tantum sui parte conspicuus et quasi concavus est, imber portenditur. Plin. l. c. *Concavus sol oriens pluvias praedicit; idem ventos, quum ante exorientem eum nubes rubescunt; quod si et nigrae rubentibus intervenerint, et pluvias.* — *medio orbe refugere* simpliciter accipi posset: abdi, e conspectu subduci; nam poëtis *medium* non accurate dicitur; sed vetat Aratus Dios. 96. Ad reliqua v. eund. 90, 91, 443, 444 et 423—425. — *ab alto*, ex aethere; vid. ad vs. 324. — *urguet*, ingruit. — 445. *Si in exortu sol longe radios per nubes porriget, et medius erit inanis, pluviam significabit.* Plinius XVIII, 35 s. 78. Aratus Dios. 97—99. — 446, 447. quum lux orientis solis erit pallida. Alter est versus Homericus Od. ε, 1. —448, 449. Ipsa structurae conversione orationem exquisitam factam vides; *mitis uvas* iunge; et *salire* pro cadere; cf. Aen. V, 458. — 450—455. Solis orbe nubibus obducto sub occasum, si nigrae nubes erunt, pluviae, sin rutilae, venti denuntiantur.

Ipsius in voltu varios errare colores;
Caeruleus pluviam denuntiat, igneus euros.
Sin maculae incipient rutilo inmiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere: non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At, si quum reseretque diem condetque relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro silvas cernes aquilone moveri.
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus

errare ornatius quam esse. — 452, 453. Arat. Diosem. 402—407. 454. Sin mixtae erunt nigrae et rutilae nubes, ventus cum imbribus denuntiatur. — *fervere* elegantius quam impleta esse. 456. Suavis orationis, in primis tenuioris, variandae color, similis in illis: Ge. II, 315: *Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor, Tellurem—moveri.* III, 435: *Ne mihi tum molles* etc. Sublectus tamen est et ille modus Arato Phaenom. 287, 417; cf. Longin. c. 26, et ibi Morum V. Cl. Est tamen is et aliis poëtis frequentatus, v. c. Callim. in Dian. 175; Nicand. Ther. 124. — Mox *moneat*, hortetur, auctor sit.

458—460. Si et mane et vesperi sol purus erit ac serenus, certum id serenitatis pignus puta; flante aquilone, qui serenat caelum. Plin. l. l. *Si et occidet pridie serenus et oritur, tanto certior fides serenitatis.* Aratus Dios. 93—95, 126—129.

461—463. Verbo, ex sole praesagia omnino petimus certissima, quae circa vesperam caeli facies, serena an nubila, futura sit; a qua caeli parte ventus nubes dispellens aut adducens pluvias venturus sit. — 462. *quid cogitet Auster*, praeclare; aut enim deus, et facies eius exhibebatur ab artificibus truculenta, minax, superciliosa. Omnino autem poterat poëta vento personam induere, quod sexcenties fit. *Quodcumque minabitur Eurus*, quis non ex Horatio meminit? — 463. Hinc color ductus Manil. II, 134, 135: *Quod Fortuna ratum faciat, quis dicere falsum Audeat, et tantae suffragia vincere sortis?* Scilicet ex eventu homines rerum consilia et prudentiam iudicant. *falsum* pro fallenti dixit.

464. Ingeniosus transitus ad emblema carminis seu episodium non inelegans, quamquam ad nostra tempora minus accommodatum; quo poëta et illud effecit, ut varietate aliqua distingueretur argumenti tenor, et esset, ubi ingenium poëtae se iactare posset. — *Caecos tumultus* dixit bellicos ex occulto natos; eosdem mox *fraudes* et insidias coniurantium et

Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam, 466
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Inpiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti,

469. *Tempore quamquam illo tellus.* Ac si diceret: quamquam illo tempore non solum Sol defecerit; sed etiam diversae res, et elementa; quasi fleverint Caesaris mortem, et inaudita portenta fuerint; ut ex reliquorum comparatione, minus mirum videatur solem defecisse.

operta bella explicat. Nostrum ante oculos habuit Manil. I, 894: *Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus, Et clandestinis surgentia fraudibus arma.* H. — Quid sit tumultus docet Cicero Philipp. VIII, 1. *T.* — *tumescere* vero elegantius, quam oriri, surgere; trabuntur enim attributa maris ac procellarum ad bellorum motus. Sic et οἰδεῖν, sic *fluctus*, *aestus*, *procellae*. H. — 465. *Et operta tumescere* etc. Hic *operta bella*, alia sunt, quam quae paulo ante nominat *caecos tumultus*. Saepissime in descriptione irae, superbiae, et rebellionis, Latini scriptores utuntur verbo *tumere*, et vocabulo *tumidus*. Ovid. Fastor. II, 607, *Iupiter intumuit*; id est, ira incensus. De superbia Cic. Tusc. quaest. III, 39: *Sic igitur inflatus, et tumens animus, in vitio est: sapientis autem animus semper vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam tumet.* Quemadmodum hic *operta tumescere bella* dicuntur, sic Cicero ep. ad Attic. XIV, 4, *Negotia tument*, id est, seditiones et bella mox erumpent. Sic etiam Gallice dicimus: *le présent* est gros *de l'avenir.* — *Tumescere*, initia vitae, motus, germinationis designat. *Lem.*

466. Prodigia post Iulii Caesaris caedem, quae eadem pro praesagiis belli civilis subsequentis habebantur, etiam historicis satis sunt celebrata, a poëtis in primis tractata, Ovid. Met. XV, 782 sqq.; Tibull. II, 5, 71, ubi v. Not. Ex historicis in primis vid. Dion. XLV, 17. Inter ea fuit solis tam defectus, proprie ita dictus, quam per totum annum pallor; vid. Dion. l. c.; Plutarch. in Iul. Caes. p. 740; Plin. II, 30; Tibull. II, 3, 75. De causis huius prodigii a multis disputatum est; petuntur eae a maculis solis insolitis. Probabilior est temporum nostrorum experientia comprobata opinio, obscuratum esse caelum nebula ferruginea modo, modo rubente. *H.* Ceterum verum solis defectum eo anno mense novembri fuisse, testatur Sammlung Astronom. Tafeln. Berl. tom. II, pag. 122. *W.* Primas autem lineas huius prodigiorum enarrandorum moris duxisse videtur Apollon. IV, 1284. Ad nostri poëtae exemplum alii bellorum graviorumque calamitatum praesagia commemorarunt; et belli quidem civilis Lucan. I, 524 sqq.; Petron. c. 123. — *miseratus Romam* pro eo, quod dicendum erat: monuit instare tumultus. *H.* et ipse sol sortem Romae doluit. *W.* *ferrugo* poëtica oratione pro caligine. — *impia saecula*, homines istius aevi, quo

Obscenique canes, inportunaeque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!

472. *Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam.* Malum enim omen est, quoties Aetna, mons Siciliae ubi graves Cyclopum Iovi fulmina fabricantium officinae, non fumum, sed flammarum egerit globos: et ut dicit Livius: *Tanta flamma ante mortem Caesaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur.*

impium facinus in Caesarem commissum erat. *saecula* Lucretiano more dixit, ubi *saecula ferarum* et alia. — 470. *Obsceni canes*, ominosi, mala portendentes; cf. Aen. IV, 455, ut *importunae volucres*, odiosae, molestae, cantu mali ominis. *H.* — 470. Graecorum antiquissimi quum viderent omnia ex aqua, aëre et terra gigni, credidere se ab illis facile, communi Apollinis vaticinio, comperturos, quae aut natura, aut fata futura sint: 1.° a caelo nempe, si avium sublimes volatus et voces: si tonitrua, ignesque, si denique ventos et sidera observarent; 2.° a tellure, si vaporum, animalium praesagientium omina; si arbores, sortes, mortuos, somnia perscrutarentur: 3.° ab aqua (Nereus, Proteus, Glaucus, Nymphae); si fontes bestiasque aquatiles contemplarentur. De prodigiis vide Iliad. IV, 75; XVII, 547. *V. G.*

470. *Obscenique canes.* Vlulantes scilic. ob visa phantasmata: canum ululatus inter funestissima erant omina, perinde ac immoderati gemitus avium nocturnarum interdiu auditi. Ovid. Met. XV, 791—796. *V. G.* — *Obscenitas* ominis proprie: nempe quia obscena omnia et foeda, antiquis visa tristia et infausta; ut contra pura purgataque, laeta et felicia. Hinc *obscena dicta* appellat Accius δύσφημα. Ovid. de eodem prodigio: *Inque foro, circumque domos, et templa deorum, Nocturnos ululasse canes.* Aen. III, 241, *obscenas volucres* vocat Harpyias. — *Obscenus*, an absque diphthongo an cum diphthongo scribatur, Dausquius in *obscenus*, et *scena*, prolixius disputat. Per obsceuas canes intellexeris insolitum, et ominosum latratum edentes. —*Obscenus*, sine diphthongo, ab *ob* et *cano* deducitur, interposita litera *s*, euphoniae causa, et contrarium omen, malum et minax augurium, ut hic, significat; nam cum diphthongo, ex *ob* et *caenum* componitur; non ab *cane*, ut ait Priscianus; neque ab *Oscis*, ut inquit Festus; et tunc turpe aliquid et immundum significat. Sed vide Varronem lib. VI de L. L. 5, Manutium, Nonium, et Cellarii Orthogr. — *Importunaeque volucres.* Alieno nempe tempore volitantes, quae apud Lucan. I, 558, dicuntur *foedasse diem*, quia diurnu tempore bubones, striges, et eiusmodi generis aves apparere non solent; *importunus* enim dicitur, qui rationem habet nullam occasionis, loci, vel temporis, sed ea agit quae animo est lubitum. *L.*

471—3. Aestuantis Aetnae explosi ignes verbis a tempestate maris petitis describuntur. Omnino *undae* flammis tribuuntur. — *liquefacta saxa*,

Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes;
Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
Ingens; et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis; pecudesque loquutae;
Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt;
Et maestum inlacrimat templis ebur, aeraque sudant;

quia massa tum liquescens mox lapidescit (*Lava*); conf. Aen. III, 576. Aliquoties igitur eo anno Aetnam exarsisse, hinc discimus. *H.* Iunge *effervere fornacibus*. Ad constructionem compara I, 379, *efferre tectis*, et 512, *carceribus sese effundere*. W. — 474. Huic superstitioni *aurora borealis* originem dedisse videtur. — 475. Alpes saepe tremuisse Plin. notavit lib. II, s. 82. *H.* — 474. Apud Sophoclem, Dii, quibus perspicuum iam Troiam perditum iri, imagines suas humeris auferunt: quin et Hierosolymae exitio appropinquante, multa evenere, quae etiamnum vulgi admirationi proponuntur: tunc exercitus in aëre pugnantes visi sunt, et quum Pentecostes nocte templum inissent sacerdotes, inter tumultus et varios motus vox clamavit quaedam; *abeamus hinc*. — Nota verbum *ingens*, quod versus initio sensum concludit; admirandam enim huic loco tribuit vim et effectum, praesertim quia positum post *silentes* resonare latius videtur. *V. G.*

477. *simulacra* mirum in modum *pallentia*, e Lucret. I, 124, sunt defunctorum umbrae. *H.* Vulgare est mirum in modum. Amant pluralem poëtae. Terent. Ad. II, 4, 42: *indignis modis*. W. — *pecudesque loquutae*. De sermone brutorum, multa exstant: Achillis equum eum eo loquutum, eiusque obitum praenuntiasse, sunt qui volunt. Vt Iulius Obsequens de prodigiis c. 7: *Canis et serpens verbis expressis sunt loquutae.* Iuxta eundem c. 103: *Bos loquuta est, et canis Arimini*. De bove testatur non uno loco Livius XXIV, 10: *Bovem in Sicilia loquutum.* XXVII, 11: *Et Priverni satis constabat bovem loquutum*; et XXXV, 21: *Consulis Cn. Domitii bovem loquutum*, ROMA CAVE TIBI. Appian. de B. C. lib. IV: βοῦς τε φωνὴν ἀφῆκεν ἀνθρώπου. Tibull. II, 5: *Et simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes, Fataque vocales praemonuisse boves.* Per pecudes saepe boves significari, dubium non est ex nostro Marone, Columella, et aliis. — hoc prodigio quasi attonitus poëta et perturbatus, ad sequentia enarranda utitur praesente verborum tempore, *sistunt*, *dehiscunt* etc. *V. G.* Mox intell. *boves vocales*, Tibull. II, 5, 78. Tum *sistunt amnes* se, consistunt. *H.* Vid. Varr. L. L. V, 2: *Sol sistit*. W. Ad rem refer Horat. Carm. I, 2, 13 sqq. *Vidimus flavum Tiberim retortis undis ire.* — 480. *ebur aeraque* sunt signa ex ebore et aere; ea *illacrymari* credebantur, credo, quia tepido sudabant humore per tempus pluvium collecto. *H.* Nolim verba *illacrymat templis* exigi ad Horatiana Sat. II, 2, 77: *desurgere coena*; I, 4, 32: *deperdere summa*, quasi dicta sint pro lacrymat in templis, ut praepositio *in*, ante substantivum collo-

Proluit insano contorquens vertice silvas.
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnis
Cum stabulis armenta tulit; nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae adparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; et altae
Per noctem resonare, lupis ululantibus, urbes.
Non alias coelo ceciderunt plura sereno

canda, verbo praeposita sit. *Inlacrymare* est ita compositum, ut *ingemere* Propert. I, 1, 14: *templis* autem idem, quod in templis; vid. Tibull. I, 3, 28. *W.* — *ebur*, scil. simulacrorum. L. — *Aeraque sudant.* Signa sunt laboris futuri. Huius illustrationem debes Vrsino, qui coniungit ex prodigiis Apollon. lib. IV: ξόανα ἱδρώοντα αἵματι: *simulacra cum sudore sanguinis.* Et epigr. lib. I: Ἄρτεμις ἱδρώουσα παράγγελός ἐστι κυδοιμοῦ: *Sudans Diana nuntia est tumultus.* Ex interprete Apollonii in dictum locum ὅταν μέλλει τι συμβαίνειν χαλεπόν, εἰώθει τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν: *Quum quid mali imminet, consueverant sudare simulacra.* Adiungo Lucanum, qui inter prodigia belli civilis lib. I, *urbisque laborem Testatos sudore Lares.* Appian. qui Civ. lib. IV, de prodigiis, quae praecesserunt caedem proscriptorum, καὶ τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρουν: τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρουν: *ex simulacris nonnulla sudore, nonnulla sanguineo sudore perfusa.* Ab his non abit sudor ex lapidea statua Antonii, quam rem inter prodigia belli Actiaci narrat Plutarch. in Antonio. Huc pertinent verba Ciceronis Divinat. I: *Quid Lacedaemoniis, paullo ante Leuctricam calamitatem, quae significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit?* Ibidem inter prodigia belli Marsici: *Deorum simulacra sudavisse.* — 481. Vt ira, rabies, sic furor et *insania* incitato flumini tribuitur. Padus autem eluvionibus infamis. — *camposque — tulit*; cf. Aen. II, 498, 99. *H.* *fluviorum rex*, praestantiam Padi poëtice ornavit; vid. Ge. II, 98. *rex ipse Phanaeus*, ubi vocabulum *rex* (praestantissimum vinorum) similiter usurpatur. *W.* 483. *Nec* cessarunt *fibrae apparere minaces*, frequenter exta inspecta portenderunt mala. *H.* *et resonare — urbes*, cave *cessaverunt* ex prioribus arcessas. Tum *aut* pro *et* postularetur. *resonare* est infinitivus historicus; conf. Aen. IV, 422. Suaviter orationem variavit Maro, quum inde a 474—485 perfecta, praesentia et infinitivus sese excipiant, plane ut Aen. IV, 457—465. *W.* — 486. *Lupis.* De hoc prodigio errantium per urbes luporum, ut Livius lib. XXXII: *Romae non in urbem solum, sed in Capitolium penetraverat lupus*: Idem lib. XXXIII et XLI. — Lupi quum ad urbes accedunt, ut eorum ululatus exaudiri possit, supplicationes instituuntur. *Altae*, usque in urbis interiorem partem (Aen. I, 26, *alta mente*). Servius languidiore interpretatione verbum *altae* pro *magnae* sumit. *V. G.* — *Alte*, adverb. meliorem sensum et terrori pingendo magis aptum exhiberet. *L.* — 487. *Sereno* tonuit. Huc refer Horat. Carm.

Fulgura, nec diri toties arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi;

488. *Diri cometae.* Criniti, et pessimi: quia sunt et boni, facti ex Iova vel Venere; quam rem pleuissime Avienus exsequitur.

489. *Paribus concurrere telis.* Quia in civili bello Romani contra Romanos, eisdem et similibus telis armisque pugnaverunt. Lucanus: *Pares aquilas, et pila minantia pilis.*

I, 2, 3, 4. — 488. Vid. Cicer. de N. D. II, 5, §. 14. *H.* — 488. *Diri.* Ideo, quia auctore Sueton. Neron. c. 36: *Stella crinita summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur.* Tacit. Ann. lib. XIV: *Cometes effulsit, de quo vulgi opiuio est, tanquam mutationem Regis portendebat.* Tibull. II, 5: *belli mala signa cometem.* Sil. lib. I: *terret fera regua cometes*; et lib. IV: *Regnorum eversor rubuit lethale cometes.* Lucan. lib. I: *criuemque mutandi sideris, et terris mutantem regna cometem.* — *Cometae.* Ad Etymon satis clare Manil. lib. I: *Flamma comas imitata volat tenuesque capillos.* Lem.

489. Haec prodigia insequutum esse ait bellum civile, proelio ad Philippos, Macedoniae adiectae, olim Thraciae, urbem commisso, et Bruti Cassiique exitu nobilitatum. Poëtica ratione Philippos dicit vidisse Romanas aries *concurrere*, et quidem *iterum concurrere.* Romanos alterum proelium, post illud in priore bello civili ad Pharsalum factum, inter se commisisse. *Nec superis fuit*, visum est, *indignum*, iniquum, h. diis placuit, in eodem Macedoniae regno, latius accepto, bis stragem Romanorum fieri. *Emathia* Macedoniae est pars, ad quam proprie nec Pharsalus nec Philippi referri possunt; sed poëtae latius eo nomine etiam pro Thessalia utuntur. *Haemus* mons est Thraciae, cui poëtica ratione urbs Philippi subiacere dici potest. Lucan. I, 680: *latosque Haemi sub rupe Philippos*; IX, 271: *Emathios Philippos* dixit. Magna pars Thraciae olim Macedonibus paruit. Satis nobis declarasse videmur loci sententiam. Virorum doctorum contentiones in h. l. maxime errori debentur, quod *iterum* eum *videre* iungebant, non *iterum concurrere.* Manilius, qui hunc locum in extrema libri primi parte ante oculos habuit, eandem poëticam rationem amplexus, paullo licentius extulit: *Civiles etiam motus cognataque bella Significant* (cometae sive alia meteora); *nec plura alias incendia mundus Sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos. Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa virum lacerosque prius superadstitit artus.* Licuit poëtae, quamquam minus subtiliter, in eodem loco praelium factum dicere, quod in illis regionibus, in eo regno aut plaga factum; ut ne tum quidem vitiose dictum videri debeat, si *Philippos ipsos* dicat *iterum vidisse concurrere Romanas acies*; h. Philippis iterum pugnatum esse. Quid, quod contendi potest, veteres, quum haec Virgiliana carmina legerent, sententias non aliter constituisse? Ex imitatione Ovidii iudices. Is Metam.

Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
Di patrii, Indigetes, et Romule, Vestaque mater,

Pinguescere. Aut foecundos fieri ex humano cruore; aut *pinguescere* dixit poëtice, quasi humana corpora terra devorans pinguis effici potuerit; sicut ex carnium commistione frequenter humana caro pinguescit.

497. *Grandia ossa.* Aut multa, aut ingentia; quasi antiquorum heroum.

498. *Di Patrii, Indigetes, et Romule, Vestaque mater.* Patrii dii sunt qui praesunt singulis civitatibus: ut Minerva Athenis; Iuno Carthagini. *Indigetes* autem, proprie sunt dii, ex hominibus facti; quasi in diis agentes. Abusive autem omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes. Romulum autem ideo invocat, quia ipse iam inter deos colebatur: et recte eum ad Augusti salutem invocat, quasi ex eo descendentis, et qui illius sit urbis imperator, quam Romulus condiderat.

XV, 823, 824 de Caesaris ultione: *Pharsalia sentiet illum, Emathiaque iterum madefacti caede Philippi*; vides caedem Emathiam, h. talem, qualis iam ante ad Pharsalum facta erat; et Lucanus, qui lib. VII sub f. totum hunc locum expressit, *Thessalia infelix.* — Vs. 853. *Ante novae venient acies, scelerique secundo Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos*; denique Petronius c. 121 (de Bello Civ. 110): *Cerno equidem gemina iam stratos morte Philippos.* Noli tamen propterea cum viris doctis existimare, veteres Pharsaliam cum Philippis confudisse. Latius *Emathiam, Thessaliam, Haemum, Philippos* et *Pharsalum* in poëtis, qui de his proeliis agunt, dici, ac si ad eandem regionem omnia illa referenda essent, ex comparatione dictorum obvia res est. *paribus telis*: quum utrinque a Romanis pugnaretur. Hinc Lucan. I, 7; Valer. Fl. VI, 404. — 491—2. fatale fuit, bis civilibus armis pugnari in Macedoniae finibus. — 493. Expressit et haec Manil. I, 908, 909. — 494. A Lucret. V, 932: *ferro molirier arva.* — 496. *inanes* non otiosum galearum epitheton, quum *pulsabit* adiunctum sit; alias *cavas* et ab effectu *sonantes* dicunt. Locus a multis expressus, in primis Claudiano XXI (de Laud. Stilic. I), 434—437. — 497. *Grandia ossa* praeclare ad communem de vastis priscorum hominum et heroum corporibus opinionem dixit; conf. Aen. XII, 899, 900. Quum in istis proeliis fortissimi homines cecidissent, posteritas, quae corrupto huic et decrepito saeculo successura est, eodem modo horum ossa mirabitur, ut nos priscorum hominum.

498. *Dii patrii* et *Indigetes* ab aliis pro iisdem, ab aliis pro diversis ha-

Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo
Ne prohibete. Satis iam pridem sanguine nostro

499. *Vestaque mater, Quae Tuscum Tiberim, et Romana Palatia servas.* Poëtice: nam verum nomen eius numinis, quod urbi Romae praeesset, sciri sacrorum lege prohibetur: quod ausus quidam tribunus plebis euuntiare, in crucem levatus est.

bentur. A poëtis minus severa diligentia in his requiritur; possunt tamen distinguenda videri numina, si Ovidii locum Met. XV, 861 sqq., qui hinc expressus est, respicias (Itaque comma post *patrii* posui; similiter in invocatione deorum copula deest Ge. I, 5—10, *Vos, lumina, Liber et alma Ceres, et Fauni* etc. *W.*). *Dii Indigetes* sunt ἐγχώριοι. Ex iis Aeneas erat: v. Lib. I, 2 extr.; Tibull. II, 5, 44; Aen. XII, 794. Idem Aeneas *deos patrios* seu *Penates* a Troia in Latium advexerat. *H.* — *Dii patrii*, sunt Dii patrum, maiorum; opponunturque Diis devictarum gentium, qui numero Deorum a Romanis cultorum paulatim recepti sunt. Dii patrii primum singulas domos tantum et familias tutabantur. *Indigetes*, erant maiores antiquitus Deorum numero recepti; indigetes, ut videtur, idem quod *indigenae*, χθόνιοι, ἐγχώριοι: ut Ianus, Picus, Faunus, indigenae, Aen. VIII, 314: huiusmodi erat et Aeneas, qui ad fluvium Numicum, *indiges* vocabatur Aen. XII, 794. Arnobius I, pag. 39, ipsos tyrannos postea ad caelum evectos indigetibus adscribit, unde sequitur; *indigetes* omnes *patrios iure* appellari posse, nec tamen omnes patrios *indigetes*. Inter *patrios* Deos praecipua hic Vestae mentio: comitata est enim Troianos penates; inter *indigetes vero* Romulus, qui auctor generis fuerit. Ovid. Metam. XV, 861—865; Silius IX, 294. *V. G.*

500. *iuvenem*, ut Ecl. I, 43, Romani sermonis noto usu appellat Octavianum Caesarem, tum circiter XXVII annum agentem (*Hunc saltem*; nam Iulium Caesarem impiis inviderant Romanis. *W.*). *Saeclo* (ut v. 468) *everso* dixit, quod in prosa *rebus perditis succurrere*; ut *eversum imperium* pro labefactato, ad interitum ruente; v. Duck. ad Liv. XXX, 16, 6, ubi exstat *civitas eversa*. Ceterum nonnulla in sequentibus sunt, quae fortasse Romania magis probari potuerunt, a nobis excusari satis est. — *Laomedontis* certe *periuria* nimis longe petita videri possunt. Ad veterum tamen hominum sensum, piaculum, ἄγος, quo maiores obstricti iram deorum provocassent, in posteros verti credebatur; neque reatus ac poena averti posse, nisi sacris piacularibus rite curatis. Suscipi tamen illa debebant a viro pio, casto ac sancto, qui θεοφιλὴς esset. Tota sententia sic procedit: Permittite dii, ut Caesar remp. restituat. Satis malorum experti sumus. Ne nobis hunc, qui unice res restituere potest, invidete et eripite, etsi aevi huius eae sunt corruptelae, ut dei alicuius praesentiam vix ferant. Haec singula splendide ornavit et amplificavit.

Laomedonteae luimus periuria Troiae.
Iam pridem nobis coeli te regia, Caesar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos:
Quippe ubi fas versum atque nefas; tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes

502. *Laomedonteae luimus periuria Troiae.* Excusat Augusti tempora, et eum dicit suis viribus non compensare damna reipublicae, quae ex maiorum vitiis descendisse confirmat.

502. De Laomedonte nota narratio, qui Apollinem ac Neptunum mercede pro muris Troiae exstruendis pacta fraudavit. Comparandus locus Horat. III, 3, 21 sq. Melius tamen *Laomedontea Troia* simpliciter pro epitheto habetur, ita ut *periuria Troiae* latius ad omnia facinora et ἄγη Troianorum, atque ad fata ac mala referantur, quibus illa erant expianda. Iis autem etiam Romani, eorum posteri, premi videri poterant. —503. Fere ut Horat. I Carm. 2, 45 sqq. *H.* *Laomedonteus*, ut *Laomedontius*, si cum *genus*, *pubes*, *heros* etc. coniunctum est, pro Troianus dici, nec in contemtum, non nego; idem tamen, *periuria* reputans moresque *Laomedontis* periurio infames, epitheton illud apte huic loco delectum esse video, ut Aen. IV, 541: *necdum Laomedonteae sentis periuria gentis?* W. — 503. Convertit se a Diis ad Caesarem; de quo cum magno elogio ait, illum invideri a Diis optantibus, ut ut iam in caelo regnet, quasi terrae indignae sint tanto Principe; additque caelum ipsum queri de Caesare, qui curet humanos et mortales triumphos, quum divinos et aeternos mereatur. *C.*

505. Reddit duas rationes, quibus tantopere Caesar a Diis optetur: quia videlicet humana omnia ac divina iura confusa sunt, mista, turbata; hoc est enim, versum esse fas, versum esse nefas: deinde, quia nullus honos aratro habetur, ac rebus rusticis. *C.*

505—509—511. Haec ad annum ab V. C. 717 M. Agrippa et L. Gallo Coss. referenda, quo multis prodigiis turbati erant animi, dum inter Triumviros parum firma fides, ut paulo post graves inimicitiae; inter Caesarem et Sext. Pompeium bellum recrudescebat; Antonius cum exercitu adversus Parthos iam dudum Syriae infestos ibat; ab Agrippa, qui Rhenum transierat, in Galliis bellum modo confectum erat. Haec omnia in unum contulit poëta, ut gravior esset sententia.

505. *ubi* h. l. apud quos. — 507. *Dignus honos*, satis magnus. — 510. *ruptis legibus*, pactionibus mutuis, pace rupta. Aen. VIII, 540, *poscant acies, et foedera rumpant.*

Arma ferunt; saevit toto Mars inpius orbe:
Vt, quum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

512. *Vt quum carceribus.* Hoc vult dicere: Res quidem publica habet optimum imperatorem; sed tanta sunt vitia temporum praeteritorum, quae in dies singulos aucta sunt: quemadmodum in processu equorum cursus augetur; ut ea, licet optimus rector, refraenare non possit; sicut et auriga a ferventi cursu equos plerumque non potest revocare.

512. A circo sumta comparatio tumultuantis orbis: semel emissi currus cum tanto impetu ruunt, ut ab auriga retineri nequeant. — *spatia* hic de septem spatiis seu gyris accipiunt, quibus in circo decursus finiebatur; *spatium* tamen et locus dicitur, in quo decurritur; cf. Ge. III, 203; Aen. V, 316. *H.* — *Carcer*, teste Varrone de L. L. lib. IV, a coërcendo, quod ex eo noxii exire prohibentur. Sic *carceres* septa erant, vel repagula, quibus continebantur equi, ad cursum parati, donec, signo per magistratum dato, copia *sese effundendi*, procurrendi fieret. Noster, Georg. III, 104, et Aeneid. V, 144: *Non tam praecipites*, etc. Frequens etiam huius comparationis usus apud poëtas: Hor. Sat. I, 1, 114: *Vt quum carceribus missos rapit ungula currus.* — *Addunt* quadrigae *in spatia*, intelligitur a doctissimis interpretibus *cursum*, h. intendunt, in ipso spatio currendi sumunt vires. Non nego, ellipsin illam paulo duriorem mihi videri; *se* post *addunt* secundum meliores libros exstrusit Heinsius; quod sane ferendum; vel sic tamen non tam ex antecedente versu, quam ex sermonis genio debet *se* intelligi. *Addere se* est instare, urgere. *Dare se in fugam* etiam in pedestri oratione frequentamus; similia v. Ge. IV, 528; Aen. XII, 633; *addere se* pro simplici dare se, immittere se, ruere in decursum, cum impetu ferri in *spatia* in decursum, habet analogiam (Et Forcellini *addunt se in spatia* accepit pro: dant se cursui per campum. Sed *se* tum omittere durissimum est. *W.*). Expressit nostrum Silius XVI, 372: *Iam fere medium evecti certamine campum, in spatia addebant.* Gratius Cyneg. 217 *incumbere spatiis* eo sensu dixisse videtur; et Homer. Il. ψ, 375: ἵπποισι τάθη δρόμος. Denique addere spatia, in spatia, ut alii *addere in spatia* interpretantur, esset alium post alium decursum facere, alium post aliud spatium currere. — 514. Nota figura *currum*: h. equos, *non audire habenas* dicit, qui regi non possunt. Horat. Ep. I, 15, 13: *equi frenato est auris in ore*; Pindarus ἅρματα πεισιχάλινα dixit Pyth. II, 21. *H.* Add. Iuv. XIV, 230: *totas effudit habenas curriculo.* *W.*

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Propositio cum invocatione Bacchi 1—8. De arborum *inprimisque vitium et olearum* cultura *acturus, primo loco varios arborum proventus, alios a natura, alios ab arte profectos exponit. Aliae arbores sponte nascuntur—21; aliae arte parantur: et quidem avulsione—23, infossione 24, 25; propagine 26, 27; surculo 28, 29; concisione 30, 31; insitione 32—34. Nunc edocturus, studium esse adhibendum et suam cuique arbori pro generis et soli natura culturam, Maecenatis propitiam voluntatem implorat—46. Arbores, quae sponte proveniunt, cultu emendari possunt—56; quae satu nascuntur, feliciora habent incrementa transplantatione, aliisque artificialis culturae generibus—72; inprimis inoculatione et insitione proprie dicta—82. Deligendae quoque arborum eiusdem generis species praestantiores—108. Caelum praeterea naturae cuiusque arboris idoneum est circumspiciendum; nam magna in hoc est varietas—135. Sic aditum sibi parat ad laudes Italiae, omnium rerum proventu felicissimae—176; denique soli natura est exploranda, cui proventus generi illa conveniat—225; subiiciuntur criteria soli cognoscendi et iudicandi—258, et viae ac rationes soli tractandi et naturae eius emendandae; hinc ipsa cultura quum omnium arborum, tum inprimis vitium. Primum enim docetur, quae in plantatione observanda sint—314, simul de tempore plantationis faciendae—345, de cura post illam adhibenda, inque hac de potatione (362—70) et de avertendis iis, quae nocere possint novellis arboribus (371—79); quumque in his caper sit, excurrit in morem mactandi hirci in sacro Bacchi—369. In vitibus tamen*

inprimis assidua est cura per totum annum adhibenda—413. Minus operosa est olearum cultura—425, et pomorum—428; exigua aut omnino nulla arborum sativarum—457. Inde excursus in laudes vitae rusticae, pars carminis felicissima—ad fin.

Hactenus arvorum cultus et sidera coeli;
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
Virgulta, et prolem tarde crescentis olivae.
Huc, pater o Lenaee; tuis hic omnia plena

2. *Bacche.* Inventorem pro vitibus posuit, de quibus κατ' ἐξοχὴν in hoc libro loquitur; nam vites praecipuae sunt, licet et aliarum arborum faciat commemorationem.

Lenaeus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, id est, a lacu, sive Torculari; nam quod Donatus dicit ab eo, quod mentem leniat, non procedit: nec enim potest graecum nomen latinam etymologiam recipere.

1. Respicit ad lib. I, v. 1. Poëtae exordio utitur Columella III, 1. Nunc arborum, inquit, curam exponam: et quidem de *vitibus* (*te, Bacche*) tum de *virgultis* h. e. arboribus *silvestribus* et *oleis*; *silvestria* dubito an ex vulgari usu dictum ad arbores *infecundas* referendum sit: *silva* poëtis pro arboribus dicta, ut saepe in sqq. v. c. 181: videtur igitur *silvester* esse epitheton ornans, et *virgulta silvestria* nil nisi arbores omnis generis. *H.* Vulgarem usum vocis *silvester* praefero. Per vocabula *nec non* (vid. Varr. R. R. cap. 2, pag. med. *nec non glirium*) alteram partem notant scriptores; quae quidem hoc loco *arbores* complectitur, in *silvestres*, infecundas, et *fecundas* divisas. *W.* — 2. *Bacche.* Bacchus Graecis non vineam solum a rubri maris litore attulit, ut apud Athenaeum testatur Philonides, XV, 5; sed etiam arborum fructus omnes dedit, ut in Neoptolemi Parii Dionysiade narratur (Athen. III, 7). Vnde κάρπιμος vocatur et δενδρίτης. *V. G.* — *Nec non silvestria tecum Virgulta.* Id est, infecundas arbores, quibus praecipue in Italia vites cohaerent, et quasi *maritantur*; ut sunt salices, populi, ulmi, orni, etc. Georg. I, 2: *ulmisque adiungere vites.* L. — 3. Oleae e semine nasciturae tardissima sunt incrementa; v. Plin. XV, 1; Varro R. R. I, 41, 6.

4. Splendida invocatio. *Huc, pater o Lenaee.* Pater, licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohaeret: nam Liber pater vocatur. — Bacchus perinde ac fluviorum Dii, hic pater dicitur ob abundantiam: ceterum enim exhibebatur figura nobilissimi, ac gaudio exsultantis iuvenis: nescio igitur quid delirarint barbari isti artifices, qui eum ventricosi et ebrii senis forma donavere. *V. G.* — *hic*, in iis, quae dicentur, in argumento carminis mei.

Muneribus; tibi pampineo gravidus actumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris;
Huc, pater o Lenaee, veni, nudataque musto
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis:
Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipsae
Sponte sua veniunt, camposque et flumina late
Curva tenent, ut molle siler, lentaeque genestae,
Populus, et glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine, ut altae

— *tibi*, per te, ut σοὶ pro διὰ σε, beneficio tuo (Sic *cui* pro cuius cura et beneficio, Ge. I, 15. *W.*). — *florere* est hic laetum esse, plenum esse. — *auctumnus pampineus* est proventus auctumni e vinea, ὀπώρα. Eadem notione paulo post *vindemia*. — *labra*, Tibull. I, 1, 10 *lacus*, sunt vasa ad recipiendum mustum apta. *H.* Mihi *pampineus auctumnus* visum est de tempore accipere, ubi vindemia est. *W.*

7. Suavissima imago Bacchi uvas calcantis una cum poëta, ubi auxilium sibi a Deo ferendum in carmine de vinearum cultura expetit. — *Cothurnatus* exhibitus fere olim Bacchus; quod etiam ex signis aliisque monumentis constat. Calcare pedibus uvas etiamnum in Italia sollemne.

9—12. Arbores procreantur aut natura aut arte; *arboribus creandis*, h. e. arborum nascentium *natura*, ratio, *est varia*: et quidem naturalis ratio triplex, *aut* ut sponte *veniant*, h. proveniant (sup. I, 54), *aut* e semine, *aut* ab radice; Plin. XVI, 32, s. 58. Cf. Theophrast. Hist. Plant. II, 1, quem et Varronem I, 39, 31, expressit Virgilius. Item Columella de Arborib. pr., qui ad h. l. respicit. Ceterum in iis, quae sequuntur, ornandis quanta poëtae ars sit, facile sentiri potest, si ad nudam pedestris orationis narrationem ea redegeris.

11. *Sponte sua*, αὐτομάτως. Haud subtiliter veteres ea, quae *sponte nasci* dicebant, distinxere ab iis, quae *semine nascuntur*, quum tamen nec ista sine semine proveniant. Voluere scilicet declarare id plantarum et arborum genus, quod primigenium dixeris, quod in loco, quem occupat, colonus iam reperit: quemadmodum vulgus herbas malas et inutiles sponte solo nasci dicit, quia semen, unde illae gignuntur, vento et aëre allatum et in solo depositum, non in oculos incurrit, ut sine semine nasci putari possint. Iam sup. I, 22, *novas non ullo semine fruges* dixerat; nec aliter Theophrast. Varr. Plin. l. c. — 12, 13. *Siler* salicis fortasse genus; neque enim satis notus frutex est; v. Plin. XVI, s. 35. — *genesta* fruticis viminei genus apibus gratissimum (cf. inf. 434; v. Martin.); hinc *lenta*, flexilis, ut *lenta vitis* Ge. I, 265. — *Salicta* pro salice, cuius natura pulcre expressa, nam salix ab una parte alba est, ab altera viridis. *H.*

14. *posito surgunt*, nascuntur, *de semine*, h. ex semine, quod de arbore

Castaneae, nemorumque Iovi quae maxuma frondet
Aesculus; atque habitae Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima silva,
Vt cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.
Hos natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.

16. *Atque habitae Graiis oracula quercus.* Nam in Dodonaeo nemore arbores, dantes responsa, fuisse dicuntur. *Habitae* autem *Graiis*: vel quasi non credens dixit, vel quasi Italus, qui loca illa nesciret; vel revera quondam *Habitae*, quia illo iam tempore silebant.

20. *Hos natura modos primum dedit.* Bene *primum*: nam favor naturae fuit etiam ad alios inveniendos: contra naturam enim nihil hominum inventum valeret.

in terram fluxit, et solo se insinuavit, proveniunt, ut castanea et ilex, si nux, glans, deciderit, et ab humo recepta fuerit; vid. Plin. XVII, 10. Scilicet h. l. naturales modi enarrantur; de satione autem, quam dicas, artificiali mox agetur. Quod hic *posito semine*, idem v. 57, *seminibus iactis.* Dicuntur autem *semina* late de quovis propagandi genere, interdum de omni principio, unde aliquid gignitur. De *castaneis* v. Colum. IV, cap. extr. cf. Plin. XVII, 10, s. 10, et praecipue 20 a. 34. — 15. *Aesculus*, arbos glandifera e quercuum genere, admodum procera; cf. inf. v. 291. — 7. Iovi sacra, *aesculus maxima nemorum* graece dictum arbitror pro in nemoribus. *H. nemora*, ut *silvae*; cf. 26, *silvarum aliae*, pro arboribus dicitur. Ita rectum *maxima nemorum*. At Latinum est *nemoris maxima*, ut *potentissimus Galliae*. W. *quercus habitae oracula*, h. pro sede oraculi Dodonaei; v. Hom. Odyss. ξ, 327, 328; quamquam modus edendae sortis diverse traditus est.

17. *Viviradices* vocant; quamquam id nomen latius patet, et stolones ac truncos etiam designat, quos transfers in aliam terram. — 19. *Subiicit se*, adolescit, crescit; v. sup. Ecl. X, 74, *quantum vere novo viridis se subiicit alnus.* Docte autem variata oratio pro: ut cerasia, ulmia et lauro. *H.* — 19. *Matris.* Solitum magnis scriptoribus usurpare, in re silvestri atque arborea, nomina quae pertinent ad sobolem, membra, aetates, affectiones hominum. Locum istum aemulatur Claudian. de nuptiis Honor. et Mar.: *ceu forte minor sub matre virenti Laurus, et ingentes ramos, olimque futuras Promittit iam parva comas.*

21. *Fruticum.* Ita definiri possunt frutices ex Theophrasto, hist. I, 5, et ex Aristotele, Plant. I, 4: plantae, quae statim a radice se in ramos et virgulta effundunt, et nunquam arborescere queunt; mediae sunt inter arbores et herbas vel olera, unde Plinius vocat *suffrutices* et Theophrastus δενδρολάχανα, quasi ex arbori-

Sunt alii, quos ipse via sibi reperit usus.
Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos;
Silvarumque aliae pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva sua plantaria terra;
Nil radicis egent aliae, summumque putator
Haud dubitat terrae referens mandare cacumen;
Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix oleagina ligno;

bus et oleribus mixta natura, constent.

22—34. Sunt alii modi arborum creandarum artificiales, h. quos usus ipse sibi reperit; *via*, id est arte, ratione, industria et experientia, ut centies *via* apud nostrum et alios. Colum. X, 338: *salutis Ipsa novas artes varia experientia rerum Et labor ostendit miseris ususque magister Tradidit agricolis*; cf. inf. IV, 313, 316; I, 133. — Lucretius V, 1360 sq. praeivit Maroni. Sunt autem modi hi: *avulsione*, *infossione*, *propagatione*, *surculo*, *concisione*, *insitione*; cf. Plin. XVII, 10, s. 9. Omnia, quae sequuntur, quum ex aliis, tum in primis ex Theophrasto de Causis Plant. lib. I, egregie illustrari possunt.

23. Alius *stolones* avulsos e radice (vid. v. 17) fossis (sic *sulcus* infr. 289) seu scrobibus mandat. v. Plin. XVII, 10, s. 13. Ita *avulsione* arbores proveniunt. *H. planta*, vocabulum generale, est h. l. stolo cum respectu ad translationem; et proprie dicitur *deponere plantam*. Ovid. Rem. Am. 193. — *abscindens* vero propter auctoritatem codicum et constructionem cum praepositione *de* praefero. *W.*

24. Alius modus est, quo quis truncos seu vastiores ramos ac *taleas* in pali modum, haud quadrifariam fissas, *cum radicibus* in terram *infodit*; cf. Plin. XVI, 47, s. 27; Colum. quum alibi, tum V, 9, 3.

26—27. Tertius modus fit *propagine*. Vt aliae, inquit, arbores proveniant, incurvatas in terram, scrobe facto, demittere necesse est, et in *terra sua*, h. e. ea, in qua mater crevit, plantare.

28—29. Est hoc sationis genus, quum ex summa arbore rescissa virga seu talea, scrobe facto, in humo defigitur *surculus*. — 29. *referens*, quia iam ante illinc enatum fuerat. Nisi omnino ornate dictum est *referens mandare* pro simpl. mandare. Nam fert, defert, refert taleam in illum locum. *H.* putator, qui ad arborem putandam exierat, *referre* surculum proprie dicitur, ut *reportare* I, 275. *W.*

30—31. Nonnullae arbores, et inter has in primis olea, *concisione*, h. e. ita procreantur, ut *caudex* seu stipes, *resecta radice* et abscissis ramis, idemque dissectus ac fissus, terrae infodiatur. Ita ex ipso stipite radix *truditur*, trudit se, quae terrae se affigat, *caudices secti* per se esse possent poëtica ratione resecti, abscissi; at solent isti caudices diffindi et concidi, ita ut e media medulla nova ar-

Et saepe alterius ramos inpune videmus
Vertere in alterius; mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolae, fructusque feros mollite colendo;
Neu segnes iaceant terrae. Iuvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxuma nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non, mihi si linguae centum sit oraque centum,

bor prodeat. Plin. XVII, s. 9, inter genera sationis arborum: et *consecto arboris trunco*. Add. Plin. XVII, s. 27, 28, 29.

32—34. De *insitione* agit. Narrat exempla: malum insitam piro, corno prunum; poëta fructum pro arbore nominat, pirus fert mala; cornus pruna. *H.* *corna* pro corni, ut 426 *poma* pro pomi, dicere ausus est Virgilius. *W.* — *Lapidosa corna*. Dura: quae ossiculum habent unicum.

35. Discite, qui per singula genera cuique generi cultus proprius sit. — 36. E Lucret. V, 1366: *Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli Tentabant, fructusque feros mansuescere terra cernebant indulgendo blandeque colendo*. — 37. *Ismarus*, mons Thraciae, vitibus (unde *vinum Maroneum* a propinqua urbe), et *Taburnus*, mons Samnii, olivis nobilis, quamquam uterque alioquin asper et horridus. Laudat Burmann. Intpp. Gratii Cyneg. 509. Putandi autem sunt hi quoque versus ad adhortationem agricolarum pertinere, ut arboribus colendis operam dent. *H.* — vestire, tegere; hoc verbo nihil frequentius apud rei rusticae scriptores. *L.*

39—40. Proposito quasi argumento libri, Maecenatem, ut id una pertractet, advocat, commodiore loco, quam si paulo ante v. 5—9 Baccho subiunxisset privatum hominem. Nam Caesarem recte ultimo post deos loco ponebat Ge. I, 24 sqq. *Decurrere* recte quidem ad stadium aut circum refertur, sed propter v. 41 a cursu navigationis petitum videri debet. — 40. Maximam suae famae gloriae partem eo contineri ait, quod Maecenatis amicitia utatur. — 41. Tractationem materiae plerumque formulis navigationis significant poëtae. (Alii ex paucis codicibus *volens* praeferunt. *W.*) — 43. Eadem Aen. VI, 625 sqq. ex Il. β, 488 sqq. Iam ab Hostio poëta Latine expressa erant Homerica, cuius versus apud Macrobium Sat. VI, 3 sunt: *Non si mihi linguae Centum atque ora sient, totidem vocesque liquatae*. H. *ferreus*. Homericum σιδήρεος plerumque notat *validus*, *firmus*. W. — 44. Summa tantum rerum capita se leviter perstricturum esse significat, ea scilicet, quae tra-

Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram:
In manibus terrae; non hic te carmine ficto
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.
  Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis

44. *Primi lege litoris oram.* *Lege*, nauticus sermo est, qui nunc et ad navigandum, et ad lectionem potest referri. Nam hoc dicit: Faveto principio, vel humilitati carminis mei.

48. *Infecunda quidem.* Foetu carentia: et per transitum rem physicam tangit; nam semen salicis esum, dicitur iofecuuditatem mulieribus gigoere. — *Laeta et fortia.* Quasi hoc io ipsis arboribus genus sit fecunditatis.

ctari poëtice ornarique possunt. Hoc dicit *litus legere*, radere, ut *terrae in manibus* (ἐν χερσὶν, Apoll. Rh. I, 1113) h. prope sint, vicioae; non vela in altum dare. *H.* *carmine — per ambages.* Tacitus Ann. I, 2, *per acies aut proscriptione cecidissent*, apud quem saepius ita variatur, *exorsa longa*, opus longum. *W.* — *In manibus terrae.* Vel perseverat in eadem allegoria; qui enim extremam oram litoris praeterlegunt, nec in altum pelagus invehuntur, ii terram habent in manibus, id est, in propinquo, ut, *in manibus Mars ipse, viri*; vel est reditio ad propositum, quia dixerat, *Neu segnes iaceant terrae*: hoc sensu: iam ad propositum revertor, et sermonem, qui de terra erat institutus. — Vide Apoll. I, 1113; et Propert. III, 3, 23: *alter remus aquas, alter tibi radat arenas.* V. G. — *Non hic te carmine ficto, Atque per ambages et longa exorsa tenebo.* Id est, simpliciter universa describam: neque ut in Aeneida, aliquibus figmentis, aut ullis utar ambagibus longe repetitis; nisi forte tangat Hesiodum, qui, in describeuda agricultura, variis fabulis lectorem detinet et fatigat. *L.*

47. Iam ad culturam arborum progreditur. Et primum quidem v. 47—60 de emendatione arborum silvestrium agit, cum respectu ad naturales modos, quibus arbores nascuntur. Nuuc primo loco attingit primum (v. 9—13). Quae in agro inculto sponte eoasci solent, mitiorem naturam possunt consequi insitiune aliisque modis; cf. Varr. I, 39, 40. — *luminis oras*: lucis, coeli, extrema. Nec tamen damnari omnino potest altera lectio *luminis auras*, pro lumine, quatenus illud aura ad nos defertur, proprie aura luminosa. Lucretiana autem est forma. Ex Gr. φάεος ἀϋτμὴ apud Callim. in D. 117 et al. Sic *aetheris aura.* — 49. *Quippe solo natura subest.* Quinctil. loco a Burmanno laudato, Inst. Orat. X, 2, 11: *Namque iis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est*; itaque *solo natura subest*, inest naturalis vis ac virtus (sales, calor, humor, temperies), scilicet ad procreandas illas arbores necessaria ac propria; cf. Lucr. III, 274. *H.* — 49. *Quippe solo natura subest.* Quia, ut supra diximus, naturaliter rerum omnium mater est terra, et universa intra se

Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum, cultuque frequenti
In quascumque voces artis haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quae stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altae frondes et rami matris opacant,
Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.
Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,

continet semina. Hinc est, *Quippe solo natura subest*. Nam natura dicta est ab eo, quod nasci aliquid faciat. Mire autem ait *Subest*. i. e. inest latenter, quia non apparet. — 49—50. *tamen haec quoque*, *si quis* etc. suavis formula, v. Ecl. VI, 9. Silvestres arbores fecundarum naturam induunt, si iis aliae arbores mites inserantur. aut si eae transferantur. — 50. *mutata* debetur poëticae copiae et ornatui: solo mutato; nam sola translatione natura silvestrium mitescit, *solo*, *cultu*; de qua re egit Theophr. de Causs. Plant. III, 23. *H.* — At non credes, Veteres putasse, translatione silvestres arbores in fecundas mutari. Hinc nonnulli *at*, lectionem codicum quorundam, praetulerunt, sibi persuadentes, *at* pro *et* saepe usurpari. Donec haec opinio confirmata sit, *mutata* accipiam pro mutata per insitionem, insita, qua significatione vox 33 legitur. Opposita non accurate elocutus est Maro: arbores post insitionem aut solo suo possunt relinqui aut alio transferri, h. e. *mandari scrobibus subactis*, mullitis. Cic. de Senec. 15, §. 51, *terra gremio mollito ac subacto semen excepit*. Forcellini, se *et* legisse, sub v. *mutatus* testatur. *W.* — *At* pro *et*; nec rectum exhibet sensum lectio *aut*; nam sola insitione agrestis truncus in salicto, frugifera arbor fieri potest; sed quaeritur, quomodo id sola mutatione loci fieri possit. *V. G.* —*scrobes subacti*, ut terra subacta, quae foditur. Mox *animus* eleganter pro natura, ingenio arborum. — 52. Suaviter. Quascumque artes ad maiorem earum cultum adhibeas, feliciter tibi succedere videbis.

53—56. Ad stolones ab radice pullulantes (v. 17—19) procedit, qui in campum vacuum et in solem transferendi sunt, quum ipsis nunc umbra matris noceat, ut adulti aut nullos fructus ferant aut maligne; quae eadem res docuit plantaria et seminaria instituere: *Sterilis* deest *arbor*; sequitur tamen vox vs. 57. *H.* Relationes eiusmodi adiectivorum vel pronominum ad sustantiva in prioribus non posita non rarae apud Veteres, nec tamen laudandae. *W.* 56. *fetus* arborum fructus, saepe, ut supra I, 55 et inf. 429. — *urere* vero perquam accommodate de subducto succo.

57—62. Sequitur altera ratio naturalis procreandarum arborum, ex semine in solum delato (supra v. 14—16) una cum modis eam arte emendandi et adiuvandi. Ex h. l. dilucidandus Plin. XVII, 10, s. 10. Egerat de semine — *omnia haec tardu proventu ac degenerantia et insito*

Tarda venit, seris factura nepotibus umbram,
Pomaque degenerant, succos oblita priores;
Et turpis avibus praedam fert uva racemos.
Scilicet omnibus est labor inpendendus, et omnes
Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiae de robore myrtus;

60. *Turpes.* Silvestres, viles, et avibus diripiendos. *Taubm.* — *Fert uva racemos.* Vvam pro vite posuit, id est, fructum pro arbore. Sane racemus, botryonis est pars, et botryo Graecum est, et sic uvam pro vite posuit, sicut Horatius pro vino; nam sic ait: *Caecubum et praelo domitam Caleno, Tu bibes uvam.*

63. *Sed truncis oleae melius.* Quia supra ait, *Truditur e sicco radix oleagina ligno;* et iam redit ad eos modos, quos invenit industria. Dicendo autem *melius*, osteodit etiam alias arbores ex truncis posse creari. Sane olea est arbor ipsa, unde derivatum est oleum. Oliva vero fructus ipse, unde olivum dicitur. Legimus tamen et olivam de arbore, ut: *Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.*

64. *Solido Paphiae de robore myrtus.* Sicut et olea. *Paphiae* autem *Venereae*, a Papho insula, in qua Venus colitur. Huic autem myrtus consecrata est; vel quod haec arbor gaudet litoribus, et Venus de mari dicitur procreata: vel

restituenda. — 57. *seminibus iactis*, seu temere cadentibus, seu manu iactis; utrique enim par eventus. — *tarda venit*, tarde provenit. (Sic *arbor crescit lacta* supra dicitur. *W.*). Ad *seros nepotes* conf. Ecl. IX, 50. *Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes*; et Senecam ep. 86. — *oblita* suaviter et hoc e sollemni poëtarum more, quo rebus inanimatis aliam naturam induunt; cf. Callim. in Del. 34, et ibi Ern. — 60. *turpes racemi*, deficiente cultu, squalidi, rugosi, ut contra *uvae cultae*, *nitentes*, *pulcrae*. *Vva* h. l. pro vite, quae nostris quidem in terris ex acinis non procreatur, at in insulis Americae adhuc id fieri narratur.

61—62. Artificiales modi arborum *e semine* procreatarum incrementa accelerandi, qui non minus locum habent in reliquis arboribus, sive sponte, sive ex viviradice natis; itaque rem generalius proponit; nec tamen (conf. Theophr. de Causs. plant. I, 6), ut poëtam decebat, eundem ac v. 22 sq. ordinem anxie servat. Arbores, inquit, silvestres omnes transferendae sunt in alium agrum, et in scrobibus (hi sunt *sulci*, vide v. 24) defigendae, et *multa mercede*, multi laboris impendio colendae. — 63—68. Est tamen cuique arbori suum culturae genus accommodatissimum. *Oleae melius respondent*, consilio, voto, felicius proveniunt e *truncis* h. caudicibus sectis (vide v. 30) sive taleis oleaginis (v. Cato. 45, 1; Varro I, 40, 4; Colum. V, 9, 1 sqq.) in terram defixis; *vites propaginibus* in humum demissis (v. 26); *myrti* autem, Veneri sacrae, *solido*

Plantis et durae coruli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeaeque arbos umbrosa coronae,
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida,

quod, ut Medicorum indicant libri, haec arbor apta est mulierum necessitatibus plurimis.

65. *Plantis et durae coruli nascuntur.* *Duras* dixit, non ad lignum, sed ad fructum ipsarum referens: alii *Edurae* legunt, quasi non durae, ut paulo post, *Enodes trunci*; id est, sine nodis: ut E modo minuentis, non augentis habeat significationem. Sane coruli proprie dicuntur: nam avellanae, ab Avellano, Campaniae oppido, ubi abundant, nominatae sunt.

69. *Foetu nucis arbutus horrida.* Versus dactylicus: nam male quidam *horrens* legunt. Horrida autem hispida; et iam transit ad insitionem, quae duples est: nam aut insitio dicitur, quum fisso trunco surculus fecundae arboris sterili inseritur; aut oculorum impositio, quum inciso cortice libro alligatur alieno, et arboris germen inserimus.

de robore, h. trunco seu stipite aut vastiore ramo ad pali modum in terram infosso; v. 24—25 (*de robore*, h. e. excrescentes de robore. *W.*) At *surculorum plantatione* (vide v. 28, 29 et Plin. XVII, 17, s. 28) optime provenit *corulus*, *fraxinus*, *populus* Herculi sacra (sup. Ecl. VII, 61), et *quercus*, Iovi Dodonaeo consecrata; *palma* etiam et *abies*, aedificandis navibus apta, ἐλάτη ναυπηγήσιμος, ut Theophr. H. Plant. V, 8. Occurrit autem passim is veterum usus et mos illas arbores plantis seu surculis procreandi. De *palma* v. Pallad. April. cap. 5, 2: de *quercu* Colum. IV, 33, 5. *H.* H. Vossius, qui, duce Martino, quercum, palmam et abietem non nisi semine enasci contendit, post accuratam vocabuli *planta* explanationem, significationem eius duplicem et *radix* et *semen* in hunc locum cadere statuit. *W.* — 165. *Et durae.* Legendum *edurae*, i. e. *valde durae*. *Fab.*

69—72. *Insitio* restabat ex v. 32 sq. Optime inseritur *arbuto*, in arbutum (*horrida* ea dicitur a cortice hispido et aspero) nux, *platano* malus, *fago* castanea, *orno* pirus, et *ulmo* quercus. Respicit locum Plin. XV, 15, s. 17. Videmus hic poëtam ita tradere, quasi omne genus surculorum in omnem arborem inseri posset; quod a nostris hominibus, qui in hac re aliquid se videre putant, negatur; non enim inseri posse arborem arbori, nisi sui generis. Alii tamen orno se insevisse pinum, castaneam quercui, affirmant. Etiam Columella lib. V, 11, §. 12, antiquos contendit male idem negasse, *et quandam quasi legem sanxisse, eos tantum surculos posse coalescere, qui sint cortice ac libro ac fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur.* Cuius ille *opinionis errorem discutiendum tradendamque posteris rationem* existimabat, *qua posset omne genus surculi omni generi arboris inseri.* Quod ad verba

Et steriles platani malos gessere valentis;
Castaneae fagus, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmae,
Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus; huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte

attinet, tenendum, vulgari quidem ratione dici *arbuto nucem inseri*; at nec minus tamen rariore modo, *arbutum inseri nuce*, ut h. l. *nucis fetu*, quod non tertio, sed sexto casu accipiendum. *H.* Plura verba ex praepositione *in* composita duplicem admittunt constructionem; vid. Not. ad Aen. V, 403. Sequutus est Virgilii constructionem Plinius XV, cap. 15 med. *quippe quum Virgilius insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis ulmum dicat.* W. *Nux* autem generale vocabulum, ut sit nux iuglans, avellana, amygdala, pinea. *H.* H. Vossius putat, intelligendam esse *nucem iuglandem*, *die Wallnuss.* W. — 70. Platanus gerit malum insitam. *H.* *Platanus* umbram propter tanta colitur cura, ut orator Hortensius a Cicerone quondam peticrit, diem iudicii dictum differri, quo posset in praedio suo platanos vino conspergere. *V. G.* — 71. *fagus incanuit castaneae flore, et ornus albo piri flore incanuit*, h. e. fago castanea, orno pirus inseritur. *Ornus* fraxini silvestris genus; v. Martin. h. l.

73. De insitione, et quomodo sit inventa, vid. Plinium XVII, 14. Duplicem insitionem constituit Poëta; altera proprie vocatur insitio, *enter en greffe*; altera inoculatio, *enter en écusson*: insitio est, quum medio ligno arboris fisso inseritur surculus, a Graecis dicitur ἐγκέντρισις: inoculatio, quae ab iisdem dicitur ἐνοφθαλμισμός, est, quum gemmae surculorum, sinu corticem inter et truncum aperto includuntur: nonnulli tertium genus addunt; scilicet ἐμφυλισμόν, emplastrationem, quum sublata parte corticis, huius in locum substituitur alterius arboris gemma, pari magnitudine, quae sublati corticis spatium repleat. In hoc nostri homines a Virgilio discedunt, quod hic sinum in ipso arboris nodo gemmaque faciendum moneat, quem nos, infra vel supra nonum in corticis parte maxime tersa ac nitida aperimus. *L.* — *modus inserere* inserendi, ut Statius Theb. XII, 573: *Nam quis erit saevire modus?* W. *Inoculatio* fit, quum in ea parte, qua *gemmae*, h. nova germina seu oculi, *se trudunt*, erumpunt ex cortice, *ruptis tuniculis*, h. libro, interiore cortice vulnus fit, sive *angustus sinus*, h. cavitas, avulsa gemma et cortice in modum scutuli, cuius loco *includitur novum germen*, ut *coalescat* cum vetere *libro*.

78—82. Iam de *insitione proprie dicta*; *rami felices* sunt arbores feraces, cuius *plantae* h. surculi silvestri arbori inseruntur. *Aut rursum* non contra-

Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantae inmittuntur: nec longum tempus, et ingens
Exiit ad coelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondis et non sua poma.
  Praeterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici lotoque, neque Idaeis cyparissis:
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae,
Orchades, et radii, et amara pausia bacca,

84. *Salici.* Plin. XVI, 37, octo genera salicis recensel. — *Lotoque.* Lolos Nympha quaedam fuil, quam quum amatam Priapus persequeretur, illa deorum miseratione in arborem conversa est, quae vulgo faba Syriaca dicitur.

86. *Radii.* Olivae, ita a longinquitate radiorum nominatae. — *Amara Pausia bacca.* Oliva a paviendo dicta, id est, tundendo: aliter enim ex se oleum non facit. *Amara* autem *bacca* viridi, ut alibi, *Floribus atque apio crines ornatus amaro*: id est, viridi: nam de pausia viride oleum fil; unde contra dulce dicilur, non viride.

riant aliquam rationem infert, sed alteram rationem subiungit. — *resecantur*, fil incisio seu fissura in trunci cortice, qua parte nullus nodus esl. *H.* — 78. *Aut rursum enodes.* Miror Philargyrium dicere τὸ *rursum* vacare, praesertim in hoc Poëta: *rursum*, valet, secundo loco, vel secundo modo; vel *rursus*, id est, aliter. *Cerut.* — *Enodes.* Id est, nodis carentes. Sic Plin. XII, 4: *Quod nulius, arborum, trunco enodi*: et cap. 14: *Quibus credi potest, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco.* Emin.

79. *Finditur in solidum.* Vt solida sit ipsa fissio, et non habeal rimas aut fissuras. Plin. XVII, 14: *Per media trunco leniter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus,* Taubm. — 82. Pulcherrima descriptio; quis non videat? Calpurn, Ecl. II, 40, 41: *Non minus arte mea mutabilis induit arbos Ignotas frondes et non gentilia poma.* Sed alii luxuriantur in hoc.

83—108. Varias arborum familias seu species eiusdem generis esse, exemplis nonnullis docet. Scilicel facil hoc ad delectum in plantanda arbore faciendum. Ornatissimus locus adiunctorum copia ac varietate. Illustratio uberior e Plinio, Columella, el Palladio petenda.

84. *Lotus* et herbae pratensis genus est, iucundum pecudis pabulum; cf. inf. III, 394; et herba palustris ex nymphaearum genere, Nilo frequens; hoc vero loco est genus arboris, *Italiae familiaris*, dulcissimo fructu; *zizyphum* nostram seu iuiubam esse putat cum aliis Martinus ad h. l. — In *Ida*, Cretae monte, *cyparissi* a. cupressi sponte proveniunt; cf. Vrsin. ad h. l. — 86. Ex infinitis olearum generibus tria tantum, observante etiam Plinio XV, 2, enumerat poëta, *orchadas*, *orchites* vulgo dictas, oblongi generis, *radios*, longioris, el *pausias*, quae, dum virides et acerbae sunt (habent autem tum amarum succum, hinc *amara bacca*), leguntur

Pomaque, et Alcinoi silvae: nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae;
Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae.
Et passo Psithia utilior, tenuisque Lageos,

87. *Pomaque*. Subaudi a superioribus, Non unam nascuntur in faciem.

88. *Crustumiis*. Crustumia pira sunt ex parte rubentia, ab oppido Sabinorum Crustumio nominata.

92. *Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae*. Pinguibus Thasiae, levioribus Mareotides: nam ordinem positum sequimur, quum aperte aliquid non commemoratur. — Sed usus Grammatices mihi velle videtur, *his* Mareotidas, et *illis* Thasias attribui vites, quamvis interpretes fere omnes adhaereant Servio. *Lem.*

93. *Passo Psythia utilior*. Bene *utilior*; ut ostendat etiam de alia uva posse passum fieri, sed melius de Psythia. *Passum* autem dicitur a patiendo: nam decoquitur mustum, et inde fit *passum*; hinc *Defrutum* dictum est quod defraudatur, et quasi fraudem patitur. — *Tenuisque Lageos*. Lageos est, quae latine leporaria, a colore leporis, dicitur. *Tenuis* autem, penetrabilis, quae ac tunduntur. Colum. XII, 47, 1. — 87. *Alcinoi silvae* sunt ipsa *poma*, ut saepe apud poëtas. De eius hortis Odyss. η, 112 sqq. *H.* *pomaque*. Accuratiores postulabunt *pomave*. Sed in membris coniungendis vel disiungendis liberior est Virgilius. *W.* — 87. *pomaque*. Latini vocem *pomum* modo latius, modo strictius acceperunt. Apud nonnullos exceptis nucibus, ficis, et uvis, reliqui omnes arborarii fructus, pomorum nomine veniunt. Iuxta Grammaticos nuces generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore, ut avellanae, iuglandes, amygdalae, castaneae; ut contra poma dicuntur omnia molliora. Plinius pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit exceptis olivis; idem facit Virgilius hoc loco, quem imitari videtur Plinius. — *Alcinoi silvae*. Id est, pomiferae arbores: nam Alcinous rex Phaeacum fuit, diligens cultor hortorum; unde per eius silvas, arbores pomiferas intelligimus. *L.* — 88. *volema pira*, grandia, quae volam facile impleant; a Catone 7, 3 sumtum; vid. Plin. XV, s. 16.

89. Italas vites diversas esse ab aliis ait. *Vindemia*, vitium proventus, uvae, *pendet arboribus*, seu quia iis vites maritantur in Italia, sive ut *arbores* pro vitibus dictae sint: quod Virgilio et Horatio sollemne est. *H.* Prius praestat. *W.* — 91. *Mareoticum vinum* notum vel ex Horat. Carm. I, 37, 14, a lacu Mareotide super Alexandriam; nunc deterius, quoniam Arabum latrocinia uvarum maturitatem intercipiunt. — 93. *Vinum passum* ex uvis passis, a pandendo, h. in sole coctis, ut exarescant. Modum conficiendi v. apud Colum. XII, 39. — *Psithia* vitis, *Lagea*, quae

Tentatura pedes olim vincturaque linguam;
Purpureae, preciaeque; et quo te carmine dicam,
Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina,
Tmolus et adsurgit quibus, et rex ipse Phanaeus;

cito descendit ad venas. — Forcellini inde repetit epitheton, quod huic vino sit humor aquoso similis, cui oppositum vinum crassum, pingue. *W.*

95. *Purpureae.* Purpurei coloris. — *Preciaeque.* Hae cito maturescunt: unde et *preciae* dictae sunt, quasi praecoquae; quod ante alias coquantur. — *Quo te carmine dicam, Rhaetica.* Hanc uvam Cato praecipue laudat in libris, quos scripsit ad filium: contra Catullus eam vituperat, et dicit nulli rei aptam esse, miraturque cur eam laudaverit Cato. Sciens ergo utrumque Virgilius medium tenuit, dicens, *Quo te carmine dicam Rhaetica.*

facile inebriat, *purpurea* et *precia* vitis apud Plinium XIV, 2, s. 4 sqq. et Colum. III, 2 sqq. videnda. Nominum causae valde obscurae. *tenuis*, exiguos ac tenues racemos et uvas habens. *H.* — *olim*, quum aliquando vinum ex ea expressum fuerit (*aliquando*, ut apud Horatium Sat. I, 1, 25. *W.* — 96. Plinius secundum, post Falernum vinum, dedisse locum Rhaetico videtur. Rhaeti autem populi in Italiam usque supra Veronam et Comum extenduntur. Vina autem Rhaetica grata fuisse Augusto, scribit Tranquillus. Et in huius fortasse gratiam a Virgilio tantopere laudatum; quamquam et Cato idem fecerit. Contra vero Catullus, auctore Servio: quod tamen carmen, ut et alia istius poëtae, ad nos non pervenit. *L.* — *Cellae Falernae*, nova variatione, de vino; — *nec ideo contende*...h. tametsi inferior est Falerno. In hoc toto loco observa orationis colorem. *H.* — 96. *Nec cellis ideo contende Falernis.* Licet sis a Catone laudata, et *Augusto gratissima*, tamen vino te Campano praeferre non debes: nam *Falernus*, ager Campaniae, ubi vina nascuntur optima; ubi *colles* (ut Pl. ait III, 5) *vitiferi*, *et temulentia nobilis est succo per terras indito.* Tibull. II, 1, *fumos proferte Falernos.* Horat. Od. I, 20, *Vites Falernae.* — *Cellis.* Cella vinaria locus frigidus, ubi servabatur mustum effervescens in doliis piceatis, ex argilla aut e ligno factis, et pro dimidis parte infossis. Vere, circiter VIII Kal. Mai. vinum in urceos piceatos, aut in lagenas argillaceas vitreasve diffundebant. Obturamentum pice vel gypso sigillatum, vini consulumque exhibebat nomen. His peractis, vinum in altiores locos portabant, ubi fumus vetustatem properaret. *V. G.*

97—98. *Vinum Aminaeum*, Ἀμίνιον et Ἀμιναῖον, cuius, ut vinorum celebritas non constans ac diuturna esse solet (cultu enim deficiente vites optimae facile degenerant) nulla alia memoria, praeter nominis, nobis restat. Graecae originis et Italici cultus, quum in aliis tum in Falernis agris maturuisse videtur; cf. Intpp. ad h. l. Atque eius tantam praestantiam, ex diuturna in primis bonitate, perhibet poëta, ut ei adeo vinum *Tmolium*, a Lydiae monte vineis nobilissimo (sup. Ge. I, 56), et

Argitisque minor, cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, dis et mensis adcepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis Bumaste racemis.
Sed neque, quam multae species, nec, nomina quae sint,
Est numerus; neque enim numero conprendere refert.
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem

Phanaeum, a promontorio Chii insulae, quae alias vino *Ariusio* nobilis est, *adsurgere*, cedere, dicat. Montes ponuntur pro vitibus montium: *Tmolus* et ipse *Phanaeus*, rex inter montes vini feraces. *H.* At particula *et* aperte est falsa; nam grammatica iubet collocari *et Tmolus adsurgit*. Praeterea illam easulare iubet codicum optimorum auctoritas, qui *Tmolius* dant. Ad *Tmolius* receptum H. Vossius retraxit ea sequentibus *rex*, quod facere neque per collocationem verborum *rex ipse* licet, neque per sensum verborum *rex Tmolius*, quae significarent eum, qui regit Tmolum montem. Quis tum de vino cogitaret? Quis *Falernum* vinum *regem Falernum* appellare auderet? Verba *Tmolius* et *ipse Phanaeus* (οἶνος) pro Tmolium et ipsum Phanaeum dicta ad graecam ellipsin, quae non adeo mira in Virgilio, graecae dictionis sectatore. Similiter Plinius XIV, 7: *Nec Tmoliti per se gratia, ut vino*, et XIV, *myrtites*, ubi eadem ellipsis. Similiter in nominibus marium non semper neutrum, sed et masculinum usurpari vides, *Aegaeus*, *Ionius*. Vid Heineck. Animadv. in Sat. Iuv. pag. 84, et Passow. ad Pers. pag. 219: Ita non contemnendum ex Servianis: *De Lucilio hoc tractum est, qui ai* Χῖός τε δυνάστης. Ea Graeco etiam petitum videtur *rex* pro rex vinorum, qualis compositio est *rex fluviorum*, *Eridanus* I, 482, ubi vid. Not. — Notabis denique oppositionem poëticam *vites*, *vina* *f.* h. e. vina f. praebentes. Conf. Not. ad Aen. I, 339. *W*.

99. Cum illis: *Sunt et Aminaeae vites*, iunge *Argitisque minor*, h. e. est etiam inter alias vites *Argitis vitis, uva;* Ἀργῖτις ab ἀργός, quod vinum candidum ea reddit. Est autem *minor* et *maior*; cf. Colum. III, 2, 21. — 100. Ea vitis, vino in primis abundans, πολύοινος, est, eoque firmo ac durabili. Opponitur vinum aquosum. *H.* *certaverit—fluere*, hoc est, certaverit et poterit fluere. *vites fluunt* de vitibus, quarum fructus mustum reddunt. Colum. III, 2: *vites minus fluunt*; cf. inf. 190. *W*.

102. Vinum *Rhodium*, cuius in mensis secundis usus erat; quumque de eo ante omnia diis libaretur, hinc vitis *Rhodia diis accepta*, grata, *et mensis secundis*; fere ut apud Horat. III, Carm. 11, 6, lyra *divitum mensis et amica templis.* — 102. Plin. XIV, 1, s. 3: *Tument mammarum modo bumasti*, βούμαστοι. — 104. *neque est numerus*, enumerandi facultas nemini suppetit. *Est numerus*, numerari potest. — *neque enim* positum pro: neque vero numerum tenere necesse est. Respexit hunc locum Plin. XIV, 1 extr.

Discere quam multae zephyro turbentur arenae;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.
   Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur; steriles saxosis montibus orni;
Litora myrtetis laetissima: denique apertos
Bacchus amat collis, aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos;
Divisae arboribus patriae: sola India nigrum

109—134. Vti diversa sunt arborum genera, ita etiam diversum solum, quo nascuntur, aut felicius arbores quaeque proveniunt. *H.* —110. *Salices* in fluviorum ripis, *alni* in coenosis paludibus seruntur, ut irrumpentium aquarum inhibeant impetus. *V. G.*

111. *Ornus* foliis latis; etsi montium amica, tamen in plana descendit. *Id.*

112. *Litora myrtetis laetissima.* Locum posuit pro ipsis arboribus, sicut salictum pro salicibus; nam myrtetum est locus: arbor vero ipsa myrtus vocatur. — Myrtus silvestris eo differt ab hortensi, quod brevior est, rubrasque baccas habet. Plinius XVI, 30, ait myrtum etiam subire in montuosa: sed illud intelligendum est de genere myrtorum validiore, quae vocantur *montanae* a Dioscoride I, 156. *Idem.* 112. *Litora myrtetis laetissima* exquisitiore forma pro vulgari: *myrti solent esse laetissimae in litoribus*; quod si fit, *litora* haud dubie et ipsa *laeta* videri possunt; (cf. IV, 121. *W.*) Ge. IV, 124: *et amantis litora myrtos.* — Mox *apertos colles* itidem doctius dixit quam *apricos*, qui fortasse alicui in mentem venire possint.

114. 115. Exemplo etiam esse possunt arbores exoticae. Pro his memorantur, in extremo terrarum orbe sitae regiones, ut Arabum et Gelonorum. Sunt autem *Geloni* e Sarmaticis populis, qui ultra *Borysthenem* vagabantur; *picti* appellantur, ut Aen. IV, 146, *Agathyrsi*, quod communi plerorumque barbarorum et ferorum populorum more corpora pingebant. Colorem illi, quo utuntur, aut cuti acu punctae inungunt, aut inurunt. Nec aliter de *Gelonis* Claudian. in Rufin. I, 313. Illa autem *extremis domitum cultoribus orbem* sunt ex poëtica copia dicta pro *extremis terris.* Cum argumenti natura coniunctum erat, ut eas a cultu designaret, et pro *orbem extremum domitum*, h. subactum, cultum ab agricolis, *a cultoribus*, poëtica inversione, *extremos cultores* memorat.

116. *India* de India proprie dicta accipi potest; nam et ibi nasci *ebenum* narrant multi e veteribus (vid. Theophrast. Hist. Plant. IV, 5); sed et, quod malim, de Aethiopia, cui ebenus propria arbor. Solet enim

Fert ebenum; solis est turea virga Sabaeis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana,

119. *Balsamaque.* *Que* vacat; ut alibi: *Dixitque, et proelia voce diremit.* Sane *Balsamum* est arbor ipsa: *Opobalsamum*, succus collectus ex arbore: nam ὄπος dicitur succus: τὸ ξύλον lignum ipsius arboris. Probatio autem opobalsami, ut dicit Plinius, haec est: *Si contra solem feratur, et corruptum non sit, manum ferentis exurit.* — *Semper frondentis acanthi.* Acanthus arbor est in Aegypto semper frondens, ut oliva, laurus: acanthus dicta, quia spinis est plena. Abundat hac etiam Circina insula.

India latissime dici, ut satis notum; cf. inf. Ge. IV, 293. — *Tus Sabaeorum* iam Ge. I, 57.

118. *Opobalsamum* Iudaeae, vallis in primis Hierichuntinae, et Arabiae; cf. praeter laudatos ab aliis Paus. IX, 28. Verba ipsa vulgari oratione sic efferrentur: *ne memorem ligna*, h. e. *arbores odoratas*, *sudantes balsamo.* Vulgare: *exsudat* arbor balsamum, aut illud *desudat* de arbore. *H.* *sudare ligno*; cf. Ecl. VIII, 54: *sudare corticibus.* W. — 119. *Acanthus* h. l. non herbae (ut Ecl. III, 45 et al.), sed arboris nomen; nec tamen satis compertum, quale genus illud sit. Spina est, alia Aegyptia, alia Arabica; vulgo *acantha*, vulgare nomen *acacia*, unde gummi Arabicum colligi solet: *mimosa Nilotica* Linn. Habet quidem ea arbor siliquas, non *baccas*; verum *bacca* latiorem significatum habet. Viri docti coniectura ad agrifolium nos vocat. Videtur tamen poëta peregrinam (exoticam) plantam laudare debere.

122. Plin. XIX, 1, s. 2, n. 3. *Superior pars Aegypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui* gossypion *vocant*, *plures* xylon, *et ideo lina inde facta* xylina. Parata ex ea byssus. *H.* — 120. *Aethiopum.* Aethiopia Aegypto contermina, insignes habet arbores, laniferas quoque, auctore Plinio. In Tylo insula maris Persici, sunt arbores (gosampinos vocant) lanigerae; folia habant infecunda: quae nisi minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cucurbitas amplitudine mali cotonei; quae maturitate apertae, ostendunt lanuginis pilas; ex quibus pretiosa lintea conficiunt. Et Iuba tradit circa fruticem lanuginem esse, linteaque inde fieri Indicis praestantiora. — *Molli canentia lana.* Pimpontius, liniferas arbores notari putat, quae byssum ferunt, linum auro contra carum. Sed docet Lipsius, *Byssum* e terra gigni, ut linum; et imperite a multis confundi *Byssina*, *Bombycina*, et *Serica*; quum *Byssina* vestis fit e lino: *Bombycina* e verme; *Serica* ex arborum lana confecta. *Taubm.* — Byssus erat forte, lana illa flava, quam in Guinea vidit *Isert*: nam ibi solis regibus ornamento conceditur; ut si quis eam exportare conatus deprehenderetur, capitis damnaretur. *V. G.*

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullae iactu potuere sagittae;
Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem

121. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* Apud Indos, et Seres, sunt quidam in arboribus vermes, et bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuissima fila deducunt; unde est sericum: nam lanam arboream non possumus accipere, quia ubique procreatur.

126. *Media fert tristes succos, tardumque saporem.* Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeae et Aegaei, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit. Arbor autem, quae describitur a Virgilio, nascitur quidem in Italia, sed nou est eiusdem effectus, cuius in Media: et appellatur Rododaphne. *Probus.*

121. Vulgaris olim usque ad Imp. Iustiniani tempora, quibus primum vermiculi, quos nos *bombyces* vocamus, Constantinopolin allati sunt, opinio fuit, Seres, Indicam gentem, Sericum ita parare, ut lanuginem, a bombycibus textam, ex certarum arborum foliis depecterent. Plin. IV, 17, s. 20: *Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem*; vid. Salmas. ad Solin. c. 63 et al.

122—125. Plin. VII, 2: *Arbores quidem* (in India) *tantae proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant.* Arbores *Cocos* ferentes intelligebat Catroeus; nimis anguste. Plurima vastorum et immanium arborum genera in India nasci, fidem faciunt recentiores rerum Indicarum auctores. — *Sinus,* interior adeoque remotior terra extremae orbis partis. — *aër summus arboris* pro cacumine dictus; traiicere telum per aërem supra verticem arboris, arbore haud tacta, *non potuere,* ex aoristo, possunt. — *non tarda* ea gens; malim strenuam interpretari, quam non tardi ingenii, h. callentem, peritam.

126—135. *Malum Medicam* seu Assyriam, item Persicam; nisi haec pro diverso genere est habenda. Ad citrorum genus eam esse referendam, dubitari nequit. Quam autem familiam Maro respexerit, non satis liquet. Fit tamen verosimile, aurantiae genus aliquod poëtam memorare; vid. Theophrast. Hist. Plant. IV, 4; Plin. XII, 3, s. 7, cuius aevo adhuc, praeterquam apud Medos et in Perside, nusquam proveniebat. Palladius, qui saeculo III ineunte vixisse putatur, praecipuam eius cultui curam impendit; vid eum in Martio X, 11 sqq. conf. etiam Macrob. Sat. II, 15. Videtur tamen H. Vossius recte *citrea mala* a *Medicis* (Citronem) discernere. Ita *tristes succi* aut erunt acidi aut amari (ut Ge. I, 75 et al.), sive propter corticis ac granorum amaritudinem, sive a succo, qui cultu deinceps assiduo mitigari coepit. — *tardus sapor*, h. diu palato immanens, quia acerbus, pungens est. *H. tardus;*

Felicis mali, quo non praesentius ullum,
Pocula si quando saevae infecere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro;

129. *Non innoxia verba.* Liptotes; id est, nocentissima: et est augmentum, quasi parum putent venena miscere, nisi etiam magicos cantus addideriut.

131. *Faciemque simillima lauro.* Figura Ciceronis, qui ait in Caesarianis: *Sed simillimum deo iudico.* Sane etiam haec probat citrum non esse; nam citri arbor et multum non potest crescere, et multo habet folia maiora quam laurus.

praecessit *tarda*; sed et alibi eiusmodi repetitionem non vitavit Virgilius; vid. Obss. ad Tibull. I, IX, 67. *W.* — 127. *Felix*, de arbore si dicitur, ad fecunditatem proprie respicit. Et sane citri fetus perpetua successione succrescunt. Nunc tamen ad salubritatem potius epitheton spectare videtur, ut dicitur *infelix*, infaustum, quod nocet. Pro veneni antidoto habitum esse pomum Medicum, at aliunde constat; nec fortasse iniuria, in certis saltem veneni generibus. Proprium hoc latinorum scriptorum *venena novercalia* memorare; conf. Ovid. Metam. I, 147. — 129. *verba non innoxia*, h. noxia, incantationes. Eodem sensu nunc *herbae* sunt venenatae et noxiae intelligendae. Versus 129, qui III, 283 extat, ea de causa hic suspectus, et a Brunckio eiectus. *H.* — Qui hunc versum, ut Georg. lib. III, 283, iterum occurrentem absque ullo discrimine, hinc aut illinc reiiciunt; ii non iudicium suum ostendunt, sed levitatem. *V. G.* Vt venenis efficacitas esset certa, carmina mala veneficiis adiungebantur; vid. Tac. Ann. II, 69. *W.* — 130. *agit* est exigit, expellit. *H* De constructione, ad cuius exempla addatur verbum *fugere*, Horat. Od. II, 2, 14: *nisi causa morbi fugerit venis*; vid. Not. ad I, 413. — 130. *membris agit atra venena.* Radices, nuces, lupini, citrum, apium, prosunt contra futurum, non contra iam acceptum venenum. Vnde etiam antiquitus ante ullas alias epulas, haec solebant mensis apponi. — Ideo Theophrast. Hist. plant. IV, 4: χρήσιμον δὲ, ἐπειδὰν τύχῃ πεπωκώς τις φάρμακον. Eadem fere verba habet Athenaeus III, 7 et 8; ubi mirabilis historia de duobus latronibus, qui, quum raperentur ad supplicium, illaesi manserunt contra venenatos morsus serpentum, citrum quia casu quodam comedissent; sed pro φάρμακον dicit θανάσιμον φάρμακον. δοθὲν γὰρ ἐν οἴνῳ, διακόπτει τὴν κοιλίαν, καὶ ἐξάγει τὸ φάρμακον. Idem testatur Dioscorid. I, 167; et Galen. lib. VII, simpl. medic. — *Atra venena.* Quia homines efficit lividos, nigros; sic Ovid. Metam. I, 147: *Lurida terribiles miscent aconita novercae.* Inde Iuvenal. I, 72: *nigros efferre maritos.* De livoribus, quae conspiciebantur in Germanico, qui ferebatur veneno extinctus, Suet. in Calig. c. 1. *Emm.*

131. *Faciemque s. l.* Theophrastus folia dicit esse denticulata et aculeata, ut lauri: haec autem in aurea malo

Et, si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis;
Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum silvae ditissima terra,
Nec pulcer Ganges atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent; non Bactra, neque Indi,
Totaque turiferis Panchaïa pinguis arenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem

131. *Animas.* Δύσπνοιαν, id est, pulmonis vitiosum anhelitum; quod exprimit subdens: *senibus medicantur anhelis.* — *Olentia ora.* Putentia, id est, δυσωδίαν oris: notandum sane huic uni tantum arbori incubuisse Virgilium, et expressisse ubi sit, qualis sit, cuius potestatis sit; sicut in quarto de herba amello; quod qui de arboribus aut herbis scripserunt, in omnibus exsequuntur.

nullo modo occurrunt. *V. G.* — 132. *si non iactaret—erat.* Constat modorum ratio. Tac. Hist. I, 15: *Si te privatus apud pontifices adoptarem, mihi egregium erat.* Add. Hist. III, 55; et Cicer. p. Leg. Man. 17, §. 50. *W.* — 134. Flores non facile citove decidunt: *ad prima*, ut *in primis*, *cum primis*, *apprime.* — 135. Mederi Parthos iis pomis graveolentiae oris, etiam Plinius monuit eodem loco; *fovent*, h. curant, θεραπεύουσι, quum mox substituatur *medicantur.* Est enim genus curae calefacere, reficere modico calore, quod proprie est *fovere*; hinc latius etiam de aliis. *H.* — 135. *Illo* non ad vocem *flos* referendum, sed ut notat Ruaeus, subintelligendum est *malo*; omnia enim ad citrei vel medici mali descriptionem pertinent: fovere a vetere foo, fuo, φόω unde derivantur *fomenta frigida*, *fomes.* V. G.

136—176. Sequitur signatissimus locus, quocum conf. Plin. lib. cstr. Dionys. Halic. I, 36. Varro R. R. 1, 2; digressio in laudes Italiae. Nec Media malis suis felix, neque India proprie dicta ad Gangem, aut Lydia, cuius est aurifer fluvius Hermus, e Phrygia descendens, et mox cum Pactolo eodem alveo profluens, nec Bactriana, neque Aethiopia, aut, si mavis, reliqua India, neque Arabia cum Italia comparari potest; multo minus Colchis, monstris infamis, v. 140.

136. Media seu omnino silvosa, seu respectu malorum vers. 127. — 137. *auro turbidus Hermus* per synonimori speciem pro aurifer. Expressit hunc locum Martialis Epigr. VIII, 78, 5: *turbato sordidus auro Hermus.* — 139. *Panchaia* fabulosa Evemeri insula, Arabiae ab Oriente obiecta, nunc pro ipsa Arabia, *pinguis*, aut propter tus pingue, quod resinae naturam habet, aut fertilis, *turiferis arenis*, solo arenoso, cui frutex turis innascitur, h. pro ture, de quo vid. Plin. XII, 14, s. 30 sqq. In prosa diceres: habens solum, quod fert pin-

Invertere, satis inmanis dentibus hydri,
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis;
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor
Inplevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxuma, taurus,
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver adsiduum, atque alienis mensibus aestas;

gue tus. *H.* — 141. *Satis dentibus.* In tertio casu; neque enim post dentium sationem aratum est, sed ut sererentur. Conf. Ovid. Metam. VII, 104, 142. — Hanc regionem valde laudat Strabo, non solum quod auro referta sit, ferro, argentoque; sed etiam quod omnibus rebus abundet, excepto melle, quod ibi subamarum est. *V. G.*

140—143. Nota fabula de dentibus draconis ab Iasone, ad vellus aureum expugnandum Colchos profecto, satis, et viris armatis hinc enatis; v. Apollon. Rhod. III, 409 sqq. *horruit* ornatius quam, exstitit, exiit, nata est. Versus 140 translatus ex Lucret. V, 29: *Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.* Tum 143, *fruges gravidae*, laetae; vid. ad Ge. I, 319. Mons *Massicus* Campaniae ad Sinuessam vitibus consitus. *H.* 144. *Armentaque laeta.* Boum maxima auctoritas, praesertim in Italia, quae a bobus nomen habere fertur. Veteres Graeco sermone, ut tradit Timaeus, Ιταλους appellabant tauros; unde etiam proveuit latina vox, *vitulus.* Ita Plin. XXXVII, 77, ait: Italici cursores nullos equos indigenis anteponebant. *V. G.*

145—147. Ornatissimi versus pro: in Italia boni equi et boves nascuntur. *Clitumnus*, Vmbriae cis Apenninum fluvius, qui, iuxta urbem Mevaniam Tiniae admixtus, cum eo ad Tiberim descendit. Campi adiacentes etiamnum armentis opulenti. — *albi greges*, quia fluminis aquis ea vis inesse putabatur, ut armenta *candido* colore essent. Simile quid creditum de Galaeso; vid. Intpp. ad Horat. C. II, 6, 10. *Taurus*, ab his arvis adductus, candidus *victima* in triumpho immolabatur. Hi tauri quum ante triumphantis currum ducerentur, ipsi *ducere triumphos ad templa* dicuntur. *H.* — 148. Triumphatoris currus quatuor vehebantur equis candidis: hunc anteibant tauri quatuor, vittis, coronis, et auratis cornibus insignes, candidi et ipsi. *Victima maxima*, ob rem feliciter gestam oblata, taurus erat: hostia autem maxima ad deos placandos, erat ovis mansuetudinis causa. Ritus erat, et in minore triumpho ovem sacrificare, unde ovationis appellatio derivata. Cave confundas haec cum sacrificiis, in quibus maiores hostiae dicuntur adulta animalia, per oppositionem cum lactentibus. *V. G.*

149. *alienis mensibus aestas*, hibernis. Ex Lucret. I, 181: *Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur Incerto spatio atque alienis partibus anni.* Graeci,

Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
Semina; nec miseros fallunt aconita legentis;
Nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se conligit anguis.
Adde tot egregias urbis, operumque laborem,

152. *Semina.* Genera: et est Lucretii sermo. Nam quod ait *saeva*, aut cruenta accipimus, aut revera saeva semina. Vt enim dicit Plinius: *Animalia haec, quae sunt cum acutis unguibus, frequenter parere non possunt: vitiantur enim intrinsecus se moventibus pullis.* — *Nec miseros fallunt aconita legentes.* Mira arte usus est, ut excusaret rem, quam negare non potuit: nam aconita nascuntur in Italia: sed non ea obesse dicit, quia sunt omnibus nota. Haec autem herba dicitur nata esse de spumis Cerberi, quo tempore eum Hercules ab inferis traxit. Quae quia in saxis et cotibus nascitur, *aconitum* dicitur, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, id est, a cote: et dicimus τὸ ἀκόνιτον, καὶ τὰ ἀκόνιτα.
153. *Neque tanto Squameus.* Sunt quidem serpentes in Italia, sed non tales,

post Phocaeorum in Hadriatico mari investigationes, Italiam fabulosis laudibus estollebant. Patet ex Aristotelis et Hecataei verbis apud Stephanum, eorum opinione, pecora Vmbriae in annum quemque binos vel ternos partus eniti, quorum plerique gemellis constarent: existimabant iidem Gallinas bina in diem ova proferre; frumentum vero in annum ter colligi. Dionys. Halicarnassaeus, se Campaniae agros vidisse ait, ubi ter messem facerent, hieme, aestate et auctumno: apud Plinium XVI, 50, vites sunt et triferae, quas ob id *insanas* vocant. Etiamnum laudatur *uva di tre volte l' anno*: ter enim fert ab Augusto ad Februarium. Laudatur etiam *fico di Pasqua*, quae primum Augusto vel Septembri, iterum mense Maio fert. *V. G.* — 150. Oves et arbores biferae, *utilis* pro fertilis, ab effectu; inf. 323, *ver utile silvis.*

151—154. Caret Italia ferarum monstris, venenatis plantis et reptilibus; *saeva leonum semina*, h. γένη, saevi leones, ex Lucretiano III, 741, *triste leonum Seminium.* — 153. *tanto*, tam longo, quam alibi. *H.* — Megasthenes ait, Indiae serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant tauros cervosque, et pontum supervolantes quamvis alte pertinaciterque aves, haustu raptas absorbeant. Nota est in bellis Punicis ad flumen Bagradam a Regulo imperatore ballistis tormentisque, velut oppidum aliquod, expugnata serpens, CXX pedes longa: pellis eius maxillaeque usque ad bellum Numantinum duravere Romae in templo. Faciunt iis fidem in Italia appellatae *Boae* in tantam amplitudinem exeuntes, ut divo Claudio principe, in alvo cuiusdam serpentis occisae solidus spectatus sit infans. (Vide Plin. lib. VIII, cap. 14.) *V. G.*

155. *operum laborem*, h. opera, fabricas, aedificia; cf. Aen. I, 455.— Mox *congesta manu* simpl. exstructa in rupibus. — Flumina intelligo mu-

Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque,
Fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,

quales in Aegypto, aut in Africa. — *In spiram.* In collectionem volubilitatis; quod est a funibus tractum.

ros adluentia urbium, *subterlabentia*, praeterfluentia. Ad aquaeductus vix referam, quippe qui non subter muros, sed supra in exstructionibus ferantur. Cloacarum autem notio nimis tenuis esset, et ad solam Romam spectaret; at poëta *tot urbes*, *tot oppida* memorat.

158. *Mare superum* et *inferum*, Adriaticum ac Tyrrhenum, mirae opportunitatis ad rerum hominumque commercia, atque hinc ad terrarum imperium. — 159. *Lacus Larius maximus*, h. permagnus, sub alpibus in agro Mediolanensi; (nunc *Lago di Como*) *Lacus Benacus* in Veronensi (*Lago di Garda*), propter magnitudinem ventis ac procellis obnoxius non aliter ac mare. Idem Mincium amnem medio alveo tramittit; vid. Plin. X, 22; conf. Aen. X, 205, *adsurgens*, tumescens.

161—164. M. Vipsanio Agrippa, L. Canidio Gallo Coss. V. C. 717, quum contra Sext. Pompeium male rem gessisset Octavianus Caesar, ut reficiendis classibus locum tutum haberet, Agrippae consilio portum Baianum in sinu Puteolano, inter Baias et Puteolos, commodiorem et tutiorem ita reddidit, aut verius novum portum aperuit, ut lacum Lucrinum, interiecto aggere a mari seclusum, cum lacu Averno, qui isti adiacebat, coniungeret, aggerem autem modo dictum, qui quinque stadiorum erat, postquam eo perfosso aditum navibus in portum fecerat, ita muniret, ut a fluctibus superari nequiret, navibusque tutus intra eum esset receptus. Hic *Portus Iulius* vocatus; vid. Sueton. Aug. 16. Locus classicus est apud Dionem XLVIII, 50; Cluver. Ital. ant. IV, 2. Praelatus tamen sequenti tempore portus Misenus. Itaque poëta memorat Portum Iulium: *Lucrinoque addita claustra*, h. aggerem illum non tum primum factum, sed novis operibus adstructum, quo ipso portus effectus est. Eodem modo accipiendum est illud Plinii, ex nostro adumbratum, XXXVI, 15 s. 24, 12: *mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum*, scilicet ostio tantum portus relicto. — *aequor* autem *indignabatur*, ea parte, *qua unda Iulia sonat ponto longe refuso*, h. qua portus Iulius immisso mari erat effectus; *refusus*, ut saepe fieri solet, non contrariam aut iteratam actionem notat, sed simplicis vim habet. Possit quidem et ita accipi, ut pontus a mole aggeris in mare proiecti refundi, reprimi, videatur, ut apud Lucan. II, 517. — *violentos insula coros Excipere saxis lapsasque refundere undas*

Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit; haec Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxume Caesar,

dicitur; sed alter versus ad eamdem sententiam enuntiandam valet. *Tyrrhenus aestus*, h. mare aestuans, immittitur per os portus *fretis Avernis*, h. lacui Averno, qui pro intimo portus recessu erat, et ad quem e Lucrino fossa ducta erat. *H.* — *Iuliguatum* autem ideo dixit, quia quo tempore in Lucrinum lacum mare immissum est, deinde terra effossa, contigit inter ipsum Lucrinum et Avernum, ut duo lacus miscerentur; et tanta tempestas orta est, ut prodigii loco habita sit, ac nuntiatum sit simulacrum Averni sudasse. Propter quod Pontifices ibi piacularia sacra fecerunt. *Philarg.*

163. *Iulia. Iulia unda*, significat portum Puteolanum. Per prolepsim positum est, ut loca prius laudet, quam illum, qui ea fecit; ut laudes inveniant auctorem, id est, Augustum. *Id.*

165—166. In eadem argenti, aeris, aurique metalla. Copiam exprimit per *argenti rivos* (ex Lucret. V, 1255) et *auro plurima fluxit*, poëtica ratione pro: plurimum auri in ea est; tametsi hoc ad Padum referri possit; nam ap. Plin. XXXIII, 4 s. 21 in Pado *segmenta auri reperiri* traduntur. — *aeris metalla Ostendit venis*, quod in vulgari oratione fuisset: *venas aeris ostendit. aeris metalla*, h. aes, ost. in *venis. Ostendit* autem non otiosum, quia certis tantum vestigiis res credebatur: metalla autem Italiae exercere Senatusconsulto vetitum erat. Plin. III, 20 s. 24 extr.; XXXIII, 4 s. 21; XXXVII extr.

167—170. Marsi bellicosi cum Sabinis severa disciplina innutritis primo inter Italiae populos loco memorari solent. *adsuetum malo* pro malis, aerumnis, laboribus, κακοπαθείᾳ, (cf. Aen. IX, 64 sq.); colit enim agrum exilem et saxosum. *Inculta Alpium postrema possident*, ait Servius. Male hoc in tali carmine et in tali loco ad malam fidem horum hominum trahitur. *H.* Virgilium, vel privata offensa, vel vitio gentis Liguribus non satis propitium fuisse verisimile est. *V. G.* — *Volsci* autem *veruti*, h. hastae genere, *veru*, (*veru Sabellum* Aen. VII, 665) seu telo veruto, quod usu vulgari simpliciter *verutum* vocatur, armati. *Scipiadas duros bello*, h. induratos ad bellum. — 170—172. Poëtam, ut alibi facit, magnifice efferre et ornare cogita id, quod vere nihil aliud erat, quam quod Caesar ex Aegypto, quo paulo post pugnam Actiacam Brundusio traiecerat, per Syriam in Asiam iter fecit, et hieme ad Euphratem exacta Asiae res constituit; vid. Vita Virgilii ad a. 724. Itaque *extremis victor*

Qui nunc extremis Asia iam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virum; tibi res antiquae laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontis,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique,

173. *Magna virum.* Virorum fortium. Iam concludit, laudans a viris, a fertilitate rerum, a Saturni imperio. — *Tibi res antiquae laudis et artis Ingredior.* In tuam utilitatem scribo carmen Georgicum. Antiquae autem laudis, vel magnae, vel quod apud maiores in ingenti honore fuerat agricultura.

177. *Nunc locus arvorum ingeniis.* Naturis: tempus est, inquit, naturam agrorum describere. Et multi hoc loco culpant Virgilium, quod in unum coëgit quatuor librorum propositiones; nam et de arvo, et de consito, et de pascuo, et de floreo isto in loco commemorat: quod ideo non est reprehendendum, quia non ea late exsequitur; sed carptim et breviter transit; quae latius explanat in singulis.

in oris Asiae, usque ad Euphratem progressus, et *Indum avertit*, dum praesidiis fines, h. urbes in finibus, firmat. — *Indus imbellis*, ut Ge. I, 57, *molles Sabaei*, et omnes Asiae in meridiem versae populi. — *Arces* de finibus, quatenus ii arcibus et praesidiis firmari solent; omnino de imperio Romano. Aen. IV, 231, *Romanae arces* sunt Roma. *H.* Ad constructionem conf. Aen. I, 38, *avertere Italia regem.* W.

173-176. Tanquam deam appellat Italiam. *tibi*, in tuum honorem, aut tua gratia, *ingredior*, adgredior, instituo dicere, *res antiquae laudis et artis*, rem rusticam apud maiores in honore habitam. — *sanctos ausus recludere fontis*, quia primus inter Romanos hoc argumentum versibus tractat. *sanctos*, quos accedere metuebant, reverentia quasi numinis alicuius, novos. *Ascraeum carmen*, omnino pro georgico, quia Hesiodus, ex Ascra, Boeotiae vico, oriundus, carmen de opere rustico condidit. Hunc versum non esse argumento, Virgilium imitatione Hesiodum expressisse, vide explanatum in Prooemio.

177. Nunc locum *de varia ac diversa soli et agrorum indole et natura*, et a vs. 226-258 *de notis ac criteriis cuiuscumque soli* tractat; et quidem *universe*, ut *non modo arborum culturam* respiciat, *sed et frumentorum ac pascuorum* curam habeat. Nunc locus, inquit, est opportunus ac proprius doctrinae de ingeniis arvorum tradendae, *quae robora* h. quae praecipua vis ac virtus cuiusque soli sit, qua potissimum valet (Claudian. XVII, 178: *Nosse soli vires*), *quis color*, quale ex adspectu indicium fieri possit, et *quam naturam* seu naturalem vim ad res ferendas habeat. Videtur in sqq. ante oculos habuisse Theophr. de Causs. Plant. II, 5 et 6; in aliis Xenoph. Oecon. c. 16, 2 sqq.; conf. Varro R. R. I, 9. *H.* *Nunc locus est*,

Quis color, et quae sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terrae collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent silva vivacis olivae.
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis silvestribus agri.
At quae pinguis humus dulcique uligine laeta,

180. *Tenuis ubi argilla.* Sine humore, quia est et pinguis. Plinius dicit lib. XVII, 4, hanc terram, qua utuntur figuli, vineis propagandis multum conducere. — *Calculus.* Lapis brevis terrae admixtus. Dictus *calculus*, quod sine molestia sui brevitate calcetur.

181. *Vivacis olivae.* Diu viventis; hinc supra: *Tarde crescentis olivae.* Res enim diu duratura, tarde crescat, necesse est.

184. *Dulcique uligine laeta.* Vligo proprie est naturalis humor terrae, ex ea nunquam recedens; bene autem *Dulci* addidit, ad discretionem *amarae.* Vliginosus ergo ager est, semper humidus; nam *uvidus* dicitur, qui aliquando siccatur.

h. e. exponendum est, *quae robora sint.* Tam audacter enuntiationem aliquam per relativum priori annectit Maro. Supr. II, 103: *Sed neque, nomina quae sint, est numerus*, h. e. recenseri potest. *W.*

179-183. Oleis ait idoneum esse solum argillaceum et calculosum. *terrae difficiles*, parum feraces, quasi morosae, parcae, ut contra *faciles*, fertiles, quasi liberales, munificae; cf. 223; Claud. XXIX, 54: *frugum facilis terra.* Iunguntur iis *colles maligni*, eodem sensu et respectu ad liberalitatem soli ac fertilitatem, ut contra *solum benignum* dicitur ferax. — 180. *Tenuis argilla* est exilis, ieiuna, sine succo, sterilis. — 181. *vivacis olivae.* Plin. XVI, 44, sect. 90: *Firmissimae ergo ad vivendum oleae, ut quas durare annis CC inter auctores conveniat*; cf. Theophrast. de Causs. Plant. II, 15; Hist. Plant. IV, 15. — 182—3. ubi oleastri frequentes nascuntur. *Oleaster*, diversus ab eo, quem nos eo nomine appellamus. *H.* *Oleaster*, κότινος αγριελαία est oliva silvestris: haec est cultu minor; eamque quadratis et aculeatis ramulis, fronde breviore et duriore, minoribusque baccis facile cognosces: oleaster est e nucleo cultae olivae degeneratio, nec multum transplantatione proficit. Huius frondibus Olympici victores coronati sunt: arbor quam nostri hortorum cultores oleastrum vocant, nihil aliud est nisi Cappadociae zyzypha, de quibus Plinius lib. XXI, cap. 27. *V. G.* — *Plurimus*, ut Ge. I, 187: *quum se nux plurima silvis induet in florem.* H. *Plurimus oleaster* pro plurimi oleastri, ut *plurima rosa* Ovid. Fast. IV, 441. Sic supr. I, 187, *plurima nux*, et IV, 419, *plurima unda*; cf. Not. ad Tibull. I, 3, 28, et Forcell. in v. *plurimus.* W.

184—194. Solum pingue vitibus colendis idoneum est: *At humus, quae pinguis et uliginosa est, et campus, qui editus austro, est, et pascit — hic*

Quique frequens herbis et fertilis ubere campus,
Qualem saepe cava montis convalle solemus
Dispicere: huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum; quique editus austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris;
Hic tibi praevalidas olim multoque fluentis
Sufficiet Baccho vitis, hic fertilis uvae,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,

tibi sufficiet olim vites praevalidas etc. Pinguedinem et *uber*, h. ubertatem soli, colendis convenire vitibus, ex rei rusticae scriptoribus constat. Vide in primis Colum. III, 11, 8. Scilicet referendum et hoc ad diversa vitium genera et diversam caeli solique naturam. Interponit vs. 186-189 indicia talis soli et in convallibus et in collibus. — 187. *Dispicere* dixit pro vulgari, prospicere, videre; *huc s. liquuntur, quique e. austro* in vulgari oratione fuisset: *quo — liquuntur et limum trahunt; aut qualem eum campum videmus, qui editus austro*, h. versus Austrum, atque ei expositus est. *H.* — 187. *Dispicere*. Dispicimus non tantum mente, quum recta rationis trutina rem ponderamus et animo diligenti perpendimus; sed etiam quum corporis lumina omnes in oras circumferimus: apud omnes fere codices legitur, *despicere* quod male *Meyen* interpretatur καταφρονεῖν: nam hic significat *de summo aspicere in imum*: hoc non vidit Cl. Heynius. *L.* — *felix limus*, ad fertilitatem faciens, fecundans. *H. Quique editus austro.* Hoc loco de uno eodemque agro intelligit, qui sit pingnis, et laetus dulci uligine, herbosus et ubere fertilis in austrum expositus. *L.* — 188. 189. Magnus auctorum, qui de vitibus colendis scripsere, in hoc dissensus, quum alii austris infestari vineas tradant. Scilicet poëtam de vineis, in solo humili pingui et uliginoso satis, alios de collibus loqui, tenendum est. — 189. Plin. XVII, 4, s. 3: *Virgilius et quae filicem ferat, non improbat vitibus.* Est gallicum *fougère*. *invisa aratris* propter implexas inter se et late serpentes radices, easdemque exstirpatu difficiles, πολύρριζος.

190-194. Valde ornate effert illud: praestantissimum vinum in tali solo nasci (*Baccho fluentes*; vid. explanatum ad II, 100, *multum fluit vitis*. W.) — *olim*, quovis tempore. — *pateris et auro* notum est, ad quam figuram soleat referri. Mihi tamen id grammaticorum commentum valde ieiunum videtur. Scilicet poëta *aurum* simpliciter pro *patera aurea* dicere potest; saepe hoc uno contentus est; interdum, ut h. l., hoc ipsum explicative apponit, quum generaliorem vocem primum posuisset. Similiter res sese habet in aliis exemplis. — 193. Tibicinem Etruscum sacrificiis adhibitum fuisse, vel ex Livio notum. *pinguis* in ludibrium gentis dictum esse videtur. Catull. XXXIX, 11: *Aut pastus Vmber aut obesus Etruscus.* Nam ad buccas referre nolim. Habitum corporis ex assiduis sacrificiorum epu-

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fetus ovium, aut urentis culta capellas,
Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos;
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,

lis, quibus adhibebantur tibicines, exprimi, Servius censebat; non male. —*ebur* est tibia ex ebore. —*Lancibus pandis*. Aut patulis, aut extorum pondere incurvatis. Lanx autem fuit vas sacrificiis destinatum. —*Fumantia exta* dicuntur, vel quia victimae ventri recens erepta, vel quia cocta, ut Servius ait; vid. Varro de L. L. IV; Aen. XII, 214; Stat. Theb. IV, 466. *V. G.* —*Reddimus*. Sacerdotum verbo usus est. Reddi enim dicebantur *exta*, quum probata et elixa arae superponebantur, auctore Servio. Tacitus, H. IV, 53: *Lustrata bove, et super caespitem redditis extis*. Tibullus, *reddere tura*; Ovidius, *reddere liba, vina*, quia debentur: eiusdem familiae est *dare*. L.

195-202. Observetur praeceptorum in his formis variatio et orationis copia. Agros saltuosos et irriguos ad pascua seligendos esse monet. Exempla nunc in ipsum praeceptum convertit. —*tueri*, ut servare, eo sensu, quo est nutrire, alere, itaque et pascere, hoc etiam apud Grat. Cyneg. 306, 307. —*urentes culta capellas*, laedentes seu serrato dente seu saliva, ut exarescant. Ita *urere* dictum erat Geor. I, 77, et inf. 378, 379. —*saturum Tarentum* propter insignem agrorum ubertatem (v. Horat. Carm. II, 6, 10 sqq.) a consequenti; ut *pinguis* et 224 *dives Capua*. —*longinqua*, longinquos agros. —198. Notum ex Ecl. I argumento, et Ecl. IX, 27, 28. —199. Vid. Ecl. VII, 11, 12, 13. —*herboso flumine*, Mincius enim alga et arundine obsitus est. —201. 202. Quantum graminis per diem depastum est, tantum nocte rorulenta succrescit. *ros* causa fertilitatis, vid. Graev. ad Hesiod. Scut. Herc. 395, θῆλυς ἔρση. *reponet*, crescere faciet. Poëtica quidem amplificatione dicta, nec tamen a vero plane abhorrente; cf. Plin. XVII, 4 extr. De campo Roseae ad lacum Velinum v. Serv. ad Aen. VII, 712; Cluver. Ital. ant. p. 679.

203—211. Humus pulla seu nigra, pinguis, et *putris*, h. resoluta, tenera, ac solibus et imbribus penetrabilis (v. Georg. I, 44, et inf. 262, 263: γῆ μανή, κούφη, λεπτή, εὔυδρος, εὐδίοδος) agrum frumentis serendis idoneum praebet. —204. Hoc est arationis consilium, ut, quae terra talis non sit, glebis fractis ac comminutis putri similis efficiatur; cf. loc. Columellae V, 4, 2. Idem Colum. diserte h. l. interpretatus est X, 7: *Pinguis ager, putres glebas resolutaque terga*

Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando),
Optuma frumentis: non ullo ex aequore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra iuvencis,
Aut unde iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illae altum nidis petiere relictis;
At rudis enituit inpulso vomere campus.
Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias roremque ministrat;

Qui gerit, et fossus graciles imitatur arenas. Locum ob oculos habuere in iisdem praeceptis condendis Colum. II, 2, 4, et de nigro colore §. 14 sqq.; Plin. XVII, 4, a. 3; Pallad. lib. I, tit. 5. Versuum pulcritudinem vel me non monente sentis. — *tardis* et naturae boum et oneris notionem atque plaustri magnitudinem suggerit, quo frumentum ex agro devehitur. — 207-211. Alterum genus agri feracis frumento est novalis, silva caesa. Ornati versus de agro novali (*non ullo ex aequore — aut unde* — plenius diceres: *non ullo ex aequore*, quam e tali, *aut* ex illo, *unde*. W.). *iratus* suaviter, quod silvae inutiles bonum solum occupabant. — *devexit* poëtice; vulgari ratione id, quod antecedit, poneretur, excidit, exstirpavit; conf. vs. 408. *H.* — *Antiquasque domos*, aut revera antiquas, aut caras: *domos* pro nidis. *L.* Omnes laudant locum Lucret. I, 19, *Frondiferasque domos avium*; ipsum Virgilium pressius sequitur Manilius II, 774-777; habuit etiam ante oculos Silius V, 505-508. — Iam subiectus est 211 versus pulcherrimus. *impulso vomere*, adacto, ut vs. 203, *presso*; I, 45, *depresso aratro.* — *rudis campus*, nunc primum proscissus. — *enituit* autem, enitescit, magna cum vi; est enim bona terra *post vomerem nitescens*, ut Plinius ait XVI, 5, s. 3; et omnino *nitent*, quae culta sunt, ut Georg. I, 153; Aen. VI, 677; conf. Burmann. Totam vero structuram in pedestri oratione sic alius instituisset: antiquas domos avium eruit, quae altum petunt, *dum interea* campus enitescit etc. Quod si meminissent interpretes, versum 211 cum sequentibus non iunxissent.

212. Non contentus dixisse Indicia terrae aptae ad frumenta, addit indicia illius, quae inepta est, ut ita melius cultorem agrorum perducat ad notitiam. Pendet sententia ex superioribus, hunc in modum. Quae nigra est, quae pinguis, quae putris, quae habuit silvam, optima est frumentis etc. *C.* — Notetur nova orationis connectendae variatio, ubi ad notas mali agri transit. Conf. similem usum particulae *enim* I, 77. Solum glareosum, sabulosum, satis est, si herbas apibus idoneas suppeditat. — *ieiuna glarea*, infecunda, λυπρά. — *rorem*, quem apes e floribus et herbis sugunt, nuncque flores ipsi, quibus ille inesse solet. *Ros marinus*, frutex, a Servio intelligitur, quem alii sequuntur; sed nondum locum vidi, in quo ille sim-

Et tophus scaber et nigris exesa chelydris
Creta negant alios aeque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, et curvas praebere latebras.
Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris,
Et bibit humorem, et, quum volt, ex se ipsa remittit,
Quaeque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum,
Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos;
Illa ferax oleo est; illam experiere colendo

215. *Negant.* Nicander et Solinus, qui de his rebus scripserunt.

217. *Quae tenuem exhalat nebulam.* Dicit agrum omnium rerum feracem. Quatuor enim genera agrorum imitatur, qui solus potest, quod illi quatuor, sicut sequentia indicant. — *Fumosque volucris.* Quasi fumos: scilicet ex humore.

pliciter *ros* appelletur. — De *Casia*, herba coronaria, thymelaeae affini, vid. sup. ad Ecl. II, 49.

214-216. Sententia est: Terra tophacea et cretosa serpentibus omnium aptissima. Vulgare: nulli alii agri aeque ferunt — ac tophus et creta, ita extulit: *tophus et creta negant alios agros aeque ferre serpentibus cibum*, scil. atque ipsos. Tribuit enim ex solemni poëtarum more rei inanimatae sensum et iudicium et loquelam. Hinc *negare*, ut infr. 234, et alibi. — 216. *curvas latebras* pro cavis. Sic et Georg. III, 544. *H.* — Nocivis herbis praecipue gaudent serpentes: Aen. II, 471, *mala gramina*: praevaluit tamen Hebraeorum falsa opinio, serpentes terra vesci. Geop. VII, 12, — Apud Silium Italicum XVII, 449, inducitur serpens *ferventi pastus arena.* V. G.

217—225. Post terras singulis culturae generibus aptas memorat agri genus optimum, vinetis, olivetis, frumentis et pascuis aequaliter idoneum. — 217. Plin. XVII, 4, s. 3: *terra optima, quae tenues exhalat nebulas.* H. — 219. Faber legit *viridis*, quod ego amplexus sum, invitis omnibus librariis, qui decepti vocabulo *suo* et litera *s*, consueto more, vulgarem lectionem anteposuere. *V. G.* — Cl. Potier n.° IV, p. 312, asserit in codice 2 Regiae Biblioth. legi τὸ *viridis*, ut hac peculiari dote distinguatur a ceteris haec tellus. *L.*

220. *Nec scabie et salsa laedit rubigine ferrum.* Salsugo et amaror terrae inficit vomerem rubigine, quae ferri quasi scabies est.

222. *Illa ferax oleo est.* Sic in antiquissimo Romanae notae et in Mediceo legitur, et hoc admisit Heynius; sed affirmare ausim nusquam apud sinceros poëtas reperiri hunc loquendi modum; *terra ferax pane, vino, vel oleo*; τὸ *ferax* non regit *ablativum*; et poëta qui fruges describit, naturam aut Deum potius exprimit quam artis humanae laborem et industriam: unde malim, *illa ferax oleae*, ut ferunt quinque nostri Codices Regii, et vulg.

Et facilem pecori et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora iugo, et vacuis Clanius non aequus Acerris.
  Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit an supra morem si densa requiras,
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo;
Ante locum capies oculis, alteque iubebis
In solido puteum demitti, omnemque repones

227. *Supra morem.* Ordo est: si requiras rara sit, an supra morem densa: et *supra morem* hic pro *valde* est positum, hoc est supra modum, supra iustum. *Philarg.* — Illi autem versus incomparabiles sunt: tantum habent sine aliqua perissologia repetitionem.

229. *Densa magis Cereri.* Bene addidit *magis*: nam hoc vult ostendere quid ubi melius nascitur; potest enim et frumentum in rara, et vinum in densa, sed non feliciter nasci.

Edit. *L.* — 223. *facilem*, liberalem, uberem, copiosum pabulum praebentem; cf. ad vs. 179. — 224. *vicina Vesevo*, antequam Vesuvii incendiis tractus ille est Tito imperante vastatus. — 225. *Clanius*, fluvius Campaniae, iuxta Linternum in mare se immittens, vicinis agris, et inter hos Acerranis exundatione frequenti exitiosus. Sequutus est nostrum Silius VIII, 535: *Clanio contemtae semper Acerrae.* Nunc *Clanius arat*, h. e. accolae fluminis. *H.* *vacuae* dicuntur *Acerrae*, non frequentes incolis. Ita *Cumae vacuae* Iuv. III, 2. *W.*

226-258. Terra quomodo sit probanda (δοκιμασία γῆς), quibusque notis eius natura densa, rara, salsa, pinguis, humida, gravis, levis, nigra, frigida cognoscenda; conf. Plin. XVII, 5, s. 3; Colum. II, 2, 19; add. Geop. II, 10. *H.* — 228. *Altera.* Docet experiri rarum an spissum solum sit, hoc modo: Facito in solida terra fossam; et inde repleto eadem terra, et calcato pedibus: si terra non aequabit superficiem fossae, rara est: si superabit, spissa est. Rara est idonea pecori et vitibus: spissa est idonea tritico. Columella ait: *Sed si velis scrobibus effossis egestam humum recondere, et calcare; si abundaverit, certum est esse pinguem; quum defuerit, exilem; quum aequaverit fossam, esse mediocrem: quanquam ista quae nunc retuli, non tam vera possunt videri; si sit pulla terra, melius proventus frugum annotantur.* Ex aqua caelesti natura terrae cognoscitur: quae imbrem statim sorbet, rara est; quae difficulter bibit, spissa est. Cognoscitur etiam terra, ictu cuspidis: et quando herbas creat sponte validas, tunc terra est spissa; quando creat languidas arbores, si in raro solo tophus subest, aut arena, omne alimentum remanet in radicibus arborum. *Pomp. Sab.*

231. *puteum*, altam foveam, scrobem (Βόθρον, Geopon. II, 11) facere, fodi iubebis, sive, quod exquisitius,

Rursum humum, et pedibus summas aequabis arenas:
Si deerunt, rarum pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager; glebas cunctantis crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde iuvencis.
Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.
Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos
Colaque praelorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis

demitti. Porro *solidum* pro loco solido. *H.* — 233. *vitibus almis.* Eo significato videntur vites dictae almae, quo Bacchus almus, Ceres alma, frumenta alma; nimirum ab alendo; nisi quis torqueat ad rem sacram, et dicatam Baccho. *C.* — 234. *uber*, ubertas, uber et fecundum solum, vid. v. 185; h. l. simpliciter humus, solum; iungitur enim; *rarum uber* erit (cui opp. spissus ager, crassus; v. Colum. III, 12, 2) et pascuis ac vineis aptum. — 233. *vites almae*, quia praebent, quo alas te, et in boni seu muneris parte sunt. — *terga* agri, v. 236, de superficie, in qua sulci fiunt. *H.* — *Sin in sua posse* etc. Hic videtur quasi sensum et mentem terrae ipsi tribuere; *negant ire*, pro, *non possunt*. L. 236. *glebas cunctantes.* Graves; cum mora et difficultate proscissas, et aratrum tardantes. 237. *Exspecta.* Ex allatis modo indiciis iudica, et pro certo habe. — *Validis iuvencis.* Quare iungendi sunt tauri plures et iuvenes et robusti; hos olim *glebarios* appellabant. *L.*

238. Salsum et amarum solum probatur ac cernitur, aqua colo eliquata. *quae perhibetur amara*, quam vulgo amaram appellant, pro, quae est. — *infelix*, infecunda. — 240. Vinum generosissimum et poma optima in tali terra degenerant. Mox *specimen* probatio ac documentum, δεῖγμα. — 241-247. Rem v. iu primis apud Geopon. II, 10; V, 7. Qualos vimineos seu calathos, ac *cola praelorum*, h. supponi praelis uvarum et olivarum solita, ut novum mustum aut oleum iis exceptum percolaretur ac liquaretur. *deripe tectis fumosis* pro sume. Ornatus inde petitus, quod ista vasa, ne humore corrumpantur, ad fumum reponi solent. — 243. *Ager*, particula terrae ex eo agro, τῆς γῆς τι. — *huc* — *calcentur* exquisitius quam *hic*; infert enim alterum, huc infundantur, et *calcentur*, subigantur. — 244. *Ad plenum*, plene, ut colum plenum sit. Horat. Od. I, 17, 15: *Hic tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu.* — *eluctabitur* pulcrius quam effluet. *H.* Cum mora egredietur, et sensim velut luctando viam sibi faciet, ac transibit. *L.*

Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae;
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quae sit tellus hoc denique pacto
Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida maiores herbas alit, ipsaque iusto
Laetior. Ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se praevalidam primis ostendat aristis!

247. *Amaror*. Amaritudo; et est sermo Lucretii: et vera lectio ipsa est: nam multi *Amaro* legunt; ut sit, *sensu amaro*.

— 246. *sapor* aquae expressae. — *manifestus*; in pedestri oratione vel manifesto vel indicium manifestum. — *Amaror torquebit sensu ora tentantium*, h. gustantium, ex Lucret. II, 400: *At contra tetra absinthii natura, ferique Centaurii foedo pertorquent ora sapore*. Iam hic sensus haud dubie proprie *tristis* appellandus, quod de amaris rebus dici, supra v. c. I, 75 vidimus. Obvium erat poëtae iungere *sensu* seu sapore *tristi*; at exquisitius est transferre epitheta ad adiuncta; hinc *tristia ora*. H. *tristia* convenit *oribus*, quum amaror ea torquet. Saepe in actione obiectis adiunguntur epitheta, quae illis tantisper, dum actio durat, conveniunt. Ita expedies Aen. IV, 102: *regamus populum communem*, et VII, 343, et infr. 352. *W*. — 247. *Amaror*. Quamvis Servius et aliquot alii, veram banc esse lectionem asserant, et a Lucretio sumptam, lib. IV, 225: *Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror*, accedantque codicum nonnullorum perveterum testimonia, multaque in banc lectionem Aulus Gellius congesserit; displicere tamen non potest, quod in antiquissimo codice Romano *amaro* legitur. Sapor enim utrique verbo suppositum esse potest. In Longobardico etiam *amaro* scriptum erat, sed enim r litera altera manu et atramento apposita est; idem factum in Mediceo. *Pier*. — Hanc ultimam opinionem acriter et docte meo iudicio defendit et probat *Cl. Potier*, n.° IV, l. cit. p. 313 et seqq. *L*.

248-250. Pingue et glutinosum (simulque dulce) solum ipso tactu noscitur. — 249. *manibus iactata*, versata, trita, *fatiscit*, atteritur, ut solvatur in pulverem, abeat in arenulas, arida facta; v. Georg. I, 180. — *ad digitos lentescit*, lenta adhaeret digitis, *habendo*, dum manibus habetur; nam passive dictum est. Sic Lucret. I, 313: *annulus in digito subter tenuatur habendo*, dum habetur, tractatur; Add. Aen. XII, 88. Ad sententiam, v. Plin. XVII, 4, s. 3; Colum. II, 18, laudato hoc loco.

251—253. Terra humida luxurie herbarum dignoscitur. — 252. *Ah nimium ne*. Egregia variatio eius, quod simpliciter efferrent nostri homines: quod terrae genus nemo sibi optet. Similis inversio Georg. I, 456: *Non illa quisque me nocte per altum Ire iubeat*, ubi vid. Not. Rem v. apud Plin. l. l. *H*. — 253. *praevalidam*, nimis feracem.

Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quaeque levis. Promtum est oculis praediscere nigram,
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est; piceae tantum taxique nocentes
Interdum aut ederae pandunt vestigia nigrae.
His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montis,
Ante supinatas aquiloni ostendere glebas,

253. *Primis aristis.* Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet: quas culmi tenues ferre non possunt.

259. *His animadversis.* Id est, agri qualitate deprehensa. — *Terram multo ante memento Excoquere.* Hoc dicit, non esse eo anno ponendas vites, quo fodiuntur scrobes; sed post annum; ut calore, frigore, et labore rustici, possit terra putrefieri.

254-256. Gravis, levis, et nigra terra sub sensum cadit. *tacitam se prodit*, vulgo diceres *tacite;* at poëtica ratione pro adverbio dicitur: *tacita* prodit se terra, argutius *tacitam se.* — *quis cui*, h. e. quis cuicumque (accurstius: euique. *W.*) telluri *sit color.*

256-258. Frigida terra ad cognoscendum difficilis est. *sceleratum* pro noxio, pernicioso. *Taxi* aut certum genus intelligendum, aut alio sub caelo magis noxiam eius naturam esse necesse est. De ea, et de *hedera nigra*, vid. Cerdam et Martinum. — *pandunt vestigia*, indicia praebent frigoris. Hoc melius ad rem et loci sensum; nam de cognoscendis et discendis soli naturis agitur, 241—255; quam ut *vestigia* sint radices, quae late serpunt sub solo.

259-262. Transit ad *vinearum sationem*, de quibus copiose agit ad vers. 419; multa interposita quamquam, quae vitibus communia sunt cum aliis arboribus; et primum quidem *de faciendis scrobibus;* sed quam pulcre et ornate hoc praeceptum tribus his versibus 259-261 proposuit! Arbitror autem, ante oculos habuisse poëtam Xenoph. Oecon. c. XVI, 11 sqq. Serendarum vitium modi sunt tres: aut *in pastinato*, aut *in sulco*, aut *in scrobe:* Plin. XVII, 35, 7. — *Excoquere*, πέπτειν, πεπαίνειν, macerare, excoquendum curare sole, gelu, pruinis: Colum. XI, 3, 13. Ad id *concidimus terram scrobibus*, quod fit, quum scrobes crebros facimus, incidimus in terra; *concisam fossis Aegyptum* Iustinus II, 1 dixit. Quum autem vineae in collibus fere plantentur, *montes* memorat poëta. — *glebae supinatae*, terra ligonibus inversa. — *aquiloni ostendere*, exponere, ut flanti perviae sint. Hesiod. Ἔργ. 611, τότε πάντας ἀπόδρεπε οἴκαδε βότρυς, Δεῖξαι δ' ἠελίῳ δέκα τ' ἤματα καὶ δέκα νύκτας. Nemes. Cyneg. 208: *tepidoque ostendere soli.* Stat. Theb. VI, 89: *lucos ostendere Phoebo.* Habuit etiam hunc locum in animo Columella X, 74-76. *H.* — Sententiam versuum 259, 260, quum 261 repetat Maro, iteravit *ante*, ut *post* Ecl. I, 67-79, et *dum* Aen. IV, 52, 53. *W.*

Quam laetum infodias vitis genus. Optuma putri
Arva solo; id venti curant gelidaeque pruinae,
Et labefacta movens robustus iugera fossor.
At si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,
Mutatam ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam coeli regionem in cortice signant,
Vt, quo quaeque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,

262-264. Causam coquendi soli apponi puta. Nam optimus vineis serendis ager *putris*, seu resolutus et tener, est; v. ad v. 204; *putris* autem *fit ventis, pruina, opere.* — 264. *iugera labefacta* pulcre pro terra vineae, quae pastinatur, fodiendo enim *movetur*, concutitur, mollitur. *H.* Cave tibi ab hypallage Servii: movens et labefaciens. *W.*

265-268. Diligentiores patresfamilias in seminario sive plantario educant vites, quas deinde in vineam transferant. — 266. 267. *Arbores* h. l. pro vitibus. Curant, ut locus, *ubi prima paretur* vitibus *seges*, h. seminarium vitium, simili ingenio ac natura sit, quam *locus*, *quo mox digesta feratur* (noto loquendi genere, ut alterum verbum in participium mutetur; inf. 318: *concretam radicem adfigere terrae*), h. transferatur et digeratur, sive vitiarium. In sermone pedestri diceres: locum similem ei, quo mox feratur. *H.* Obstat interpretationi *transferatur et digeratur* participium perfecti *digesta*, quo indicatur, segetem prius esse *digestam*, quam alio *feratur*. Tu vide, an *seges digesta* sit semina in plantario ordinata, ut *digesta*, sicut in participiis et adiectivis fit, sensum prioris enuntiationis referat. Notum: *urbem capit, captam diripit.* W. — *Seges*, quia *semina* dicit et *serere* communi vocabulo, quo et scriptores rei rusticae de vineis plantandis utuntur: sic et σπέρματα et σπείρειν; est *seges* surculorum. Eadem ab agri cultura petita ratione paulo ante *arva*, *glebas*, *iugera* de vineis dixit, ut a vulgari sermone recederet poëtica oratio. *Sationis autem duo genera, malleoli vel viviradicis*, Columella III, 11, 2, haec sunt *semina*; cf. 302. — 268. *mutatam subito matrem*, novam, ignotam terram. — *ne ignorent*, adeoque nec adsuescant, nec in ea proficiant, nihil ferant.

269-272. Provident quoque, qui vites plantant, ut restituant unamquamque eo situ, quo in vitiario steterat, cardinum caeli ratione habita. *quaeque* paulo altius ad *arbores* v. 267 referendum. Colum. V, 6, 19, 20 hunc locum in animo habuit. — *axi*, polo septemtrionali, vi oppositi. Signatur in planta pars caeli meridiana in cortice, ut translata vitis eadem parte meridiem, eadem septemtrionem spectet.

Restituant. Adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus.

273. *Collibus, an plano melius sit ponere vitem, Quaere.* Atqui supra ait: *Denique apertos Bacchus amat colles:* sed etiam in vallibus poni posse vites, superius indicavit: ut, *Hic tibi praevalidas olim multoque fluentes sufficiet Baccho vites.* Vnde modo utrumque complectitur, et dicit, quemadmodum in plano, quemadmodum in collibus vites ponere debemus.

273. 274. In vite serenda considera, utrum illa laetius in loco plano proventura sit an in colle. Vt vulgo haec accipiuntur, hist oratio. Nec videtur hic quaestioni locus esse, sitne omnino melius vineam in colle an in campo facere. Nam utrumque et recte fit, et fieri potest, et quamquam *campi largius vinum, colles nobilius ferunt*, Pallad. I, 6, 7, Geop. VIII, 1; quod tamen subiicitur, nihil ad hoc facit. Sed dilectus, quem facis, ratio pro caeli, regionum et tractuum diversa natura variare, et ea dubitatio exsistere potest, sub hoc vel illo coelo, in tali vineae situ, aut in certo genere vitium, quod habeas, utrum potissimum facere conveniat, campestrine an collino solo vineam serere. Colum. III, 1, 5: *Exploratum tamen habebit prudens agricola genus vitis habile campo, quod nebulas pruinamque sine noxa perfert; colli, quod siccitatem ventosque patitur;* conf. Plin. XVII, 22, s. 35, 16. — 274-277. Iam, si in plano vineam facis, densas, sin in colle, raras plantato vites. — *Metari agros*, finiendo, h. l. de eo, quod consequitur, intellige; est vineam instituere, facere. *H.* — 274. *Metabere.* Eliges, vel, metis et terminis suis distingues, et divides. *Vineas metari* Columel. dixit: ita Lucanus, *veniam metator in agros:* ita *metata porticus* in Horatio est mensurata, disposita; ut Lipsius e vet. Scholiaste exponit. — *Pinguis agros metabere campi.* Observa ex hoc loco campum, maius aliquod spatium esse, quam agrum; ita ut ager pars sit campi. Omnis locus planus dicitur *campus*, modo in eo segetes insint, modo vites, modo oleae, et talia huiusmodi. At vero *ager* tantum est locus, in quo sunt segetes. *L.* — 275. Haec aut sic accipies: *in denso ubere* (vs. 234) *non segnior Bacchus*, h. in solo denso (cf. 229) vini non minus laetus proventus (*segnis* de proventu, v. ad Ge. I, 142), etiamsi *densa*, h. dense, plantes: aut *in denso*, h. e. quum, minoribus spatiis relictis, densae ponuntur vites, *Bacchus non segnior ubere*, h. ubertate, est, scil. si in pingui solo vineam facis. Vtrumque recte fit, sed posterius verius. At in *densa ubertate*, quomodo verba *in denso ubere* explicant, vix latine dici potest. *H.* *densum uber* est uber, solum densum vitibus, ex contextu, ut *litus densum* est densum arenis, Metam. Ovid. II, 576. *W.* Ceterum hic manifestum fit, Socratis disputationem Virgilii animo insedisse Xenoph. Oecon. cap. XVII, 8-11. *H.* — 275. *Non segnior ubere Bacchus.* Divina locutio. Cum eodem sapore dices: *non segnior agris Emergitque Ceres, nec segnior ubere Pallas;*

Sin tumulis adclive solum collisque supinos,
Indulge ordinibus. Nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Vt saepe ingenti bello quum longa cohortis
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, nec dum horrida miscent

277. *In unguem.* Ad perfectionem: et est translatio a marmorariis, qui iuncturas unguibus probant. Horatius, *ad unguem Factus homo.*

ad signandum frumentum, atque oleum. Quin, ut segetem notes maligne erumpentem, dices: *exsurgit, emergit segniter.* C. — 276. *Sin metabere solum aeclive tumulis*, quia in tumulo situm est, ad tumulum assurgit. — 277. 278. *Indulget ordinibus* et is, qui simpliciter facit ordines, et is, qui laxiores ac rariores facit, magnis spatiis relictis, ut delectari quasi iis videatur. Bene Serv.: *ordines effice largiores.* In praecepti ratione dissident auctores. *H.* Docet vites in quincuncem disponendas esse: dicuntur autem vites, vel arbores, in quincuncem digestae, quum ita collocatae sunt, ut literae V inter se speciem praebeant: V enim litera, quinarium numerum significat, et latini ipsam literam V quincuncem appellaverunt. Porro haec figura duplicata literam X efficit, quae latinis numerum denarium significat, et vocatur a latinis decussis; est igitur in quincuncem et decussim vites vel arbores redigere, eo ordine eas collocare, ut similitudinem V vel X referant, ita ut in quamcumque partem spectaveris, semper rectae sint lineae, quae ratio non modo utilis, verum etiam adspectu grata. *Cerut.* 277. *Nec secius*, h. item, porro, etiam, nec minus, *arboribus, vitibus, positis, in unguem*, ad unguem, *omnis via quadret*, h. ordines exacte conveniant, congruant, *limite secto*, linea ducta, quae ordines facit. Scilicet posteriora haec poëtica copia accedunt. Quincuncem respici docet Plin. XVII, 11, s. 15: *In disponendis arboribus arbustisque ac vineis quincuncialis ordinum ratio vulgata et necessaria, non perflatu modo utilis, verum et adspectu grata, quoquo modo intueare, in ordinem se porrigente versu.* Alii iungunt *non secus — ut* pro *non secus — quam*, allato Horat. Od. II, 25, 8-12, ut periodus in verbo *armis* finiatur. *H.* Mihi Forcellini recte sensisse videtur, *non secius* accipiens pro: eodem modo sive in plano sive in colle vitem ponas. In prioribus enim de vitibus pro natura agri densius vel rarius ponendis monuerat. Tum autem verba *ut quum* usurpata statues pro *veluti quum*, atque post *quadret* colo, post *armis* puncto distingues. *W.*

279-283. Splendida comparatio, quacum dudum contulere Lucret. II, 323 - 332. Iubet autem ordines vitium esse pares, similiter atque ordines aciei. — *longa*, eo ipso quod se explicat. — *late tellus fluctuat aere*, pro eo, quod aes in tellure, h. arma, armorum fulgor fluctuat, coruscat, dum moventur passim arma et convertuntur. — *renidenti* ex Lucret. l. l. 328.

Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum,
Non animum modo uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
  Forsitan et, scrobibus quae sint fastigia, quaeras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco;
Altior ac penitus terrae defigitur arbos,
Aesculus in primis, quae, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: inmota manet, multosque nepotes
Multa virum volvens durando saecula vincit;

293. *Non flabra.* Hoc nomen tantum pluralem recipit numerum: ab eo vero quod est flamina, flameu possumus dicere: licet sit vitandum propter aliam significationem. Nam dicitur flamen Dialis, flamen Martialis.

—*mediis in armis*, inter duo exercitus. —*Mars errat dubius*, eleganter, quum adhuc incertum sit, unde et quando pugna initium habitura sit. Nam de eventu pugnae dubio nunc non quaeritur. —285. Ornate. Ordines vitium sunto pares, non modo delectationis causa, quam animus ex prospectu capiat. *animus inanis* h. l. eius, qui inani prospectu delectatur, qui probat rem, quae tantum ad voluptatem facit, nullam utilitatem habet, quae patrifamilias proposita esse debet. —287. In tenui oratione tamen indoles poëticae elucescit. Nam in prosa fuisset: sed ut terra det etc. —*vires dabit aequas*, pro: aeque suppeditabit alimenta, succum; *in vacuum*, in aërem.

288. Sintne scrobes in profundum agendi, quaeritur. *fastigium* pro profunditate e re rustica petitum; v. Indicem AA. de R. R. Rationem habet eam, qua profunda *alta* dicuntur. *H.* *Scrobes* sunt masculini generis: nam Cicero in Oeconomicis sic dicit: et Plautus ait: *sexagenos scrobes*. Serv. Lucanus et Gracchus feminini generis efficiunt. *T.* —289. *sulcus* pro scrobe. Mensuram ipsam suppeditant Plin. XVII, 16, 22, s. 35, 7: Colum. III, 13 et 15. Adde Xenoph. Oecon. cap. XIX. Est autem vitis ἐκ τῶν ἐπιπολαιοῤῥίζων; vid. Theophr. de Causs. Plant. III, 5. —290. At arbores, quibus vites iugantur, altius in terram et penitus defigendae sunt. —291. Ornatum poëta ex aesculi, quae ex quercuum genere est, descriptione quaerit. Illa: *quantum — in Tartara tendit*, iterum leguntur Aen. IV, 445, 446 de quercu, adumbrata ex Hesiod. Theog. 720 sqq. At ex nostro Valer Flacc. I, 580, 581. Respicit h. l. Plin. XVI, 31, s. 56. —294. Optime ita iunges: *multos nepotes durando vincit*,

Tum fortis, late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vites corulum sere; neve flagella
Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas:
Tantus amor terrae; neu ferro laede retuso

299. *Neve inter vites corulum sere.* Radices enim eius nocent vitibus. — *Neve flagella Summa pete.* Flagella dicuntur summae arborum partes; ab eo quod ventorum crebros sustiuent flatus.

h. vita superat, *multa virorum saecula volvens*, exigens. Recte Cerda notat, variasse Maronem eo flexu versum Lucretii I, 203: *Multaque vivendo vitalia volvere secla*, ut III, 961: *Omnia si pergas vivendo vincere saecla.* H. Homo, per aliquod tempus vivens, annos, menses, dies secum *agere*, *rupere*, *volvere* videtur. Illa imago h. l. ad arbores translata est: *volvens multa saec. virum.* W. — Voss. Vir Cl. pro *tum* scripsit *tam*; cui non assentior: nam *tum* vulgari sensu accipi potest pro *tunc*, vel *etiam*, *praeterea*. T. — 297. *sustinet* pro vulgari *efficit*, *reddit*; sed ornate; nam simul ramorum magnitudinem, oneris notione adiecta, declarat. Sunt igitur duo, quae radicum altitudine efficiuntur, primum, quod ita arbor firma ac diuturna est, secundum, quod ita truncum habet satis validum ad ramos latissimos sustinendos.

298. De situ vinearum, de quo dissensus fuit inter veteres. Colum III, 12, 5: *caeli — cuius regionem, quam spectare debeant vineae, vetus est dissensio — Virgilio de industria occasum sic repudiante: Neve tibi ad s.* Plin. XVII, 2: *Virgilius ad occasum seri damnavit.* ubi vid. quae sequuntur. — 299. Plin. XVII, 24, s. 37: *Necant invicem inter sese umbra vel densitate, atque alimenti rapina — vitis — odit et corulum, ni procul absint, tristis et aegra.* — 299. 300. *flagella* sunt vitium; verba enim de viti accipienda sunt, quam *arborem* simpliciter dici iam vidimus. Praeceptum autem aut esse potest unum, binis modis expressum: surculos, quos defigere velis, non ex superiore vitis parte petendos esse; melius enim provenire surculos, ex inferioribus vitis partibus sumptos. — *Tantus amor terrae*, tam magna, notabili aliqua consuetudine telluris tenentur illae inferiores partes, ut laetiorem ubertatem ab iis, quam ex summis partibus, exspectare possis. Sin praeceptum est duplex, verba *ne flagella summa pete*, h. e. summam eorum partem, surculorum ipsorum cacumina non esse recidenda et plantanda, sed mediam vel infimam surculorum partem indicant; illa autem *aut summa — plantas*, surculos ex summa vitis parte non esse petendos; cf. Colum. III, 10, 1—4. *H.* Posteriorem rationem vel particula *aut* postulat. *W.* Respicit h. l. Plin. XVII, 14, s. 24: *Virgilius e cacumine inseri vetat*; nec tamen poëta tantum de insitione cogitabat. *destringe*, aufer, pete.

301, 302. De hoc praecepto vid.

Semina; neve oleae silvestris insere truncos:
Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora conprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem coelo sonitum dedit; inde sequutus
Per ramos victor perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad coelum picea crassus caligine nubem:
Praesertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent, caesaeque reverti
Possunt, atque ima similes revirescere terra;
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,

Colum. IV, 24, 21, 22. — 302. *Semina*, surculi, sarmenta, quae modo *plantae*; cf. 268. Neve *insere*, s. intersere, oleastros inter vites; quia spissa et pinguis arbor (v. Theophr. Hist. Plant. V, 10, πυκνὸν καὶ λιπαρὸν) facile ignem concipit, et incendio late sparso totam vineam vastat. Male hic de insitione olearum cogitabant viri docti. Vbique autem circumferenda animo vitium inter arbores consitarum seu arbustorum in Italia ratio. — 305. *Robora*, h. truncum oleae. — 306. *caelo*, ad caelum, ut 309. — *sequutus*, progressus, gliscens. — 308. *nemus* pro vineto. — *ruit*, agit, emittit, eiectat. Loci pulcritudinem propter τὸ ἐναργὲς facile sentis. Conf. Silius V, 510-514 ex nostro expressus; inf. Aen. X, 405 sq.: Hom. Il. λ, 155 sq.; υ, 490 sqq. — 310 *a vertice* poëtica copia et ornatu adiectum, h. desuper, ab alto, εἰ δέ κε νηῒ Υψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα, Arat. Phaenom. vs. 423. Sic fere Aen. I, 114: *ingens a vertice pontus In puppim ferit*, ex Hom. Odyss. ε, 313, ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης. *ex alto* Ge. I, 324 et al. Et sic *descendunt* venti. — *silvis* haud dubie de vinea oleastris consita intelligendum.

312. Quod si acciderit (*Hoc ubi*), vites quidem revirescere nequeunt, dum interea oleastri novas frondes agunt, solique totam denique vineam obtinent; *non valent a stirpe*, aegrotant et corruptae sunt radicitus ac penitus vites; *caesae*, praecisae, stipite acciso. — *superat*, superest incendii calamitati, revirescit. — *infelix*, infecundus.

315. 316. De tempore serendarum vitium, v. Colum. III, 14, et XI, 2, 22, 26, 79; adde Geopon. V, 6. Primum sationem vitis non, borea flante, esse faciendam; vid. Plin. XVII, 22, s. 33, 8; XVIII, 34, s. 77, 1; tum 319, illam vere et auctumno curandam praecipit. Inter haec in landes veris excurrit. Nova variatione

Tellurem borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems, nec, semine iacto,
Concretam patitur radicem adfigere terrae.
Optuma vinetis satio, quum vere rubenti
Candida venit avis, longis invisa colubris,
Prima vel auctumni sub frigora, quum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;
Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.

318. *Concretam radicem.* Ante enim quasi gutta quaedam est ex terra et humore procreata, quae postea tenditur in radicem.

praeceptum orditur: *nec tibi quisquam persuadeat*; cf. sup. ad I, 456; quod addit, id orationi vulgaris formae fastidium abstergit, *auctor tam prudens*; qui enim suadet, is est auctor. — *bor. spir.* Ex seqq. putes, de sola hieme agi, ad quam *boreas* spectat; nam *Rura gelu tum claudit hiems* etc. Est tamen praeceptum veterum, gelido vento non esse serendas vites, sed austro spirante; videtur ergo *boreas* cum iudicio memoratus esse: aquilone non flante. — *Movetur tellus* aratro, rastris, ligone, sarculo, etiam quum scrobes fiunt; at h.l. quum scrobes iam facti sint; vs. 258, dum illi in superficie sua refodiuntur. — 318. *concretam*, poëtica copia appositum active, quae concrescit, dum adfigitur. — *Semine iacto*, surculis positis, ut 268; cf. ad v. 267. Sic statim vs. 319 *satio*. Porro *et semine iacto* non *patitur* hiems, frigus, illud *adfigere radicem terrae*. Atqui vix latine dictum hoc esset: *nec hiems semine iacto*, patitur scil. *illud semen*; quum scribendum sit: *nec semen iactum patitur hiems affigere radicem terrae*. Praestat hactenus alterum, si statuas, *adfigere* poëtae pro *adfigere se* dictum esse. Est tertia ratio e varia lectione *concretum*: nec patitur radicem affigere terrae *concretum*, concretionem suam, concrescere, Lucretiano loquendi more; cf. Lucr. IV, 1235. Substantivum *concretus* apud Plin. XII, 16. *H.* Hoc praefero; ceteris interpretandi rationibus notio participii *concretus* obstat. *W.* — 319. *vere rubenti*, ut alias poëtis *purpureum*, φοινικόπεπλον, pulcrum; cf. Georg. IV, 306. — 320. De ciconia intelligendum. — 322. Supra Ge. I, 312, *ubi iam breviorque dies et mollior aestas. hiemem*, signa hiemalia.

323. Ver non modo vitibus, sed omnibus omnino arboribus serendis idoneum ac commodum tempus. — 324. Ἡ ὥρα γονιμωτάτη, Theophrast. Causs. Plant. III, 4. Pulcherrimus versus, ut totus locus, quem imitatione expressum; v. ap. Columellam X, 197 sqq.: *Terrae tument*, ὀργῶσι, quod et ipsum a pubertate, ubi pectus et mammae turgent, quum ad tellurem tum ad fruges novas lacte ac succo turgentes transfertur. — *poscunt semina*, h. sationis tempus adest. — *genitalia*, quibus procreantur fru-

Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno conmixtus corpore, fetus:
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus:
Parturit almus ager, zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor:
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere, nec metuit surgentis pampinus austros,
Aut actum coelo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, et frondis explicat omnis.
Non alios prima crescentis origine mundi

329. *Certis diebus*. Statutis, legitimis, a natura arcana quadam ratione dispositis; ut tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex aetherio calore descendere.

336. *Non alios prima*. Hoc secundum licentiam poëticam dixit; nam

ges. — 325. Aetheris connubium cum Terra, imbre fecundante agros. Servatum hoc ex antiquo sermone, quo poëtae physicas res exponebant et ornabant, unde dehinc magna mythices pars fluxit. Aether seu superior aër Iovis nomine insigniebatur. Expressit vero poëta proxime Lucret. I, 251 sq.; II, 991 sq.; conf. sup. Ecl. VII, 60; Horat. Epod. XIII, 1. — 327. *magnum corpus* Terrae intelligendum, ut Aen. VI, 727, de hoc universo. Expressi ex h. l. veteris poëtae versus in Pervigilio Veneris 61, 62: *In sinum maritus imber fluxit almae coniugis, Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.* 329. Vid. Lucret. I, 10 sq., in quos versus omnis Venus infusa est. *H.* Equi inter aequinortium vernum et solstitium coëunt; tauri ab aprili ad Iulium usque. *V. G.* — *Laxant arva sinus*, arva, quae frigore adstricta erant. *superat humor*, abundat; in his respicitur ad lac matris; cf. Lucret. V, 804 sqq. Terra admodum est humida. *H.* — *Laxant.* Exprimere voluit naturam lactis animalium: nam *laxant arva sinus* dicens, partum significat; deinde statim humorem superare, quo alat fetus, intulit. *Ph.* — 332. Germina vulgata ratione loquendi *se credunt soli*; Lucret. V, 779: *novo fetu quid primum in luminis oras Tollere et incertis tentarit credere ventis.* Sed totum locum in animo habuit Maro, si utrumque compares. *Credunt* autem *se*, dum *in novum solem prodeunt*, hinc *credunt se in solem* nove dixit. Transtulit hanc formam Seneca Herc. fur. 147, de luscinia exoriente die: *Pennasque novo tradere soli Gestit.* — 334. *magnis aquilonibus*, vehementibus, procellosis. Lucret. V, 816: *At novitas mundi nec frigora dura ciebat, Nec nimios aestus, nec magnis viribus austros.* Vides, unde noster hauserit. — *caelo* I, 6.

336. Observes, quanto cum ornatu

Inluxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri,
Quum primae lucem pecudes hausere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,

falsum est: constat enim post factum mundum ex qualitate cursus, soli tempora esse divisa.

philosophicam sententiam, sc. mundi natales in vernum tempus incidisse, exponat. Vulgatior est altera opinio, sed cum illa coniuncta, prima mundi aetate perpetuum ver affulsisse; unde nasci debuit phantasma paradisi, aetatis aureae, et alia similia. *crescentis mundi*, pro vulgari, nascentis. *H.* — *Non alios prima* etc. Gravis est dissertatio inter Theologos, quo tempore mundus fuerit conditus, vernone, an autumnali? Nam de hyeme, et aestate omnes silent. Autumnus patronos habet graves, sed ver gravissimos. Ratio, quae petitur a maturitate fructuum, autumno favet: veri, quae a commodissima anni temperie. In hanc opinionem conspirant fere omnes poëtae. — Virgilius, ut qui meliora edoctus esset, hanc Epicuri aliorumque doctrinam obiter tantum, et quasi transeundo memorat, utiturque voce *crediderim*. Mancinellus ait, mundum, secundum nostrae ecclesiae doctrinam, XV kal. mart. creatum fuisse; idque die dominica: ita ut primum sabbatum IX ante kal. mart. fuerit. *V. G.* — 337. *tenorem* pro tempestate dixit, quum proprie, si ad tempus referatur, sit continuatio aliqua temporis, eaque aequabilis. Non aliam rerum conditionem, aliud tum anni tempus, fuisse putem, quum mundus creabatur. — 338. *orbis agebat ver*, ut *agere festum*. *Magnus* vero *orbis*, *mundus*, *magna terra* perpetua sunt poëtis Graecis et Latinis, ex antiqua scilicet poësi; unde et nomen *Magnae matris* fluxit. *H.* — *ver illud erat.* His verbis consentiunt ista veterum Philosophorum apud Lactant. II, 12: *Non erant, inquiunt, in principio mundi hiems et aestas, sed perpetua temperies, et ver aequabile.* L. — 341. *Virumque Ferrea progenies.* Procreata ex lapidibus ad laborem. Alibi: *Unde homines nati durum genus.* — Lactantius libro II, lectionem agnoscit *terrea*; ubi dicit: Illud hoc loco praeterire non possum, quod errantes quidam philosophi aiunt, homines, ceteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra, unde illud Virgilianum: *terrea progenies duris caput extulit arvis.* — *Terrea.* Quia creditum est primo homines e terra natos, a qua humo homines existimabant dictos. Sed melius est *Ferrea*: ut respexerit illud Hesiod Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. — Nullo modo probanda est immutatio lectionis *terrea*, quam servant Lactantius et Philargyrius, pro *ferrea*: neque enim hic agitur de ferrea aetate; neque de Colchica virorum satione; neque, si verbo *ferrea* durum aliquid intelligas, de Deucalionis prole lapidibus sata. Lucretius, qui Virgilii antecessor fuit, V, 789, homines asseverat ex humo ortos: apud Ovidium, Met. I, 76, perinde ac in sacris Iudaeorum libris, post animalia creatur

Inmissaeque ferae silvis et sidera coelo.
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque 344
Inter, et exciperet coeli indulgentia terras. (agros,
Quod superest, quaecumque premes virgulta per
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas;

348. *Aut squalentis infode conchas.* Conchae autem propter admittenda spiramina infodiuntur. Lapis vero arenarius, et propter spiramina, et propter hauriendum humorem, si forte nimius fuerit.

PRIMVS HOMO. *V. G.* — *arvis duris*, nondum cultu mitigatis. Alii cum Bentleio ad Horat. Epod. II, 48 praeferunt *terrea progen.* h. e. terrigenae, homines; cf. Lucret. V, 1410 et 789—815.

343. Aut omnino ad veris naturam almam haec referimus, aut ad originem mundi inde a 336, ut *possent* dictum sit pro potuissent, et sic porro, *res tenerae*, nova sata, frondes, gemmae etc *H.* *hunc perferre laborem* videtur notare crescere; *labor* et *labores* tribuitur rebus naturae; vid. Not. ad 372. — Causam vides subiici 343—45, cur *ver* a natura sit institutum. *W.* — *laborem*, scil. ex frigore ac calore tanquam molestiam, πόνον. *H.* *laborem* refert Lemaire cum Cerda ad conatus et infirmitatem, qua *laborant* omnia quae crescere incipiunt; et quae tunc *mollia*, neque hyemis frigus, neque aestatis calorem perferre possent, nisi *etc. T.* — *quies*, temperies veris moderata. — *iret*, esset, (duraret. *W.*) Petita autem haec e Lucretii penu V, 1213, ubi v. Fabr. — 345. *Excipiunt sese invicem* res, quae sibi succedunt; tum etiam res, casus, qui exsistunt, emergunt, *excipere nos* dicuntur, ut illo: *aliud bellum cum excepit.* Ita videtur h. l. dictum. *H.* Est fovere. *W.* — *Indulgentia* pulcrius quam temperatio, clementia.

346. Nunc de cura surculorum positorum praecipit. *virgulta*, sarmenta intelligo, seu surculos vitium cuiusvis generis, sive malleolos sive viviradices sive propagines. *H.* — *Virgulta.* Plin. et Colum. *virgas* appellant, alii *plantaria*; Noster saepe, et alii, *semina.* Omnes intelligunt *surculos*, qui terrae committuntur. *C.* *premere* poëta de omni plantatione recte dicere potest, quum surculus in scrobe ponitur, deligitur, infoditur; cf. Colum. III, 15, 4; cf. infr. IV, 131. Porro *per agros* est de vineis accipiendum, quod sermonis poëtici ratio suadebat, ut vulgares modos vitaret; tum *serere*, *semina*, *segetem* iam saepe de vineis vidimus. — 348. Vid. Colum. l. l. et Theophr. Causs. Plant. III, 5 et 7, quem sine dubio poëta ante oculos habuit, item Geopon. V, 9, *lapidem bibulum*, pumicem aut sabulosum. *H.* *bibulum* hic non lapidis epithetum est, sed ex lapide beneficium, id est, per quem terra humorem possit ad radices vitis admittere. *Philarg.* — *squalentes conchas*, mucosa aliqua saliva inductas; nam squalere dicuntur ea, quae

Inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata. Iamque reperti
Qui saxo super atque ingentis pondere testae
Vrguerent; hoc effusos munimen ad imbris,
Hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.
Seminibus positis, superest deducere terram
Saepius ad capita et duros iactare bidentis,
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa

355. *Iactare bidentis.* Hoc ad comminuendas pertinet glebas: dicit autem circumfodiendum esse; et ab ipsa capita plantarum terram adducendam, et saepius ideo, quia et vento et imbribus a capite terra descendit.

madore, muco, sordibus, tum quocumque humore, aut colore obducta sunt; conf. ad Ge. IV, 91. *H.* — 349. 350. *inter* instar adverbii usurpatur hoc loco pro inter spiramenta et rimas lapidis vel conchae. Adverbialiter illud et 366 usurpatum est. *W.* *tenuis halitus* venti, inter pumicum ac testarum fragmenta, tanquam per spiramina, penetrare potest, atque ita radices fovere et recreare. Theophrast. l. l. ὅπως συῤῥοὴ γίγνηται τοῦ ὕδατος, καὶ τοῦ θέρους οὗτοι (οἱ λίθοι) καταψύχωσι τὰς ῥίζας. *animos*, vires, *tollent sata*, quam praeclare! pro vites laetissime efflorescent. — *Iamque reperti*, h. fuere etiam, qui insuper etc. *H.* Iunge *urgerent super* h. e. desuper. Compositum usurpavit Tacitus Ann. II, 23: *fluctu super — urgente.* W.

354—357. De iis, quae post sationem vitis agenda: ac primo quidem loco *de fossione.* Colum. IV, 3, 2: *Deinde, malleolo inter ordines posito, crebris fossionibus pastinatum resolvere atque in pulverem redigere. Sic enim malleoli et viviradices et reliqua semina, quae deposuerimus, convalescent, si mollis ac tenera humus, nullis herbis irrepentibus, humorem stirpibus praebuerit, nec duritia soli novellas adhuc plantas velut arcto vinculo compresserit.* Ex his poëta satis illustratus videtur. *Seminibus positis* pro surculis defixis. Fodiendo terra *deducitur ad capita*, adducitur, aggeritur ad radices, siquidem *terra coaequanda est gemmis exstantibus*, Colum. IV, 5, 2, 3. Praeferunt alii lectionem codicum nonnullorum *diducere.* — *iactare bidentes* fossionem notat adacto ligone. Colum. IV, 14, 1: *Insequitur deinde fossor, qui crebris bidentibus aequaliter et minutim soli terga convertat.* H. — *De repastinatione vineae novellae.* Cato apud Plin. XVII, 22: *Capita vitium putata circumfodito, arare incipito, ultro citroque sulcos perpetuos ducito*, etc. *Taub.* — *Bidens*, instrumentum bifurcum fodiendae terrae comparatum; aliter, *pastinum*, *ligo*: Gall. *un hoyau.* L. — 356. Colum. III, 13: *Aut scrobibus aut sulcis vineae plerumque conseruntur, — vel aratro vel bidente insistunt — ut more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. Id genus vineti non conducit agricolae, nisi ubi laetissimo solo vitis amplo incremento consurgit;*

Flectere luctantis inter vineta iuvencos:
Tum levis calamos, et rasae hastilia virgae,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornis,
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac, dum prima novis adolescit frondibus aetas,
Parcendum teneris; et, dum se laetus ad auras
Palmes agit, laxis per purum inmissus habenis,

357. *Flectere luctantes.* Cum quadam moderatione ducere; ne tenera adhuc virgulta concutiant.

358. *Leves calamos.* Nitidos: dicit autem et cannas et virgas radendas; ne ex corticibus rubigo, adversa vitibus, possit creari.

361. *Sequi tabulata. Tabulata* sunt rami effusiores et in plapa tendentes, non in altiora crescentes.

cf. Plin. XVII, 22, s. 35, 22. — 357. *Inter vineta*, h. ut aretur inter ordinea vitium, ut inversa aratro terra, glebae utrinque versus vites insurgant. — 358—361. De *pedatione vitium* et *iugatione*, cf. Colum. IV, 12. Placet lectio plurimorum et optimorum codicum *valentes.* —361. *tabulata* in vineis sunt ordines ramorum, in arboribus, ulmis in primis, prominentium, quos, recisis aliis, ita in plana tendunt, dilatant, ac per gradus deflectunt agricolae, ut robustiores palmites unum post alterum ramum attingere, iisque sese applicare et assurgere quasi per gradus possint. Locus est apud Colum. V, 6, 11, 12, 23, 24.

362—370. *Putationem* seu *pampinationem* in nova fronde plane nullam, in tenero palmite non ferro sed ungue tentandam in adultam vitem severe esse exercendam. Praecepti primam partem confirmat Theophr. de Causs. Plant. III, 9; Cato 33, 2; at refellit Columella quum V, 6, 22, tum IV, 11, 1. *nam illam veterem opinionem damnavit usus, non esse ferro tangendos anniculos malleolos, quod aciem reformident; quod frustra Virgilius .... timuerunt.* H. —Putatio et Pampinatio. Novellae viti nihil adimitur, verum infringenda sunt surculorum cacumina, quum iuga exsuperant, relictis duobus, vel quatuor: qui labor est perficiendus, dum teneri sunt palmites, ut levi tractu digitorum decutiantur: nam si vehementius induruerint, falce sunt deputandi: quod in viridi et adhue immatura stirpe noxium: haec est apud Romanos *pampinatio.* Sed postquam vitis altior validiore trunco praedita est, tunc palmites inutiles recidendi, eaque vocatur *putatio.* Male interpretes confundunt putationem, pampinationem, et frondationem; quae ultima tonsio est arborum; in primis ulmorum, populorum, fraxinorum, ad pabula pecori colligenda et subministranda. *V. G.* — 364. *laxis immissus habenis*, de celeribus et effusis incrementis, a Lucretio habet V, 785. *per purum*, per aërem. Lucret. *per*

Ipsa acie nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendae manibus frondes, interque legendae.
Inde, ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde:
Ante reformidant ferrum; tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentis.
Texendae saepes etiam, et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera inprudensque laborum:
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri adsidue capreaeque sequaces

374. *Silvestres uri.* Id est, boves agrestes, qui in Pirenaeo monte_na-

auras, et sup. vs. 287 *in vacuum*, et alias *per inane*. Aliter dixit Horat. de sereno caelo Carm. I, 34, 7. — 365. *Ipsa* sc. prima aetas, cui tribuitur tanquam actio id, quod in ea fit. *Virgulta* et vers. 346 repetit Servius. Expressit reliqua Quintil. Inst. II, 4, 10, 11. — *interlegere*; hoc videtur novasse poëta pro legere, quoniam per intervalla frondes aliae, aliis omissis, carpuntur. Mox *exierint*, in altum se sustulerint, excreverint; cf. sup. vs. 81. —369. *dura imperia*, h. severa, a disciplina militari petitum, sive ab equis regendis vel pueris, ex Burmanni sententia, qui laudat Horat. Carm. IV, 1, 6, 7; Cic. Cat. mai. 15: *vitem—quam serpentem multiplici lapsu et erratico* ferro amputans coërcet ars agricolarum, *ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur.* —370. *ramos fluentes*, diffluentes, luxuriantes. Diversae sunt *fluidae frondes* Lucretii II, 596, h. molles, a vento facile decussae.

371—419. Post opus illud sollemne quae vinitori curanda sunt. Primum avertenda sunt, quae novellae viti nocere possint: pecudes, frigus, aestus. Ducit ea res ad hirci immolationem, Baccho fieri solitam. Tum (vs. 397 sq.) repetenda est identidem omnis illa opera vinitoria fodiendi, pampinandi, putandi. — *tenendum* pecus, h. retinendum, quo ipso efficitur vulgata interpretatio *arcendum*, quo vocabulo Plinius in eodem praecepto utitur XVII, 22, a. 35, 47. — 372. *frons imprudens laborum*, h. frondes ignarae et impatientes iniuriae ex dente pecudis. *H.* *labores* significat omnia, quae vites patiuntur, translatione petita a vita humana; cf. 343, *hunc laborem*. W. 373—379. Magis quam frigoris vis et *solis potentia*, h. aestus, nocent vitibus novellis boves agrestes et capreae et ceterae pecudes. *H.* ὁ γὰρ ἥλιος ὅταν μάλιστα κρατῇ Arist. Met. II, 8. *T.* — *indignae hiemes.* Quisquis *indigna*, h. quibus dignus alter non est, quae immerito patitur, omninoque dura, saeva, iniusta, iniuriosa, facit, aut talia fert, eum poëtae *indignum* appellant: ut Ecl. X, 10: *indigno quum Gallus amore periret.* Ita *hiemes indignae* h. l. recte a Servio explicantur *saevae*. — 374. *Vros* proprie dictos in Italia nullos esse constat. At enim vel ex lib. III, vs. 532

Inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris

scuntur inter Gallias et Hispanias posito. Sunt autem, exceptis elephantis, maiores animalibus ceteris: dicti *Uri*, ἀπὸ τῶν ὄρων, id est, a montibus.— *Capreaeque sequaces*. Id est, persecutrices; seu quod vites persequantur, ut: *Maleaeque sequacibus undis*.

380. *Non aliam ob culpam*. Victimae numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem, immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus, Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quae obest frugibus, Cereri: et caper, qui obest vitibus, Libero; item capra Aesculapio, qui est deus salutis: quum capra nunquam sine febri sit.

manifestum est, *uros* poëtae improprie dictos esse pro feris bubus, quales Italia nunc nomine *Bufalo* frequentat. Est autem *bubalus* cornibus compressis, sursum resupinatis, fronte crispa. — *capreae sequaces* poëtica elegantia, quae vites insectantur, persequuntur, ut Servius reddit. Mos eadem fere vi *avidae iuvencae*. —376. *cui* (*frondi tenerae*) *Illudunt* multo significantius quam laedunt, nova tanquam petulantiae et iniuriae notione adiuncta, vid. Ge. I, 181: *Tum variae inludunt pestes*. — *pascuntur oves*, depascuntur eam, sc. frondem teneram. *H.* Ad *pascuntur* es *cui* repetendus est accusativus *quam*; ubi enim membrum aliquod per relativum *qui* priori ita adnexum est, ut suum cuique verbum sit, verbisque ipsis diversa constructio, casum relativi priori verbo accommodatum videas, in sequenti vero alium esse intelligendum. Vid. Obss. ad Tibull. IV, 2, 17. Ceterum *pascor* cum quarto casu Virgilio proprium paene diseris; cf. Ge. III, 314; IV, 81. *W.* — 376. Idem fere, quod modo dixerat, gravius ac disertius exponit. *Nec frigora concreta* (tributum *frigori* epitheton, quod rebus proprie convenit per frigoris tempestatem adstrictis et congelatis); *nocuere tantum pruina cana*, nocent tantum gelu. — 377. *gravis aestas*, molesta, exitiosa. — *scopuli arentes*, quibus incumbit *aestas*, h. sol assiduus cautes excandefaciens, suo loco commemorantur, ubi de vitibus agitur. Sic *aprica saxa* infr. 522. — *venenum* pro saliva noxia; sup. vs. 196, *urentes culta capellas*. H. — *Stirps* apud Virgilium, si de plantis agatur, masculini generis; si de hominibus, feminini. *V. G.*

380. *Caper*. Proprie castratus hircus; sed hic pro hirco ponitur, qui ἀνὴρ αἰγῶν Theocrito, ut et nostro Ecl. VII: *Vir gregis ipse caper*. Ge. III: *ducem et pecori dixere maritum*; inf. 395, proprie *stabit sacer hircus ad aras*. Taubm.

380—389. Episodium de hirco in honorem Bacchi immolando. Varro de R. R. I, 2, 18, 19: *Quaedam enim*

Caeditur, et veteres ineunt proscenia ludi,
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum

381. *Veteres ineunt proscaenia ludi.* Primi ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt: ideo ait *veteres ludi.*

pecudes culturae sunt nimicae ac veneno, ut istae, quas dixi, caprae; eae enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas — Sic factum, ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde ut capite darent poenas. Et notus est locus Ovid. Fast. I, 353 sqq.; et quoties non in gemmis caper vites aut arbores arrodens occurrit; recte haec; unde satis apparet primi versus sententia: ob hanc vitibus illatam noxam hircum in Bacchi sacris mactari; at vero eandem etiam ob causam ludi scenici facti? eandem ob causam ascoliasmus? hincue Liberalia, et reliqua? Haec nemini molesta fuere. Scilicet poëticus ornatus sententiae recte accipiendae et interpungendae obfuit, quae ita procedere debet: Ea de causa *caper* in Bacchi sacris *immolatur*, et quum semel Baccho sacer esset, in vetere tragoedia Atheniensium *caper* poëtis *praemium* erat propositum (*taurus* dabatur Epicis; Lyricis iuvenca; Bucolici vel *vini* vel *lactis* libatione erant contenti. *Taub.*) — *carmine qui tragico vilem certavit ob hircum*, Horat. Art. 220; cf. Tibull. II 1, 55 et ibi Not. —; nec non *hircinis* pellibus *utres* facti, in quos oleo inunctos adsilirent. Tum, quod poëtae licebat, ad ornatum captandum exspatians, quomodo ex Graecorum illis sacris Latina eiusdem dei sacra fluxerint, commemorat. Illustris locus est; singula videbimus. *H.* A mactatione capri Dionysia ap. Graecos originem accepisse, simulque ludos scenicos, qui festo illo *etiam tum* edebantur, canit Virgilius. *W.*

381. *veteres ludi ineunt proscenia*, pro olim, antiquis temporibus, ludi in scenam inducti, facti sunt. *H.* Ad orationem compara Iuv. III, 174: *redit ad pulpita notum exodium*, et Aesch. c. Ctes. p. 541: δάκρυα ἀφῆσειν ἐπὶ ταῖς τραγῳδίαις καὶ τοῖς ἡρωικοῖς πάθεσι τοῖς μετὰ ταῦτα ἐπεισιοῦσιν. *W.* — *proscenium* proprie ante scenam versus orchestram pulpitum habebat, quo auctores prodibant, h. l. omnino pro scena positum. —382. 383. *Thesidae*, Athenienses, *posuere praemia*, pro praemio hircum, *ingeniis*, h. poëtis, *circum pagos et compita*. Nota de prima rei scenicae origine fabula; vid. Horatii Art. 275 sq. quae ad Dionysia ruralia, τὰ κατ' ἀγρούς, per pagos, utique pertinet; e quorum genere quum ab initio essent τὰ ἐν Λίμναις, s. *Lenaea*, (diversa quidem et haec a *Dionysiis urbanis*, seu *maioribus*) auctis tamen urbis opibus, ea praecipuam celebritatem consequuta sunt, ut diversa plane ab ruralibus habenda sint, ut rum exquisitae doctrinae copia ad Hesychium ad liquidum perduxit Ruhnkenius. *H.* — *Ingeniis.* Hanc lectionem defendit Heynius, quum fere universi codices et edit. princeps ferant *ingentes pagos*: quibus libenter adhaereo; namque in illis veteribus ludis nullus fuit *ingenio* locus; aut saltem modicus: nam pastores et rustici, variis pigmentis ora deformati, saepe vino inflati usque ad faecem

Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;

384. *Mollibus in pratis unctos saluere per utres. Vnctos* vel oleo vel lixivia. *In pratis* autem ideo, ne laederentur cadentes. *Vtres* vero fiebant ad insultationem etiam mortuorum caprorum, ne quid ex his esset, quod non sentiret iniuriam. — *Saluere*. Secundum artem loquutus est. Nam *Salio salui* dicebant: unde et Cicero ait in Miloniana: *Quum hic de rheda reiecta penula desiluisset*. Sic etiam ab eo quod est *Cano*, non *cecini*, sed *canui* dicebant; unde Sallustius: *Cornua occanuerunt*.

387. *Oraque corticibus sumunt*. Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra et turpia fieri, quibus posset populo risus moveri: quia ea exercebant propter verecundiae remedium, hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas, factas de arborum corticibus, sumerent.

epotato, qua faciem suam perungebant; sales inconditos et extemporales de plaustris scurriliter tunc recitabant. Hi nondum tragicis carminibus, sed agilitate et solertia saltandi inter se contendebant, victorque referebat hircum. — Pagi dicuntur *ingentes*, vel quia *compitis* opponuntur; vel quia in posterum nobiles et opulenti; vel quia ex illis in urbem collectis Athenas condidit Theseus. *L.* — *Ingeniis* cum Heynio censeo legendum. *T.* — 384. Ἀσκωλιασμὸς in Dionysiis paganis, τοῖς κατ' ἀγροὺς, fieri solitus. *Vtrium* in hoc festo et lusu notissimo fuit usus, quia in eosdem et vina e lacubus transfundere, et uvas ad torcular deportare mos erat. *H.* — Statuebantur itaque utres hircini, in prato instar theatri efformato, inflati atque uncti oleo: saltabant per hos rustici unico tantum pede: nam alterum sublevatum habebant, libratumque in aëre: qui cadebant (quod signato verbo dicebatur *cernuare*) risu ab omnibus et cachinno ludibunde accipiebantur: ita omnia plausu et hilaritate in honorem Bacchi personabant. *L.*

385—389. Liberalia quidem Romae mense Martio celebrabantur. Et haec respexisse videri potest poëta, si vs. 390 adverteris. Sed festum Bacchi aliud vindemiam factam excepit: fiebant in eo, uti in festo post messem conditam (vid. Horat. Ep. II, 1, 140), per pagos multa ludicra: pubes rustica, personata et larvis e cortice factis ora habens obducta, non modo iaciebat iocos et dicteria, verum etiam versus incomtos, ex tempore effusos in praetereuntes; quam vindemiae licentiam adhuc in Italia vigere observant, qui ex oris illis ad nos veniunt; et haec est *Fescennina* licentia apud Horat. II, Epp. 1, 145; canebant porro hymnos in Bacchi honorem, et *oscilla*, αἰώρας (v. Valken. ad Theocr. p. 246), h. larvas e corticibus factas, quales etiamnum in monumentis occurrunt, ex arboribus suspendebant; ea h. l. *mollia*, h. mobilia, pendula. Originem et causam huius ritus in eo reperiunt, quod eos

Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu;
Conplentur vallesque cavae saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus,

Bacchi vultus appensos vento impelli quaquaversus et converti volebant agricolae, quoniam, quo ille deus faciem convertisset, summa agri ubertas sequi credebatur; cf. vs. 392. *H.* — 389. *Oscilla. Oscilla* dicta, sive quoniam capita et ora hostiarum in summis perticis figebantur, sive quia hunc lusum Osci dicuntur frequenter exercuisse, et per Italiam sparsisse. *Philarg.* — Ritus erat imagines *ex alta pinu* suspendere, certaque fertilitatis indicia moribus nostris repugnantia; haec (φαλλοί) ventis agitata, omnes vineae stirpes foecundare dicebantur. *V. G.* — *Oscilla.* Sunt haec suspendicula quaedam facta aut ex lignis, aut ex funibus, quibus iactabantur agitabanturque pendentes in aëre. *Cerda.* 390. Exoratus et placatus his sacris ac festis deus summam vindemiae ubertatem votis reddit. — *vinea pubescit,* satis obvia translatione, vites exuberant, *largo fetu*, laeto uvarum proventu. — *valles saltusque*, si vitibus consita loca, ut probabile videtur, hic intelligenda sunt, improprie dicuntur de vineis, in plano et in collibus satis. — 392. *Et quocumque deus*, pulcherrimus haud dubie versus. Nihil imagine hac vividius, nihil iucundius. Petitum autem ex antiqua religione, qua praesentia deorum certis locis ac temporibus fieri ferebatur, et, quando dii apparerent, omnia ridere, frondescere, progerminare, enthusiastica loquendi forma narrabantur. Perstitit eius formae usus maxime in Bacchi et Apollinis sacris. — *caput honestum* est pulcrum, formosum, quale Bacchi espressum adhuc in monumentis artis priscae conspicitur.

393—396. *Rite.* Haec vox primum hic occurrit, quam explicabimus ex doctrina Scal. in Coniect. ut hinc ad locos alios Virgilii petatur. Est *rite* idem quod caste, et Graece ἁγνῶς. Quod nobis *ritus*, veteribus dicebatur *castum*, *casti*: aut, *castus*, *castus* per quartam. *Ritus* itaque et *castum*, idem: ac perinde *rite*, et *caste*, idem quoque. *C.* — *Carminibus patriis.* Fuere haec carmina antiqua Romanorum in Bacchi honorem cani solita; a quibus diversa *Fescennina*, de quibus vid. Horat. Ep. II, 1, 145. *H.* *suum hon.* h. e. suas laudes, secundum naturam hymnorum veterum. *W.* — *lances* et quidem in iis *liba* (cf. sup. ad vs. 192) feruntur ad aras. — *cornu ducitur* victima ritu sacrorum. Sic et *stare* verbum sollemne. Victimae partes, quae non in ara adolebantur, sacris epulis apponebantur, hinc vers. 396 *colurna verua* ex corulo: quam arborem cum delectu poni aiunt interpretes, ex vs. 299: *neve inter vites corulum sere.*

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter, (annis
Cui nunquam exhausti satis est; namque omne quot-
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus; redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac iam olim, seras posuit quum vinea frondis,
Frigidus et silvis aquilo decussit honorem,

395. *Stabit sacer.* Placebit: tunc enim est aptum sacrificium, quum dedicatum animal victima uti patiens invenitur: unde et alibi sic ait: *Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum*: id est, placere faciam. Contra Lucanus: *Discussa fugit ab ara Taurus.*

403. *Seras frondis.* Sero cadentes. Tarde enim spoliantur vites frondibus. — *Olim.* Quandoque. Significat autem finale tempus autumni.

397—407. Restat alius in cura vitium (*est etiam alter ille* labor *curandarum vitium*), qui nunquam finitur, ut vineam iterum iterumque repastinas (fodias), pampines, ac putes. — *cui nunquam satis exhausti* (pro exhaustionis, *Serv.*), h. qui nunquam satis exhauritur. *H. ille labor — namque* Graeca haec membrorum connexio ὅδε πόνος — γάρ. Ita Thucyd. I, 3: δηλοῖ δέ μοι καὶ τόδε — πρὸ γὰρ κ. τ. λ. *W.* — 399. Colum. IV, 4, 1: *Numerus autem vertendi soli bidentibus, ut verum fatear, definiendus non est, quum, quanto crebrior sit, plus prodesse fossionem conveniat.* Idem IV, 14, 1, *crebros fossoris bidentes* requirit; cf. Geopon V, 25. — 400. *versis bidentibus*, ligonibus, qui vertuntur ad glebas frangendas.

401. *nemus* pro vinea, *levandum fronde*, quasi importuno onere, putandum. — *labor*, qui *actus* erat, *redit in orbem*, et *annus*, h. annua opera, annuus labor, *volvitur in se*, revolvit se, redit, *sua per vestigia*, eadem, ac superiore anno, ratione, modo, tenore ac progressu. *Sua se in vestigia volvere* de mundo Varius ante Virgilium, et post hunc alii poëtae dixere.

403—407. Auctumno exacto, statim in sequentem annum vinitori cura et opera extendenda est; *seras ponit quum vinea frondes*, quum vites frondes amittunt, quae ad seriorem auctumnum duraverant. *H. iam olim — quum* idem fere quod *iam tum — quum*; unde 405, *iam tum* in repetitione usurpatum. — Non magis apud Horat. Sat. II, 3, 60, *olim — quum*, et apud Virgil. Aen. V, 125, *olim — ubi* ad praeteritum futurumve tempus referri potest. Ceterum curae et operae vitibus assidue impendendae praeclaram imaginem versibus 403—419 exhibuit. *W.* — *silvae*, seu ipsae vineae seu arbusta vitibus iugata; — *honorem* de frondibus arborum frequenter poëtae. —*rusticus*

Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem adtondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito: bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbae;

409. *Et vallos primus sub tecta referto.* Vitium sustentacula, quae in nonnullis locis, in tecta portantur, ne imbribus depereant cito.

est vinitor, sed vides poëtam semper recedere a vulgaribus. Tibull. I, 1, 7: *Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus.* — *acer*, diligens, labori non parcens. — *dens Saturni* est falx amputatoria, notum dei insigne. *H. persequitur dente vitem.* Sic Ge. I, 155 *terram insectari rastris.* W. Iam v. 407 *putationem* vitium exprimi, satis patet. Colum. IV, 23, 1: *Placet ergo si mitis ac temperata permittit in ea regione, quam colimus, coeli clementia, facta vindemia, secundum Idus Octobris, auspicari putationem* et rel. — 404. Varronis hunc versum esse Servius testatur. *H.* — 406. *Et curvo Saturni dente.* Id est, falce vinitoria, cuius figuram depictam tradit Colum. IV, 25. Quo vero pacto Terra falcem Saturno filio suggesserit, docet Apollod. in principio lib. I Bibl. Sic Iuven. XIII, 39: *Sumeret agrestem posito diademate falcem Saturnus fugiens.* Inde Saturnus Gr. *γέρων δρεπανηφόρος*, et Latine *Falcifer*. L. — *relictam vitem*, et fructu et frondibus nudatam; quod igitur eius reliquum est, iam tum est putandum.

407. *Persequitur vitem attondens.* Est vites *ablaqueare*, ne hoc ignoret iuvenis, quasi *ablacunare*: circum enim radices terra effoditur, excavaturque in formam lacunulae, ac tum vinitor praecidit, attondetque ferro radiculas illas, quae natant pene in superficie: quod nisi faciat, inferiores deficient, neque convalescent. Quae dixi, colligas aperte ex Colum. IV, 8. De numine illo, quod veteribus dictum *Puta*, ut quod putationibus praeesset, lege Arnobium lib. IV. — *Fingitque putando.* Ita Aeneid. IX: *fingitque premendo.* Varius de moderante equum: *Insultare docet campis, fingitque morando.* Silius lib. VII: *Atque his praeformat dictis, fingitque movendo.* Plaut. Capt. *fingit, arctatque.* Cerda.

408—419. Addit nunc tempora operis vinitorii; cf. Colum. IV, 27. *H.* — 408. *Primus humum fodito.* Hoc est, ad laborem te primum esse convenit, ultimum ad fructus legendos. — *Primus.* Cato, cap. 5: *Opera omnia mature conficias face. Nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies.* Taubm. 409. *vallos* h. pedamenta, ne imbribus putrescant; vid. Varron. R. R. I, 8, 6. — 410—411. *metere* pro vindemiare, ut supra *segetem*, *arva*, *serere*, *semina* ad vineas transferri vidimus; cf. ad v. 267. Porro bis in anno, vere et auctumno, pampinationem et runcationem fieri debere, dicit poëta; sed rem ab antecedente

Durus uterque labor; laudato ingentia rura,
Exiguum colito: nec non etiam aspera rusci
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Caeditur, incultique exercet cura salicti.
Iam vinctae vites; iam falcem arbusta reponunt;
Iam canit extremos effetus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.
Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.
Contra non ulla est oleis cultura, neque illae

412. *Durus uterque labor.* Et vellendarum herbarum et frondium secandarum.

419. *Maturis metuendus Iuppiter uvis.* Aër, more suo; cuius varietas plerumque laborem decipit rusticorum; et tacite videtur admonere, quod in primo aperte dixit, sacrificiis tempestates esse pellendas.

designat; bis pampini excrescunt nimia copia, bis herbae exuberant, itaque eruendae et evellendae sunt. — *sentes*, poëtica copia adiecti. sunt hic omne id, quod ex istis herbis enascitur et solum implicat. — 412. Quum tam assiduam et perpetuam operam desideret cultura vitium, placeant aliis vineae magnae; tibi parva probetur, quae recte et tanto maiore cum fructu a te coli possit. Pallad. I tit. 6, 7: *Ita in arbitrio nostro est, utrum plus habeamus, an melius — fecundior est culta exiguitas, quam magnitudo neglecta.* Sed luculentus huius rei et loci commentarius est apud Colum. I, 3, 8 sqq.; IV, 3, 4 sq. cf. Plin. XVIII, 6, s. 7, 3: utrique hic versus laudatur. Vidit hoc sagacissimus quisque e nostris hominibus, latifundia perdidisse olim Italiam, et nunc perdere plerasque Europae provincias ac terras. Forma orationis ex Hesiodeo petita Ἐργ. 643. Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι. Sic h. l. *laudato*, valere iube, aliis relinque, habeant illi sibi, ut *colito* pro praefer, potiori loco habe. — 413. *ruscus* virgulti genus, *oxymyrsine*, ruscus aculeatus; cf. Ecl. VII, 42. — 415. *salices* curandae sunt, h. virgae ex iis parandae; *incultae*, quae ipsae per se nulla cura indigent et sponte proveniunt. — 416. *arbusta* seu vites seu arbores vitibus iugatae iam satis putatae sunt; — *reponunt falcem*, quum per eas reponere falcem liceat, falcem non amplius requirunt. — 417—419. Pulcherrime perfectam et absolutam vinitoris operam putandi ac runcandi designat. Pervenit ad extremos *antes*, ordines vitium; *canit* eos, gaudet se eo pervenisse; *effetus*, viribus exhaustus; iterum tamen ac denuo vinea fodienda seu pastinanda; quae ipsa fossio *pulveratio* dicitur, ὑποκόνισις Graecis. Et praeter haec omnia novus labor ex tempestate iniqua et aëris iniuriis oriri potest, ut adversus grandinem, pluvias, rubiginem, reliqua aëris vitia vitis munienda ac defendenda sit. Ita v. 419 accipiendus esse videtur; conf. Colum. IV, 3, 4.

420—421. Olearum contra nulla est cultura, h. oleae nulla fere cul-

Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces,
Quum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt:
Ipsa satis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostrae.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit,

421.* *Procurvam expectant falcem.* Vt putentur; quod tamen ad curam refertur anniversariam: nam necesse est, licet tarde, olivam putari. — *Rastrosque tenaces.* Ad fodiendum scilicet. Quam quum trahitur rastrum per agros, omnem spurcitiam secum colligere videtur. Negligentiam autem ferunt oleae, quum iam coeperunt esse valentiores: nam adhuc parvae, nimiam curam requirunt.

422. *Aurasque tulerunt.* *Ferre auras*, proprie est, assuescere aëris varietati, quae obest rebus teneris nimium.

lura indigent. *Levi cultu sustinetur olea* Colum. V, 8, 1, ubi de earum cultu agere incipit. Porro *neque illae exspectant falcem et rastros*, h. nec putatione nec pastinatione opus est, scilicet non tam assidua ac perpetua. Interpungebam in superiore editione post *tenaces*, ut nova sententia esset: *Quum semel.* — 422. *Quum semel terrae haeserunt.* Supra 317 vites *semine iacto Concretam — radicem affigere terrae.* Et ad illa *aurasque tulerunt* cf. v. 332 sq. — 423—424. Iudicio ac delectui Virgiliano consentaneum est, *satis* ita accipere, ut oleas *sata* appellaverit, quemadmodum supra vineas; cf. ad v. 267. Sic mox v. 436 *saepemque satis*, *dens uncus* ligonis, bidentis. Sententia est haec: dummodo bidente subigatur humus, iam ipsam tellurem humorem oleis suppeditare; si vero solum et aretur, glebaeque magis frangantur, tellurem dare *gravidas fruges* h. e. uberem olivarum proventum. Colum. V, 9, 15: *Nam veteris proverbii meminisse convenit: eum, qui aret olivetum, rogare fructum; qui stercoret, exorare; qui caedat* (putet), *cogere*; et §. 12: *Sed id* (olivetum) *minime bis anno arari debet, et bidentibus alte circumfodiri.* — 423. *Hoc*, ex Homerico τῷ, propter hoc, propterea, ut Lucret. IV, 1086 et al. — *nutritor* pro vulgari *nutri.*

426. Commendat poëta ceterarum quoque arborum cultum. *Poma* videntur omnino pomiferae esse arbores. *H.* cf. Not. ad 34. *W.* — *truncos sensere valentes*, ubi semel adoleverint et robur habebunt. — *vires suas*, nos, succos necessarios; cf. v. 79—82. — *vi propria*, natura sua.

429. Pergit in argumentatione usque ad v. 454. Si oleae et omne pomorum genus non eandem ac vineae operam desiderant; multo minus reliqua arborum genera laboris exiguut

Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis;
Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt:
Et dubitant homines serere atque inpendere curam?
Quid maiora sequar? salices humilesque genestae,
Aut illae pecori frondem aut pastoribus umbras
Sufficiunt, saepemque satis, et pabula melli.
Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum,

et magnos tamen fructus ferunt. — 429—430. Silvestres *arbores* fructus et utilitates plurimas nobis ferunt, nec tamen ullam aliam curam exigunt, quam ut seramus. — *interea*, dum vitibus tam gravis labor impenditur, oleaeque et pomi minore cultu proveniunt, —*omne nemus*, omne arborum genus, *gravescit fetu*, βρίθει, ut *gravida frugibus arbos*, et Ecl. III, 56, *nunc omnis parturit arbos*. —*aviaria* sunt secreta nemorum, quae aves frequentant, ut Servius. A domibus poëta ad silvas traduxit. Supra v. 328 *avia virgulta*. — 431. *Cytisus Marantae* videtur a poëtis intelligi. Mox in pedestri oratione structura fuisset: *taedas silva ministrat*, *quibus*, *seu unde*, *ignes pascuntur*. *Taeda* arbor, *succo parciore liquidiorque*, *quam in picea*, *flammis ac lumini*, *sacrorum etiam*, *grata*: Plin. XVI, 10, s. 19. *H.* — *Taedas*. Eustathius ad Odyss. XVIII, 306; Plin. XVII, 37, omnes arbores pice praeditas astronomia pinguedine in taedam degenerare: creditur taeda fuisse Italorum *Cembro*; Linnaei Pinus Cembra. *V. G.* — 433. Suavis orationis color: Quae quum ita sint, nonne debent homines serere eas arbores, et, quidquid operae est, iis impendere? Sic Aen. VI, 807: *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

434. Praeeunte Servio, exponenda haec: quid insistam, sive nolo copiosus esse, narrandis commodis maiorum arborum (de picea modo egerat), quum etiam humiliora arbusta, ut salices et genestae, efferant utilitates suas? praebent enim pabulum, umbracula, saepem, mel. *genestae* v. sup. v. 12. — 435. *illae* ex sermonis venustate abundat. — 436. *sata* sunt arboreta, vineae, oliveta; cf. modo ad v. 423. *pabula apibus*, variata oratione et exquisitiore, *p. melli* dixit. *H.* — Veteres existimabant, apes e flavo genestarum flore materiam mellis et cerae colligere; e flore vero salicis propolim; Ge. IV, 37; Ecl. I, 53. *V. G.* — 437. Primum notanda formula docte variata pro vulgari: Porro etiam buxus grata arbor est et picea. — *Cytorus*, Paphlagoniae mons in tractu maritimo, buxo nobilis. Adiacebat urbs eiusdem nominis; cf. Catull. 4, 13. Pro buxo undante in Cytoro, more suo, dixit doctius *Cytorum undantem buxo*, fluctuantem; qua imagine segetum, fruticum, et arbustorum laeta facies frequentissime a poëtis exhibetur. *H.* Ad constructionem conf. Val. Flac. I, 539, *regio undat equis floretque viris*, quod ad copiam recte retulit Forcellini; et inf. III, 28. *W.* *Buxi* autem quanta in aliis terris altitudo sit, ea eo discas, quod Bion Idyll. II 3 parvum Amo-

Naryciaeque picis lucos; iuvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.
Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae,
Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,
Dant alios aliae fetus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.

440. *Ipsae Caucasio*. Caucasus mons est Scythiae, positus hic pro quibuslibet asperrimis montibus: steriles autem ait silvas, comparatione pomiferarum arborum.

rem per eius ramos huc illuc insilientem facit. — 438. Pix e plurium arborum resina fit, maxime ex pinu ac picea. Plin. XIV, 20, s. 25: *Naryx* vel *Narycum*, et *Narycium*, Locrorum Epicnemidiorum urbs, Aiacis patria. Iam ab his Locris colonia in Italiam deducta Locros condidit; cf. Aen. III, 399. Ad utram regionem *pix Narycia*, cuius et Columella X, 386 et Plin. XIV, 20, s. 25 meminerunt, referenda esset, dubitari posset, nisi *picis Bruttiae* satis frequens inter antiquos mentio fieret; vid. Heins. ad Ovid. Remed. 264. Petebatur ea in primis e monte et silva *Sila*, de qua cf. Aen. XII, 715; v. Strab. VI, pag. 400 B.

438—439. *arva* silvis consita, s. silvas, quae nullo humano cultu indigent. — *non obnoxia*, nihil labori nostro debentia, ut Servius, non egentia cura nostra. — 440. Caucasum puta poëtice pro quocumque monte silvoso nominari; *steriles silvae* — *dant fetus* intellige arbores sine fructu eduli. *H.* Oppositae tum sunt *arbores frugiferae* h. e. edulia praebentes; cf. Germ. Tacit. cap. 5. *W.* — *fetus* vero sunt usus; ut statim *utile lignum* subiicitur. Similiter *viminibus salices fecundae* dictae. — *franguntque feruntque*, in animo habuit *agere ac ferre*, h. vexare. — 443. Iuniperi certo generi, Oxycedro, nomen *Cedri* fere veteres tribuerunt; v. inf. ad Aen. VII, 13. *H.* — 443. *Navigiis pinos*. Cur pinus utilis navigiis? Theophr. quum dixerit Hist. V, 8, ἐλάτη μὲν οὖν, καὶ πεύκη ναυπηγήσιμα, *abies et pinus aptissimae navibus*, addit rationem de pino, διὰ τὸ ἄσαπές, *quia non putrescat*. Plinius XVI, 42, dicit, esse hanc arborem firmissimam adversus cariem, et tineas. Vitruvius II, 9, illi dat *aeternam diuturnitatem*. — *Domibus cedrumque cupressosque*. Cur istae bonae aedificiis? quia, auctore Theophrasto Hist. V, 9, ἄσαπῆ δὲ φύσει κυπάριττος κέδρος: *incorruptae sunt cupressus et cedrus*. Vitruv. II, 9: *Cupressus, abies, et cetera, quae aedificiis sunt idoneae*. Et de cupresso, et pinu ita ibidem: *in vetustatem sine vitiis conservantur*; et postea: *ideoque, quae ex his generibus opera constituantur, permanent ad aeternam diuturnitatem*. Adhibetque rationem, cur istae arbores pene aeternae: quia inest in earum corporibus amarus quidam sapor, qui arcet cariem, et eas bestiolas, quibus ea gignitur. Paria statim de cedro; et VII, 3, ait, asseres camerarum debere esse cupressinos ob vetusta-

Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolae, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi:
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus; Ituraeos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliae leves aut torno rasile buxum
Non formam adcipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado: nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
Quid memorandum aeque Baccheïa dona tulerunt?

tem. *Cerda.* — 444—445. De arboribus rustici conficiunt rotarum radios et plaustrorum *tympana*, h. rotas ex solidis tabulis compactas, et navium *carinas.* — *hinc*, ex illis arboribus, ex illis fetibus, v. 442. Add. III, 308. — *trivere*, h. terere solent, atterendo, tornando conficere; *terere* pro tornare dicitur. — *posuere*, faciunt, ex τιθέναι pro ποιήσασθαι, ut sexcenties apud Homerum. —446. *frondibus ulmi.* Vlmus *frondem iucundiorem bubus praebet*, etc. v. Colum. V, 6, 3. *H.*—A solstitio ad Novembrem, ulmorum frondes pecori erant pro pabulo, et hieme siccae servabantur, quibus agricolae foeno parcerent; Col. V, 6; VI, 3; VII, 3; de arb. 16. Frondatio optime fit mensibus Iunio et Iulio, et post vindemiam, idque horis matutinis ac vespertinis, decrescente luna: folia vero decidua nullius erant existimationis. Haec in Germania superiore et in Britannia quoque nunc etiam usurpantur. *V. G.* — 447. *myrtus.* cf. Aen. III, 23; VII, 817. — *bona bello cornus*, h. armis; scil. sagittis, iaculis, hastis; *tota* enim *ossea* est, Plinii verbo XVI, 38, s. 73. — 448. *Ituraea*, ultra Iordanem, vel inde, quod ea Philippi tetrarchia apud Lucam et Iosephum fuisse memoratur, nota. Incolebant eam Arabes latrociniis infames, et sagittandi arte clari; cf. Lucan. VII, 230, 514; Cicer. Philipp. II, 8 et 44; v. Cellar. Geogr. ant. T. II, pag. 529: hinc praestantissimos arcus poëta ab iis designat. — 449. *Nec non t.* etiam tilia et buxus tornari et scalpi possunt. — *buxum* doctius poëta dixit, ea forma, ut *malus, malum.* — 451. Alnus navigiis utilis est. Padi ripae *alnis* consitae; itaque usus earum in faciendis navigiis promptus ac proclivis. Ge. I, 136: *Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas.* — *torrens* proprie ad Padi naturam. — *Missa Pado*, immissa in amnem de navalibus. Expressus versus a Claudiano XXXV, 178, *missamque Pado qui remigat alnum.* 453. *Corticibus cavis*, loquitur de alvearibus corticeis. Varr. R. R. III, 16, *optimae alvi sunt corticeae*, et inf. IV, 33, *ilic. alv.* Varro l. c. *alii faciunt alvos ex arbore cavata.* — 454—455 Sationem silvarum suadere poëtam, memineris ex sup. 433 Tot tantisque utilitatibus multum cedunt fructus

Bacchus et ad culpam caussas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
  O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus!

458. *O Fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.* Nun est abruptus transitus ad laudem vitae rusticae; nam ad superiora pertinet; post vituperationem quippe vini, ista quasi consolatio est; per quam ostenditur quantas voluptates rusticis natura praestiterit. Quod autem *Fortunatos nimium* ait, non ad fortunam, sed ad fortunae pertinet quantitatem.

460. *Iustissima tellus.* Proprie: nam si iustus est, qui, quod acceperit,

vinearum, quae tamen tam assiduam operam exigunt; quin earum cultura multa adeo mala affert. Hoc, ut poëtam decebat, a generali ac nuda enuntiatione ad facti exemplum deducit. *ad culpam,* h. ad furores, ad facinora et crimina committenda incendit homines. — 456. V. Ovid. Met. XII, 210 sqq. Apollod. II, 5, 4, et Not. Habuit noster ante oculos Odyss. φ, 295 sqq. Apud Ovid. l. l. *Rhoetus* et *Pholus* non occisi, sed fugati memorantur; id quod nemo mirabitur, qui, quanta in his fabulis poëtarum variatio sit, et impune esse possit, meminerit. Quid enim? ab aliis *Hylaeus* et *Rhoetus* ab Atalanta in Arcadia occisi memorantur; v. Apollod. III, 9, 2, Schol. Callimachi in Dian. 221 et ibi Spanhem. Itaque iungitur *domuit leto.* H. — 457. *Cratere minantem.* Bonum σχῆμα. Ita enim pinguntur *Centauri* in ista pugna: sed utra? nam unam cum *Lapithis*, id est, Thessalis, in nuptiis Pirithoi, graphice descripsit Ovid. XII Met. 240: ibi, *ardescunt germana caede bimembres, Certatimque omnes uno ore, arma, arma, loquuntur, etc.* Alterius cum Hercule meminit noster Aeneid. VIII, et Diod. Siculus lib. IV. Illam tangit et Hor. Od. I, 18: *At, ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata.* Vide et l. Philargyr. *Taubm.* — *Crater*, quo minatur Hylaeus, vas est aheneum, magnum: tali telo utitur apud Ovid. Theseus, Met. XII, 235: *antiquus crater, quem vastum, etc.* V. G.

458. Sequuntur laudes vitae rusticae, locus nobilissimus, cuius pulcritudinem qui non sentiat, is nec dignus sit, cui enarretur. Qui dulcedine harum voluptatum captus diutius sensibus suis indulgere vult, is conferat Culicem v. 57—96; Horat. Epod. 2; Carm. III, 1, 21—24; Serm. II, 6, 59 sqq. et IV, 5; Claudian. LII, *Felix qui patriis* etc.; Tibull. I, 1; I, 5, 19—35; I, 10; II, 1; II, 3; Statium Silv. II, 2. — 458. *O fortunatos nimium*, pro valde. — 459. 460. *ipsa tellus*, αὐτὴ, αὐτόματος, lubens volensque, *facilem victum*, qui facile paratur, ut infra v. 500, *fructus, quos ipsa volentia rura Sponte tulere sua*, non sunt tantum silvestres, sed amplificatione poëtica dicuntur etiam ii fructus, qui facili opera parantur. — *fundit*, sufficit, suppeditat, at cum copiae notione adiuncta;

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam;

reddit; terra utique iustissima est, quae maiore foenore semina accepta restituit.

461. *Si non ingentem foribus domus alta superbis.* Vt etiam in laudem fecit Italiae, non solum vitam laudat rusticam, sed etiam contrariam, id est urbanam, vituperat. Nam ista quae de urbibus dicit, opinabilia sunt bona, non vera, sicut rustica.

cf. Ecl. IV, 20. Translatum inde ad partum, facilem in primis ac felicem. *iustissima,* quia *creditum reddere* terra, *acceptum referre* dicitur, eique *fides*, *fenus*, *aequitas* tribuitur. γῆ δίον δικαιότατον adeo Xenophon dixit Cyrop. VIII, 3, 38. At *tellus* fundit *humo.* Scilicet habet hoc poëticus Romanorum sermo praecipui, dum copiam sectatur, ut synonymis ita utatur, ut alterius latior, alterius angustior ipso positu significatus sit. *humo*, h. ex solo, culta sua superficie; sic *rivos praetereuntis aquae* Tibull. I, 1, 28, ubi v. Obss. adde sup. Ecl. V, 47; Livium V, 44, 6. Sic supra v. 411, *segetem obducunt sentibus herbae;* et mox 461, *totis vomit aedibus domus.* Sed et *humus* ex sermonis proprietate nunquam pro toto terrarum orbe ponitur, sed sive ad frugum culturam sive ad humationem corporum fere referri solet. *H. telluri* tribuitur *humus* h. e. solum. Similis compositio *solum terrae* apud Lucret. V, 1188. *W.*

461—462. Si fastus et luxus potentium abest; primo loco clientium turba memoratur. Certavit cum Lucretio II, 24—36, pulcherrimo loco; quo exprimendo iam vires expertus erat in Culice 61 sqq. *Vomere* sermonis Latini indoles de aditu, qui magnam hominum copiam admittit, facile fert, quum et *vomitoria*, ut in theatro, dicantur. — *totis aedibus vomit*, ad maiorem etiam multitudinis significationem, quae totam domum, atrium, repleverat. Eodem *unda salutantium* facit; sic et *effusa* multitudo dicitur *vomit foribus*, per fores. Ceterum haec eadem expressit brevius Horat. *Forumque vitat et superba civium Potentiorum limina.* H. — 462. *Mane salutantum totis vomit aedibus undam.* Salutatores innuit, quos communes amicos Roma vocavit, qui sportae causa divitum obeuntes limina, matutinum passim *Ave* portabant. Vnde et Martial. Epigr. l. I: *Et matutinum portat ineptus ave.* — Inter quos multi pedum celeritate freti, et avaritia impulsi quam plurimas adibant domos, ut inde maximum reportarent lucrum. *V. G.* — *Vndam.* Populi, stantis ad officium, multitudinem interpretatur Scholiast. in Iuvenal. III, 244: *Nobis properantibus obstat unda prior.* Quod horae duae primae salutationibus impendebantur, ex Martiale discimus IV, 8; immo dubia luce, necdum vestiti defungi cogebantur hoc officio, ut scite Iuv. V, 20, et sqq. *Emm.* — 463. 464. Si non superba palatia incolunt; ad verbum: *Si non* habent; at quam splendidius pro eo *inhiant*, habere cupiunt, si non habere curant, *postes varios pulcra testudine*, h. fores opere variegato, testudineo; cf. expressos hinc versus Lucani X, 120—

Nec varios inhiant pulcra testudine postes,
Inlusasque auro vestis, Ephyreïaque aera;
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi conrumpitur usus olivi:
At secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe;
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum;

471. *Illic saltus.* Venationes, quae penitus in urbibus non sunt. — *Lustra ferarum.* Bene *ferarum* addidit, quoniam sunt in urbibus lustra meretricum.

421. — *vestes* stragulas, *auro illusas*, h. pictas (*ludere*, *lusus*, *ludibrium*, ὕβρις, sunt artificii naturam imitantis vocabula) *Ephyreiaque aera*, vasa Corinthia. — 465. 466. Si porro nec purpurae nec unguentorum usum habent. — *fucum* de adoptato colore quocumque dici notum, ut et *venenum* de quovis succo, in primis amariore aut acriore. — *Assyrium* h. l. pro Syrio et Phoenicio. Sic Ἀσσύριον ξεῖνον accipiendum puto de mercatore Phoenicio apud Theocr. II, 162. De *casia* v. sup. ad Ecl. II, 49; Ge. II, 212. At h. l. est frutex ille, de quo Plin. XII, 43 agit, cuius ligna oderata miscebant unguentis. — *usus olivi* doctius quam oleum, quo utuntur; inf. lib. III, 135, *obtusior usus*. Horat. Od. III, 1, 42. — *purpurarum usus*. — *corrumpi* h. l. pro misceri, sed adiuncta notione mutationis in deterius, a luxus pravitate profectae. *H.* — *corrumpitur casia*, foedatur crassissimo unguento casiae, ac perinde amittitur utilitas olei. *C.*

467. *At secura quies*, quam quis agit secure. Lucan. V, 526: *Securus belli; praedam civilibus armis Scit non esse casas.* Tum *nescia fallere vita* nil aliud esse potest quam *vita tuta*, constans, nullis casibus nec metui obnoxia; nam antecedit *secura quies*. Eadem vita, quae non fallit, vita non fallax, h. e. certa ac tota, ἀσφαλής. Et hanc explicationem Servius altero loco posuit: *aut quoniam immobilis est status vitae eorum; urbanorum enim vita aut insidiis aut proscriptione variatur.* H. *nescius fallere* compositum, ut *nescius cedere* Horat. Od. I, 6, 6. Si in prioribus *secura* ad homines pertinet, qui *quiete* fruuntur, consentaneum est, epitheton quoque *nescia fallere* ad homines vitam agentes referri, intelligique vitam liberam a dolis et fallaciis, h. e. cupiditatibus. Exhibuit igitur Maro vitam *metu* vacuam et *cupiditatibus*; et ea demum est vita beata. *W.* — *Latis otia fundis*: oppositio cum hortis quos cingunt muri (Seneca Ep. 90). *V. G.* — *latis otia fundis*, versantur in otio inter speluncas agrorum mille amoenitatibus refertas. *C.* — 469. *frigida Tempe*, umbrosae valles. — 470. *molles somni*, lenes, tranquilli et dulces. Ecl. VII, 45. — 471. *saltus* proprie de pascuis. — *lustra ferarum* pro venatione

Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus;
Sacra deum, sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Adcipiant, coelique vias et sidera monstrent;
Defectus solis varios, lunaeque labores;

memorat. — 472. *operum*, int. opus rusticum; laboriosa iuventus. — *exiguo assueta*, ut *parvo* Tibull. I, 1, 25, *contentus vivere parvo*. — 473. illic *sacra deum*; pro vulgari, in agris est religio sacrorum et sanctitas parentum, et liberorum pietas. Ergo ait, ibi demum esse *sacra*, vere sacra, sacra ibi caste coli, illic pietatem et metum deorum esse. — *sancti patres*, venerabiles, qui sancte ac pie coluntur; h. e. illic demum sanctitas senum exsistit. — 474. *extrema per illos vestigia fecit*, quum scilicet iam ante aulas et palatia beatorum reliquisset; v. Arat. Phaen. 100 sqq. Supersunt inter agrestes vestigia priscae iustitiae et innocentiae.

475—489. Ante omnia studiis philosophiae ac naturae consecratam vitam agere se velle ait; quod si non licuerit, at certe rusticam. Vtraque enim vita beata et exoptabilis; 490 sq. alterius tamen deliciis ac bonis describendis immoratur. Expressit haec auctor Dialogi de Orator. c. 13, digno, qui comparetur, loco.

475. 476. *primum, ante omnia*; ut *primus, ante omnes* Aen. II, 40; V, 491, 492: sic quoque in neutro, *primum, ante omnia*, et iungendum: primum ante omnia *accipiant* me Musae. At Musae *dulces ante omnia* Virgiliano aevo vix dictum. *dulces Musae*, μειλίχιαι Arato Phaen. 16, 17, quem locum in animo habuit. *Musae accipiunt* eum, qui se iis tradit, consecrat. — *Sacra ferre* proprie est sacrificantis, v. c. Aen. III, 19, tum omnino sacerdotis. Iam autem poëtae Musarum sacerdotes frequenter appellantur. Notum Horat. Carm. III, 1, 3, et Propert. III, 1, 2: *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Graios orgia ferre choros.* Porro *magno percussus amore*, πληγείς, expressum ex Lucret. 1, 922, 923. Videtur autem respicere orgia deorum, cum furore et enthusiasmo celebrari solita; ex eoque genere in primis Bacchi. — 477. *coelique vias et sidera*, quod in vulgari oratione: siderum cursum in coelo. Iam de Orpheo in Argonaut. 205: *ὅς ῥα πορείας Οὐρανίας ἄστρων ἐδάη κύκλους τε πλάνητας.* Quod vero poëta physicas quaestiones commemoravit, ut studium praecipuum, fecit propterea, quia antiquiores vates, ut Orpheus, Musaeus, has res studio magno tractasse ferebantur, et quia Empedoclis carmina *περὶ φύσεως* ingenti laude ferebantur; habent denique haec physices capita hoc proprium, quod ornatum poëticum maxime admittunt. Expresserunt h. l. multi poëtae, ab Intpp. laudati, in primis Manil. I, 99, sqq.; Propert. III, 5, 25 sqq. — 478. *lunae labores*, defectus. Lucretius V, 750 dixerat: *Solis item quoque defectus Lunaeque latebras* (vel hoc uno versu Virgiliani carminis quanta sua-

Vnde tremor terris; qua vi maria alta tumescant,
Obiicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant;
Quid tantum oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturae adcedere partes,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis;

481. *Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.* Secundum physicos, qui dicunt stultos homines esse frigidioris sanguinis: prudentes, calidioris: unde et senes, in quibus iam friget, et pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt.

vitas sit, intelliges) *Pluribus e causis* (hi sunt *defectus varii*) *fieri tibi posse putandum est.* — 479. *qua vi maria alta tumescant*, h. causas accessus ac recessus maris aestuantis; argumentum sane philosophicae contemplationis solemne. *H.* — 479. *Vnde tremor terris.* Variae sunt opiniones: alii dicunt, ventum esse in concavis terrae, qui motus etiam terram movet. Alii aquam dicunt genitalem sub terris moveri, et simul eas concutere, sicut vas aquae: ut dicit Lucretius. — *Qua vi maria alta tumescant Obiicibus ruptis.* Aestuaria Oceani accipimus; qui per Gallias et Hispanias in infinitum erumpit contempta lege riparum, ad quas rursus recurrit. — *Obiices*; rupes, aggeres Oceano natura constituti; vel artificiales, ut moles et caementa, quibus efficiebant portus, et *Lucrino claustra* addebant. De fluctuum altitudine multa portentosaque somniabant veteres: fluctus enim erant qui ad LXXX pedes apud Britanniam tumescentes, breves dies hieme, brevesque noctes aestate efficiebant. Opiniones de Sole iuxta Gades occidente crepitumque ut ferri incandescentis et in aquam immissi edente, visae sunt ipsi Posidonio dignae quae investigarentur. *V. G.* —

481. Causas varietatis in dierum noctiumque mensura intellige. Etiam hoc Lucretius exposuerat V, 679 sqq. *Quid tantum properent soles hiberni*, sol hieme, hiemali tempore, *tinguere se oceano*, occidere etc.

483—489. Si philosophus esse nequit, agricola saltem esse vult. — 484. Stuporem animi a *frigore sanguinis* ducere recte potest poëta, qui tantum probabilia sequitur; praesertim quum e philosophis nonnulli ita sensisse videantur: *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem*, Cic. Tusc. Qu. I, cap. 9, ubi v. Davis. Quod vero *sanguinem circa praecordia* memorat, ex antiqua Italorum philosophia petitum videri potest, in qua *praecordia*, φρένας, πραπίδας, sedem non modo motuum animi sed et mentis faciebant; vid. Ciceron. ibid. Sed hoc ipsum Empedocleum est, cuius versus laudatur in Etymologico Magno in αἷμα et alibi: Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα. Notabilis locus Schol. Cruqu. ad Horat. Art. 465. Empedocles — *qui dicebat, tarda ingenia frigido circa praecordia sanguine impediri.* At quomodo ad haec somnia homines delabi potuere? Scilicet, quod primis rerum aetatibus nullus erat sapiens,

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta, o, qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas,

qui non esset poëta, nullus poëta, qui non maiore animi motu atque aestu raperetur, aut, ut loquebantur, divinn spiritu (ἐνθουσιῶν) ageretur. *Calor* itaque *sanguinis* cum animi vi, ingenii subtilitate, poëtica facultate naturae aliquam coniunctionem habere videri poterat. Imitatus est versum Lucan. II, 557: *Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis Incaluit.* — 485. *amnes rigui* h. l. qui rigant. *H.* Hinc *riguum* pro aqua irrigante apud Plin. 17, 26, dici, Forcellini notavit. Similiter *irriguus* usurpatur Georg. IV, 32, *irriguum fontem*; cf. Broukh. ad Tibull. II, 1, 44. *W.* — *amem*, colam; v. loca apud Burm. — 486-489. O quam velim ruri vitam agere! Tanquam poëta nobiliora rura memorat, in Thessaliae, Laconicae, ac Thraciae campis; cf. Culicem v. 93, in quo quasi semina vel rudimenta huius pulcherrimi loci videas. *O ubi* non est, ut situm locorum quaerat, sed ibi degere cupit. Habet locus maiorem δεινότητα, si ita iungis: *O utinam sit, qui me sistat ibi, ubi* campi etc. *campi Spercheosque* poëtica structura enthusiasmo et ipsa consentanea dixit, pro campis ad Sperchium, h. campis Thessaliae, in cuius confiniis subter Oetam montem fluvius ille in sinum Maliacum exit. *Taygeta* sc. iuga, ὄρη, ut τὸ Ταΰγετον, montes ex Arcadia per totam Laconicam procurrentes; subiacent Sparta et Eurotas amnis. — *bacchata*, passive, quae bacchando frequentantur, in quibus virgines Lacaenae bacchari, orgia Bacchi celebrare, solent. Sic *bacchata Naxos* Aen. III, 125. Erat autem sub Taygeto Bacchi templum, quod adhuc Pausaniae aetate visebatur; ad id solis mulieribus aditus patebat, et mulieres solae sacra in operto faciebant; v. Pausan. III, 20. Ita explicatus locus placere potest. — *Haemus* autem in primis silvis abundat; hinc vs. 488, 489.

490—493. Beata est, inquit, vita philosophi, nec minus beata vita rustici. Columella in praef.: *Res rustica — quae sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est.* Cicero in Cat. mai. 15: *Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quae nec ulla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere.* Philosophiae autem Lucretianae capita hic proferri, ex primis statim Lucretii paginis manifestum fit; vid. Lucret. I, 49 sqq. ad 150, qui versus optimi huius loci commentarii sunt. Fortasse et Graecus poëta utrique ante oculos erat. Laudatur ex Empedocle: Ὄλβιος, ὃς θείων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον ap. Clement. Alex. Stromat. V, extr. Veris autem de natura rerum, deorum et animae rationibus ab Epicuro propositis, metus, terrores ac cupiditates hominibus detractas, et ad veram felicitatem viam patefactam esse, saepe a Lucretio praedicatur.

Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut coniurato descendens Dacus ab Histro;

494. *Nymphasque sorores.* Non Panis vel Sylvani, sed inter se sorores, ut *Aetnaeos fratres*, inter se scilicet.

495. *Populi fasces.* Honores qui a populo praestantur: proprie autem loquutus est, ut fasces populi, regum purpuram diceret.

Conf. Cicer. Fin. I, 13. — 490. *Felix qui potuit*, potest. Natura rerum rite cognita, nec fatum nec mortem ille timet. — 491. *metus* ex superstitionibus falsisque opinionibus natos, in primis de fato et de inferis. Lucret. I, 79: *Quare religio* (superstitio) *pedibus subiecta vicissim Obteritur. Metus subiectos*, vid. ibid. 67 sqq.; 103 sqq.; V, 1193 sqq.; III, 14: *Nam simul ac ratio tua coepit vociferari, Naturam rerum haud divina mente coortam*, Diffugiunt animi terrores, *moenia mundi Discedunt, totum video per inane geri res, Apparet Divum numen sedesque* quietae. — *At contra* nusquam *apparent* Acherusia *templa*. — 492. *strepitum Acherontis* ex Lucret. III, 37: *Et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo, Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam Esse voluptatem puram liquidamque relinquit.* Quomodo illum metum expellat, vid. eod. libro III, 842—907 ad f. *H.* Quamquam color orationis simillimus Lucretiano, non tamen inde,. placita philosophiae Lucretianae Maroni probata fuisse, concludi potest. *W.*

493. 494. Vitae rusticae amoenitatem a splendidis et sanctis rerum imaginibus petit, e vita priniorum hominum, aureae aetatis, sumptis. Nempe quum innocuis et puris castisque illis hominibus dii versabantur, eos frequentabant, et in medio eorum conspiciebantur; vide vel Catull. LXIV, 385. Itaque is, qui silvas, valles, frondes et antra frequentat, deos agrestes nosse praeclare dicitur. Culic. 76: *Illi sunt gratae rorantes lacte capellae, Et nemus et fecunda Pales.* — 495—499. Vivit is animo imperturbato, atque ut ab omni cupiditate, ita a cura ac sollicitudine vacuo, et vere vitam beatam es Epicuri formula agere videri potest. — *Illum non populi fasces* (v. Lucret. III, 1009), *non purpura regum flexit*: pro flectit, (sicque in seqq. *dolet, invidit, vidit*) nil curat honores ac magistratus, in quem transferantur, aut quibus regna sive reddantur sive eripiantur; quae fortunarum conversiones annis proximis a profligatis Antonianis partibus satis frequentes haud dubie inciderant: *et infidos agitans discordia fratres* potest sane ad bella civilia referri, quae ille sapiens non curet, ut nec bella externa: *Aut coniurato descendens Dacus ab Istro.* Ita tamen

Non res Romanae, perituraquè regna; neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti:
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

in priore quoque membro certam aliquam personam ac nomen subiicere debuit, ut in altero *Dacum*. Respexit haud dubie Arsacidarum dissidia, quae in illos annos incidunt, inter consanguineos, Phraatem et Tiridatem, quos per *fratres* designat, agitata. *H.* Eodem exemplo usus eandem sententiam eloquutus est Horat. Od. I, 26, 3—6. *W.* *Daci* autem cum Getis ad Slavicos populos referendi; vid. Gatter. in Comment. Soc. R. Gott. Vol. XI, p. 186, qui montium iuga trans Istrum incolebant, unde *descendens Dacus*, ut fere semper, *quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant* et *vicina populari*, Florus IV, 12, 18. Ita illo tempore Mysiam, et mox Thraciam vastabant. Dacorum agmina palantia iam a. 724 Statilius Taurus reiecerat. Missus adversus eos et Bastarnas M. Crassus, C. Caesare V et Sex. Apuleio Coss. a. 725, Dio LI, c. 23 sqq., de iis triumphavit a. 727: *Ister coniuratus*, h. populi ad Istrum, qui arma cum iis sociabant. Iidem Daci cum Getis aliisque barbaris non cessarunt, Istro glacie concreto, Romanos fines vastare, donec Q. Tuberone et Paullo Fabio Coss. V. C. 743, et anno sequenti perdomiti sunt, ripaque castellis et vallo munita est; cf. Sueton. Octav. cap. 21. Ceterum Epicuream sapientiam a republica homines avocasse, res est satis nota vel ex Ciceronis disputationibus.

498. *peritura regna*, quae pereunt, afflicta; regnorum ruinas, eversiones, interitus nil curat; quot enim regna non fuere sublata a Romanis! — *res Romanae*, intelligendae vicissitudines et fortuna imperii Romani. Sunt autem haec accommodata ad hypothesin Epicuri, et inter eius placita accipienda. Alioquin enim in cive Romano impium hoc et sceleratum foret, reipublicae sortem nil curare. — 499. *neque ille Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti*, non duritie et ferocia animi, aut Stoica aliqua apathia, quae male, a Servio inde, huc advocatur; sed nec dolet, nec invidet, quod in agro remotus ab omni pauperum miseria et divitum luxu ac fastu, animum ab omni perturbatione vacuum habere potest. Nam, quod antecessit, nec fasces nec purpuram regum novit, itaque nec curat, quis illa opibus et artibus suis consequatur. *H.* *habenti*, diviti, ut *habere* apud Cic. Epist. 7, 29 dicitur; add. Euripid. Herc. Fur. 636: ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ. *W.*

500. Haec ex Lucret. V, 935, 936 adumbrata esse, iam notavit Macrob. Sat. VI, 1 extr. Expressit sequentia Seneca Herc. fur. 159 sqq. *volentia*, h. lubentia, ad copiam et ornatum adiectum, quia *sponte sua* et *ipsa* ferunt fructus: vid. ad vs. 460. — *ferrea iura*, si sunt, quod esse debent, rigida, quae flecti nequeunt nec gratia ullius nec metu nec miseratione. — 502. *Insanum forum*, insano clamore, litibus, perstrepens. Sic *rabies*, *furor*, tribuitur foro et caussidicis. — *nec populi tabularia vidit*, h.

Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum;
Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis,
Vt gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro;
Condit opes alius, defossoque incubat auro;
Hic stupet adtonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim plebisque Patrumque

509. *Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit.* Ordo est; corripuit enim hunc geminatus per cuneos plausus, et plebis et patrum.

nullum vectigal, nec portorium nec pascua, a populo publicanus conduxit; quarum redemtionum tabulae, publica instrumenta, in tabulario servabantur, quod Romae erat in atrio Libertatis; vid. Liv. XLIII, 16.

503. Aliis incertis casibus se committunt in mari, in bello, in aulis regum. *freta caeca*, ignota, inexplorata esse videntur; Servio, subito in tempestatem surgentia, quorum motus caeci, h. e. incerti sunt. — 505—507. *Hic*, alius, militiae adscriptus, exscindere parat *urbem*, int. Romam, *Penates*, h. patriam suam (bella autem civilia respicit), ut luxu diffluat. Militia omnino illo tempore inter modos opum ac divitiarum quaerendarum expeditiores, scilicet e praeda et agris assignandis; vide v. c. Propert. Eleg. III, 5; Tibull. I, 1, 1—4 ubi res illustrata, multo magis in civilibus bellis. *H. petere excidiis*, ut dicitur *petere* aliquem *bello* (Aen. III, 603), *insidiis*, *criminibus*. — 506. *bibere gemma* pro bibere e gemma, ut apud Iuvenalem XII, 47, *bibere caelato*. W. — *gemma*, poculum gemmeum, ex gemma factum; cf. Propert. III, 5, 4. *Ostrum Sarranum*, Tyrium, ab antiquo urbis nomine, Sarra seu *Tsor*, de quo satis multa disputavit Bochartus. — 507. Sic et Aen. VI, 610: *Aut qui divitiis soli incubuere repertis.* Ex Vario *Incubet et Tyriis, atque ex solido bibat auro*, adumbratum esse versum, notavit Macrob. Sat. VI, 1, p. 374; cf. Tib. III, 3, 3 sqq. — 508—510. Alius eloquentiae forensis laudem appetit, dum pro Rostris dicentem audit; alius populi studia miratur, et cupit gratiosus apud populum haberi; *nimium gaudens popularibus auris* dixit Aen. VI, 817. *hiantem* prae admiratione ac stupore, *corripuit*, percussit, animum commovit, *plausus per cuneos*, h. theatrorum ordines ac sedilia, qua excipiebantur, qui gratiosi essent apud populum, ut Pompeius, Cicero, Maecenas; res nota. *H.* — *per cuneos.* Vel a forma ipsa cunei prima; vel a similitudine cunei militaris, hoc est, peditum globi in cunei formam redacti, qui στῖφος Graecis dicitur, et qui non μειουρίζει, sed a parte prima angustiore in latiorem procedit; *cunei* dicti sunt loca in theatro, id est, graduum ordines, in quibus vulgus spectatorum stabat inter sedentium subsellia. *L.* — *enim*: inter ceteras rationes tutissimum accipere asseveranter: δὴ, sane, utique.

Conripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incurvo terra dimovit aratro;
Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet, hinc armenta boum, meritosque iuvencos:
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis;

510. *Gaudent perfusi sanguine fratrum:* alii gaudent perfundi, dictum ex Graeco more. Ad veteranos autem et ceteros refero, quibus promissi per bella civilia (hine *perfusi sanguine fratrum*) agri assignabantur; ita cum sequente versu sententias arte coniunctas esse videas. Res liquida vel ex Lucretii versibus III, 70, Dum homines paupertatem fugiunt, *Sanguine civili rem conflant — Crudeles gaudent in tristi funere fratrum;* quem hic expressum esse, iam a Macrobio monitum Sat. VI, 2. — 511. *Exsilio,* quum in colonias deducuntur, et in praedia, alio sub sole sita, immigrant. — 512. Fere ut Horat. illud Od. II, 16, 18: *Quid terras alio calentes sole mutamus?* caelo, aëris temperie.

513 sq. Nunc agricolae bona ex adverso ponuntur. *Labor anni*, per annum, annuum opus rustici esse potest; rectius tamen, sententia sic postulante, intelliges proventum ex labore annuo, quo ille alit familiam. Non male praefertur *hic anni labor.* — *sustinet*, alit, *patriam* eo referendum est, ut de suo conferat ad utilitates publicas et commoda universi. Malim tamen *patrem* scriptum esse. — 516. Nullum anni tempus est, quo cesset proventus. *H.* — *pomis exuberet annus*, h. e. abundet pomis, det uberem proventum pomorum. Commode omne genus proventus *anno* tribuitur. Cf. Plin. Pan. *omnis usibus nostris annus exuberat.* W. — 517. *Mergite. Mergites* fasces culmorum spicas habentium, quas metentes brachiis sinistris complectuntur: quidam *cavos* dicunt. *Philarg.* — 518. Annus *onerat sulcos proventu*, ante messem, *horrea vincit proventu*, messe facta. Sunt Tibulli IV, 1, 185: *Horrea fecundas ad deficientia messes;* cf. sup. Ge. I, 49.

519. Cum hieme, cum extremo auctumno olivitatis tempus ingruit. Olivae, ut poëtarum mos, a praestante aliquo genere adiectum nomen habent. *Sicyonem oliviferam* etiam Ovidius memorat in Ibin 319; ex P. IV, 15, 10; Stat. Theb. IV, 50. — *trapetum*, quo oleae teruntur, mola olearia; vide Ind. Scriptt. R. R. *H.* — *venit* pro quum venit; conf. Terent. Adelph. I, 2, 38—40: *fores effregit, restituuntur*, et Horat. Sat. I, 3, 49. Adde e Graecis Demosth. p. 33, l. 12. Ex *actione* puto hanc membrorum coniunctionem originem ducere. *W.*

Glande sues laeti redeunt; dant arbutae silvae;
Et varios ponit fetus auctumnus; et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati;
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccae
Lactea demittunt; pinguesque in gramine laeto
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.
Ipse dies agitat festos; fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenaee, vocat; pecorisque magistris
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo,

527. *Ipse dies agitat.* Hoc dicit, omnes dies sic habet, ut festos putes. Alii dicunt, festos dies cum religione concelebrant.

520. *arbuta*, vid. sup. ad Ecl. III, 82. — 521. *ponit fetus auctumnus*, dum poma matura decidunt. Ita *poni* frondes sup. vs. 403 dixerat; ut alias *deponi*. Simili usu *ova* dicuntur *poni*, *partus poni*. H.

523. Pergit ad gaudia agricolae domestica. *pendent circum oscula* iucundius quam: circum ora. — 524. Pudica est mulier; cf. Horat. Epod. 2, 39. — 526. Ex Arat. Diosem. 369, 370. — 527 sqq. Quidquid in vita rustica iucunditatis esse solet, memorat poëta; itaque et festorum sollemnia diis rusticis habita, inque his unum, in Bacchi honorem. — 528. *Ignis ubi in medio*, ara, in qua sacrum fit, ex quo epulae parantur. Tibullus de sacris tempore messis factis, II, 1, 21: *Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris Ingeret* ardenti *grandia ligna* foco, *Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni, Ludet.* —*Socii.* Horat. Epist. II, 1, 139: *Agricolae prisci — Condita post frumenta levantes Tempore festo Corpus* —Cum sociis operum pueris *et coniuge fida.* De sacro Lari vel Genio facto Horat. Od. III, 17, 13 sqq.; sed h. l. Bacchi in primis sacrum respicitur, v. 529. *socii cratera coronant*, e quo vinum haustum in pocula defunditur, quibus libatio fit; itaque corollis ornatur; cf. ad Aen. I, 724. Adumbratus est e nostro locus Gratii Cyneg. 486 sqq. — 530. *certamina posuit*, ἆθλα τίθησι, certaminis praemia; conf. Aen. V, 66. *H.* Omnes consentire video in explicando verbo *certamina* pro praemia certaminis, alios Graecum ἆθλα advocantes, alios metonymiam statuentes. Sed hanc explicationem vereor ut ullo exemplo probare possint; quin *certamen ponere* est instituere certamen, comparandum cum Graeco ἀγῶνα προτίθημι. Plato in Phaedone c. 42, p. 55, I, 3: οὐκοῦν οἶει, εἰ πονηρίας ἀγὼν προτεθείη, πάνυ ἂν ὀλίγους καὶ ἐνταῦθα τοὺς πρώτους φανῆναι; Add. Soph. Ai. 936: ὅπλων ἔκειτ' ἀγὼν πέρι. *certamen iaculi* compositio qualis est *certamen vini* apud Tibull. III, 6, 11. *W.* — *agresti palaestra*, lucta,

Corporaque agresti nudant praedura palaestra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus, et frater; sic fortis Etruria crevit;
Scilicet et rerum facta est pulcerrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Inpia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Nec dum etiam audierant inflari classica, necdum
Inpositos duris crepitare incudibus enses.

531. *Agresti palaestra.* Rustica luctatione. *Palaestra* autem dicta est, vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est, a luctatione: vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, hoc est a motu urnae: nam ducti sorte luctantur.

532—535. Haec fuit vita priscae Italiae. *Etruria crevit*, h. Etrusci potentes facti sunt, ad magnas opes agri cultura pervenerunt. — 534. *rerum facta est pulcherrima*, nota forma, omnium imperiorum praestantissimum ac beatissimum factum est. Est scilicet Graecum *χρῆμα κάλλιστον*, *res pulcherrima*, et exquisitius *rerum pulcherrima*. — *Scilicet* est Gr. δή, ἄρα. Malim iungi *crevit scilicet*, *et rerum*. H. At I, 493 legitur *scilicet et*. W. Iisdem fere verbis Cicero pro Rosc. Amer. §. 50, c. 18. — 535. *arces* pro montibus. — 536. Ante Iovem, sub rege Saturno, aurea aetate, (unde poëta ipsum dixit *aureum*) sic vivebant homines. — *Impia gens*, h. hominum genus *impium*, quod naturae legem violat bovem mactando; conf. Arat. Phaenom. 132; Cic. N. D. II, 63, §. 159. *H.* — *Caesis iuvencis*. Attingit hic Poëta cautionem illam veterum, qui abstinebant a caedendis bobus; imo reprehendit mortales, qui hoc ausi. Narrant Valerius et Plinius, prior cap. I, posterior c. 45, et uterque lib. VIII, patremfamilias damnatum fuisse a populo Romano, quod bovem aratorem occidisset, socium laboris humani. Athenis etiam lege cautum erat, ne quis bovem immolaret, de quo dicebant: γεωργός ἐστιν, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός: *agricola est, et socius humani laboris*. L. 539. *classica inflari*, cani in inflato cornu, tuba, buccina; vid. Propert. III, 42, 41. *classica pulsa*, lituo seu cornu impulso, inflato, Tibull. I, 1, 4. — 540. Ornate, pro procudi enses. *H.* Plin. Paneg. c. 14: *Et necdum imperator, necdum dei filius eras.* W.

Sed nos inmensum spatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla.

541. Sed finis faciendus est libro. *aequor immensum spatiis*, immensa spatia, h. decursus habens, immensorum spatiorum campus. De *spatiis* vid. ad Ge. 1, 512: *Colla equorum solvere*, dum iugum solvitur, demitur. Sic ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων λυσαμένη, Callimachus H. in Pall. Lav. 10. Sollemne est λύειν ἵππους, *solvere equos*.

P. VIRGILII MARONIS GEORGICON
LIBER SECVNDVS EXPLICITVS.



